

S
IDAD
CCIÓN

DEVOTI.

INSTITUTION

MONICARU

1

BX1935

D4

1854

V.1


C.1

07628

JOSÉ RAMON DE LA



1080020602



EX LIBRIS
HEMETHERII VALVERDE TELLEZ
Episcopi Leonensis



INSTITUTIONUM
CANONICARUM.

UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

JOANNIS DEVOTI

ANANIENSIS EPISCOPI

INSTITUTIONUM CANONICARUM

LIBRI IV

A CL. AUCTORE EXPOLITI ET ADDITIONIBUS DITATI.

NOVISSIMA EDITIO

cui supplementa ac notationes, de iis maxime, quæ ad Hispanicæ Ecclesiæ disciplinam spectant, inseruit

DOCT. CAROLUS RAYMUNDUS FORT.

Tunc enim status membrorum integer manet, si Caput fidei nulla pulset injuria, et Canonum maneat incolumis, atque intermerata semper auctoritas.—S. Gregorius M. lib. 15. ep. 37, ad Joannem Panormitanum Episcopum, col. 1244. tom. 2, edit. Maurin. Paris. 1705.

TOMUS I.



Carilla Alfonsina
UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
Biblioteca Universitaria
Biblioteca Valverde y Torres

MATRITI: 1855:

Apud Joseph, C. Peña.

44426

BX 1935

D4

1859

V. 1



FONDO DE LA BIBLIOTECA
VALVERDE Y TELLEZ

85444

EDITORIS MONITUM.

010310

Cum nostratibus ECCLESIASTICI JURIS gymnasiis restitu-
tæ nuper sint præcellentes INSTITUTIONES, quas sub Pont.
Pio VI emiserat JOANNES DEVOTI, Advocatus et Antecessor
Romanus, Ananiensis demum Episcopus; illas iterum, ob
exemplarium inopiam, excudi magnopere oportebat. Id
ergo ea ratione, quæ in majus Studiosæ Juventutis com-
modum cederet, præstare constitui.

Et primo quidem editionem, quæ Matrili an. 1801—2
à typographia de Villalpando prodiit, ex Hispanicis prop-
ter correctionem præferendam, præ oculis habui.

Præterea, Cl. Itali Antistitis opus, in iis maxime,
quæ ad nostræ Ecclesiæ disciplinam attinet, auctum
offerre, quam conveniens visum est: ideoque probandas ac
bene exceptas adnotationes, quas ad similes Selvaggi libros,
proxime transacto sæculo, apposuerant DD. Sylvester Pue-
yo, Matthæus Gil de Sola Tenorio, et LL. Franciscus X.
Iniguez, Antonius Aloysius Guazo de Miranda, quasque

pro complendis illis, de quibus versamur, commendabit
Reg. Decretum 14 Oct. 1824, ad congruentes ipsorum
paragraphos transtuli.

Nec ita absolvi propositum existimavi. Quaedam enim
vel de communi Jure in J. DEVOTI INSTITUTIONIBUS deside-
rabantur; plurima vero de Hispaniæ disciplina, ac legi-
bus res necnon personas ecclesiasticas spectantibus, præ-
sertim post finitum S. Pontificem inter et Cathol. Regi-
nam Concordatum an. 1851. Quoad primum igitur, de-
prompta ex Selvagio (diligentissimo sane Eccl. institutio-
num historiographo), aliisque præstantibus AA., supple-
menta adjeci. Et ad alterum, præter laudata quator nos-
tratam Canonistarum scholia, ejusdem novissimæ Con-
ventionis textum, ac Regal, ei concordantium ordinatio-
num excerpta, propriis hic illic observationibus intermix-
ta, consignavi.

Tam ex Selvagio quam ex illius Adnotatoribus rans-
cripta, quæ adinvicem discernere haud difficile, isto signo
(N. S.), propriæ vero notulæ ita (***) indicantur.

Num id quod unice intendebam, Sacræ videlicet Ju-
risprudentiæ tyronum utilitatem conciliare, assecutus sim
necne, aliorum esto decernere.

PIO SEXTO

P. O. M.

JOANNES, EPISCOPUS ANANIEMIS,

FELICITATEM.

Cum Canonicas Institutiones, quas tribus ab hinc annis
in amplissimo Tuo nomine evulgavi, PIE, PONTIFEX OPTIME
MAXIME, multi non tantum ex nostris, sed etiam ex ex-
teris regionibus studiose conquirerent, et nulla prorsus
earum essent exemplaria, quæ ab ipsis comparari possent

eas iterum typis edere constitui. Dedi autem in primis operam, ut nova hæc editio multis in locis valde aucta, et emendata prodiret; et ideo quæ pridem à me scripta paulo jejunius, et forte etiam indiligentius fuerant, ea multo uberius, et accuratius excutienda, explicanda, enucleanda curavi. Tuum est totum hoc opus, PONTIFEX SAPIENTISSIME, quandoquidem Tuis habuit auspiciis initium, cursum, exitum; et ideo patiere, ut quod primum in manus hominum sub Tuo nomine emissi, idem nunc diligentius recognitum, amplificatum, emendatum cum ejusdem amplissimi nominis inscriptione divulgem. Beneficio singulari Tuo, non merito aliquo meo, Ananiensis Ecclesiæ creatus Episcopus, jam pridem edere debuisssem publicam aliquam animi significationem, unde omnes intelligerent, quam Tibi obstrictus, devinctusque sim memoria beneficiorum sempiterna. Quod si usque ad hoc tempus distuli, rogo obtestorque Te, ne id potius mihi vitio vertendum, quam Episcopalibus curis, atque laboribus, qui me sane hactenus occupatum, impeditumque tenuerunt, tribuendum putes. Sentio equidem, BEATISSIME PATER, quam tenuis sit, et minime par immortalibus in me beneficiis hæc grati animi testificatio, et meæ me tenuitatis tædet, qui non modo insigniori aliqua significatione, sed ne hoc quidem tam exiguo, quod suscepi, munere tantam prosequi beneficentiam nequeam. Quamquam in summo isto rebusque humanis longe excelsiore Dignitatis loco, ecquod, non à medico, sed à quovis demum homine quantavis facultate præstante, suscipi, efficique potest, quod Tuis respondere beneficiis posse aliquo modo videatur? Quod si, cum gratia referri tanta non potest, quanta debetur, habenda saltem est, quantam maximam animus capere potest, ego certe, qui hujus habendæ, prædicandæ, præ meque ferendæ gratiæ studio concedam nemini, non magnopere eo nomine mihi laborandum esse videor, cur ampliorem

facultatem requiram. Accipe igitur novis nunc curis auctas, diligentiusque recognitas Cononicas Institutiones, quæ etiam hoc Tibi nomine debentur, quod magno illis adjumento fuerunt Tua illa scripta immortalia, quæ ad tuendam, atque amplificandam Religionem, pacemque Ecclesiæ restituendam difficillimis his temporibus in lucem emisisti, et quorum doctrinam, gravitatem, sapientiam omnes admirantur. Nam ex iis multa ego derivavi in meas Institutiones, itaque effeci, ut tenuitas mea sustentaretur lumine ingenii, et doctrinæ Tuæ. Atque hæc quidem scripta quamquam omnes avidissime legant, et admirentur, tamen sæpe cogunt metuere, ne quid detrabat ex valetudine Tua (quæ nobis ipsa lucis usura carior, et pretiosior est) in tot tantisque rebus occupatio tam assidua, tamque vehemens, ut ne illud quidem intermittas tempus, quod sommo, et quieti concessum est. Facis id quidem pro excellenti natura Tua, et pro ardore, quo raperis, eximio, et singulari tuendarum, fovendarumque rerum Ecclesiæ, ut quod operibus præstas, scriptis quoque perficias, et posteritas utrorumque memoriam immortalitatis memoria prosequatur. Sed tamen qui te amant (amant autem, mihi crede, omnes) cum Te videant nihil recusare studii, laboris, periculorum, ut tot ac tanta negotia sustineas, non possunt non esse sollicite de Te, cujus vitam perpetuam esse vellent, cum Tibi perpetuam optare vitam idem sit, ac optare nobis perpetuam felicitatem. Sed quoniam hac lege huc omnes ingredimur, ut alicuando discedamus, neque nobis pro Tua singulari virtute licet singularem in Te uno conditionem postulare, saltem ut in his gravissimis occupationibus integra valetudine utaris, ac Te præsentem quam diutissime perfruamur, supplices à Deo petimus, idque pro summa ejus in nos clementia impetraturos confidimus. Sunt hæc communia omnium vota, quibus equidem insistens nullum faciam Deum orandi, et obsecrandi finem, ut Te, BEATISSIME

PATER, quam diutissime incolumem, sospitemque conser-
vet, efficiatque sua ope, ut tandem capias fructus uberri-
mos, ac jucundissimos laborum, et vigiliarum tuarum,
Ecclesiae pacem, et tranquillitatem.



PRÆFATIO

AD CUPIDAM SACRORUM CANONUM JUVENTUTEM.

Omnis fere aetas magnam effudit copiam Scriptorum, qui Juris Canonici Institutiones mandarunt literis; sed inter eos vix ullum invenimus, cujus, scripta usui possint esse vobis, Optimi Adolescentes, in quos erudiendos omnes nostras curas, et cogitationes conferre debemus. Quidam enim ita inopes, et jejuni sunt, ut ossa solum, non sanguinem videantur tradere ecclesiasticae jurisprudentiae; quidam obruunt ingenia nimia rerum copia, et varietate, atque intempestivis, verbosisque quaestionibus, quas cum ipsis principiis absurde confundunt, adeo ut nosci interdum vix, plerumque autem ne vix quidem possit, quid pro certo sumendum, quid dubiunt, controversumque sit; quidam nullum sibi negotium sumunt de causis rerum, et memoria vetustatis; quidam denique ita eruditionis studio rapiuntur, ut ad antiquitatem, atque ad omnem rerum excurrentes originem, prope obliviscantur recentiorum aetatum. Nos omnes studuimus declinare scopulos, ad quos ceteros offendisse novimus. Quantum effece-

rimus, aliorum sit iudicium, conatos certe esse pro nobis ferimus. Nam nostris Institutionibus complexi sumus antiquam, mediam, novam, Ecclesiae disciplinam, atque uno in conspectu posuimus, non tantum vetustas leges, quae Juris corpore continentur, sed etiam Canones Tridentinos, et constitutiones recentiorum Pontificum, et responsa, quae a Sacris Cardinalium Consiliis, quas Congregationes vocant, in dies emittuntur. Initium duximus a Prolegomenis, quibus Juris Ecclesiastici fontes patefecimus, ac celebriores explicavimus collectiones, quae ab Ecclesiae incunabulis usque ad hanc nostram aetatem in manus hominum pervenerunt. Neque enim recentiorum collectionum, quibus nunc in Scholis, et in Foro utimur, vim, et rationem scire, ac tenere possumus, nisi primum antiquiores, unde ille ductae, excerptaeque sunt, cognoscantur. Explicatis autem collectionibus, ad rem ipsam accedimus, quam pluribus, uti mos est, titulis comprehendimus universam. Quorum in partitione titulorum eum ordinem secuti fuimus, qui nobis commodior, atque concinnior videbatur, quin etiam titulos secimus in partes, ut quasi in genera digereremus Ecclesiasticam Jurisprudentiam, deinde eorum generum quasi quaedam membra dispertiremus. Nam nisi adolescentes, qui nunc primum in viam ingrediuntur, accuratam habeant, et simplicem, unoque in conspectu positam rerum divisionem, nunquam in suis studiis progressus facere posunt, et saepe fracti, ac debilitati metu propter rerum obscuritatem voluntatem discendi simul cum spe perdiscendi abjiciunt.

Et quoniam ornatur Jurisprudentia eruditione primum, et quasi colore quodam, et succo suo, idcirco nos rerum origines investigare curavimus, atque hausimus ex fontibus Ecclesiasticae Historiae ea, quae ad rem nostram ita pertinere arbitrabamur, ut non irruisse in alienum locum, sed in suum immigrasse viderentur. Ita scilicet operam dedimus, ut vobis panderemus viam non solum ad forensem peritiam, verum etiam ad omnem interiorem, atque reconditam Ecclesiasticam Jurisprudentiam. Volo enim talibus doctrinis excoli vestros animos, ut habeatis adjuvamenta, quibus instructi sacram jurisdictionem, ac jura certissima Sedis Apostolicae plane comperta, atque explorata habeatis. Obruimur copia Scriptorum, quibus duo tantum proposita fuisse videntur, alterum ut vos in errores rapiant, alterum ut in Ecclesiae caput Romanum Pontificem virus evomant acerbitalis suae. Quorum e numero nescio equidem, an post Bohemerum, Thomassium, ceteros haereticos, ullus sit, qui Eybelio anteferendus videatur. Homo videlicet, qui ausus est improbare confessionem,

quam aure excipit Sacerdos, ut noscat crimina, de quibus iudicium ferre debet (1), qui gravissimus error merito damnatus est (2), facile intelligitis, quantum valeat in rebus Ecclesiasticis, et quas Juris Canonici Institutiones scriptitare potuerit. Hujus hominis scripta, et cetera similia, quae merito damnata sunt iudicio verissimo Sedis Apostolicae, vitanda, et fugienda vobis sunt diligenter, ne vos admisceatis, atque implicetis erroribus, quibus facile vestra haec aetas infici potest imprudens, et qui postea difficiliter ex animis effluunt, cum semel infusi sunt. Horum quoque Scriptorum a nobis facta est interdum mentio in nostris Institutionibus (quod tamen parce, et continenter fecimus); sed quidquid in iis erat, quod vobis compertum esse oporteret, id totum nos hausimus, atque expressimus, indeque in nostra scripta derivavimus. Quod eo mihi praedicendum fuit, ne quis forte vestrum curiosius velit scripta ipsa evolvere damnatorum Auctorum, quorum a nobis injecta mentio est. Principio eos legere nefas est, nisi primum venia a Sede Apostolica impetrata sit; deinde illi etiam, qui hanc facultatem obtinuerunt, caveant diligenter, ne iis legendis animum tenerum pravis opinionibus imbuant, hauriantque errores, quibus illi undique referti sunt. Magna nobis, divina ope, copia est librorum optimorum: hos sine periculo legite, atque perlegite, et *per religiosi itineris vias, ac veritatis semitas, quas universa tenet Ecclesia, gradientes, magis magisque haereticorum devia, et diabolica calcate figmenta* (3).

Reliquum est, ut aliquid dicam de notis, quibus Institutiones has meas illustrandas curavi: quoniam haec in primis earum scribendarum ratio, et hoc propositum fuit. Nimirum Institutiones tantum certis constare principiis, ac modicis regionibus circumscriptae esse debent, et quaestiones suum in iis locum habent

(1) Vid. Conc. Trident. Sess. 14 cap. 3 de Sacram. Pœnitent.

(2) Deterrimi libelli titulus latine redditus, est: *Quid continent documenta antiquitatis Christianae de auriculari Confessione; ab Eybel. Vindobonae 1784*; eum vero damnavit optimus, ac sapientissimus Pontifex PIUS VI. Apostolicis literis *Mediator Dei*, datis die 11 Novembris 1784. Ipsius autem Eybelii *Introductionem in jus Ecclesiasticum Catholicorum* damnavit Sac. Indicis Congregatio die 16 Februarii ejusdem anni.

(3) Verba haec sunt S. Maximi Taurinensis *Hom. 9. int. hyemal.*, cujus egregia opera, et reliqua adhuc latentia, ut plus prodessent, diligenter recognosci, splendideque, ac magnifice in lucem edi curavit SANCTISSIMUS D. N. P. VI.

nullum. Quare nos ita Textum conscripsimus, ut in eo, quantum nostræ patiebantur vires, neque aliquid abesset, quod proprium esset Institutionum, neque redundaret. Sed quæ in Textu strictim exposita sunt, ea in Academiis viva voce Doctoris in lucem proferuntur, latiusque explicantur; et tunc res omnis accuratius expenditur, atque etiam attinguntur quæstiones, quæ scitu utiliores esse videantur, ut ita una cum seminibus propago quoque studiosis, atque seges occurrat materiæ. Id nos in notis præstitimus, ubi non tantum indicabimus locos, unde sumpta sunt ea, quæ in Textu traduntur, sed etiam in magis abditam, ac penetralem jurisprudentiam excurrere, et præcipuas etiam quæstiones attingere volumus, ut postquam cum iis primarum, ac certarum rerum genera ipsa didicistis, relicua non incommode persequamini. Quod si quis copia, et varietate rerum, quæ in notis disputantur, impediri se putet, à discendoque deterreri; is licet hinc quantum ei videbitur circumcidat, atque amputet, tamen Textus sobrietate contentus habebit, quod ad instituendos juvenes accomodatam est. Quamobrem pergite, ut facitis, optimi Adolescentes, atque ad hæc studia contendite, ut et vobis honori, et Reipublicæ utilitate esse possitis, ac magis commendemini SANCTISSIMO PRINCIPIS, cujus exquisita doctrina, intelligens iudicium, effusa in litteras beneficentia vos ad hæc studia cohortatur.

APPROBATIONES.

Jusus à Reverendissimo P. Magistro S. P. A. legi primum tomum *Institutionum Canoniarum* Cl. Viri Joannis Devoti, olim Advocati, et Antecessoris Romani, nuper ad Episcopatum Anagninum à PIO SEXTO P. M. eVecti; quod opus, exemplaribus universis cito distractis, iterum typis evulgatur nonnullis correctionibus, et additamentis doctissimi Auctoris. Nihil adversum regulis fidei, aut bonis moribus invenire est in hoc primo volumine; quam vero omnia, quæ in eo tradita sunt, omnigena eruditione, et juris ecclesiastici peritia redundent, adeo novit Litteraria Respublica, ut meis laudationibus celebratissimi operis famam augeri vix posse credam. Romæ ex Ædibus Magnæ Curie Inocentianæ, III Non. Jul. MDCCXCII.

*N. Riganti, Majoris Præsidentie Abbr.
et AC. in Civilibus Locum tenens.*

Institutiones juris ecclesiastici V. Cl. Joannis Devoti, nunc Episcopi Anagnini, cum primum in lucem prodierunt typis Romanis anno 1785, tanta omnium acclamatione exceptæ fuerunt, ut aucto in dies requirementum numero, brevi exemplaria defecerint, aliæque cedere necesse vissum fuerit: id vero accidit percommode; eam enim occasionem arripuit Præsul præclarissimus opus suum retractandi, pluraque sparsim adjiciendi, uberiori adolescentium in re canonica eruditioni opportunissima. Quæ porro in vulgatis jam exemplaribus continebantur, ea præstantissimorum virorum iudicio probata, tum publico testimonio celebrata, meo certe calculo non indigent ut iterum imprimantur: quæ vero nova huic primo volumini aspersa sunt, mandante Reverendissimo S. A. P. Magistro, cum attente perlegerim, ea ex purioris doctrinæ fontibus hausta, et selectissima eruditione referta mihi videntur, proindeque dignissima quæ publici juris fiant. Datum Romæ pridie Idus Sept. anni MDCCXCII.

*D. Coppola, Proton. Apostolicus, et Ril. C.
Secretarius.*

Opus, quod primo editum, tanto plausu ab eruditis omnibus Viris exceptum est, modo Scriptore ab ipso Cl. V. Joanne Devoti, Episcopo Anagnino, expositum, auctum, perfectum, non equidem dubito, quin eusum denuo, rei litterariæ publicæ majori ornamento sit, præsidioque futurum. Dabam Romæ VI Id. Sept. MDCCXCII.

*J. Castillioneus. Proton. Apost., Apostolicæ Pænit. Litterarum
Corrector, et S. Congr. Boni Régiminis à Secretis.*

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.

F. X. Passeri, Vicesgerens.

IMPRIMATUR.

Fr. Th. Vincentius Pani, Ord. Præd., Sacri Palatii Apost. Magister.

PROLEGOMENA.

CAPUT I.

DE ECCLESIA, EJUSQUE NATURA, ET CHARACTERIBUS.

1. JURIS DEFINITIO.—2. DIVISIO.—3. ECCLESIE INSTITUTIO.—4. DEFINITIO, ET NATURA.—5. IMPERIUM, ET ADMINISTRATIO.—6. EA RESPUBLICA EST A CIVILI DISTINGTA.—7. DISTINCTIO ECCLESIASTICÆ, ET CIVILIS POTESTATIS.—8. 9. 10. VIS, ET RATIO POTESTATIS ECCLESIASTICÆ.—11. ECCLESIE SIGNA. EA UNA EST.—12. SANCTA, CATHOLICA, APOSTOLICA.—13. ET 14. ECCLESIA ROMANA.—15. PSEUDO-ECCLESIE HERETICORUM.

1.

Juris nomen sive à *justitia* factum est (1), sive à *jubendo*, quoniam majores nostri jura dicebant *jusa*, aut *jussa* (2), quod ea continerent, quæ jussisset populus. Ejus autem non una est significatio. Nam et quod æquum, bonumque est, ac rationi consentaneum (3), et artem ipsam æqui atque boni (4), et legitimam quid habendi, ac retinendi potestatem (5), jus appellamus. Nobis hoc loco jus est collectio legum, ac regularum, quibus utitur humanum genus, ut justa et injusta distinguat. Nam ad justitiam recte gerendam leges pertinent, et omnes in commune bonum sunt.

(1) Isidorus Hispalen. *etymol.* lib. 5. cap. 5. pag. 57. edit. Paris. 1604. *Leg. 1. ff. de justit. et jur.*

(2) Festus de verb. signif. lib. 10. verb. *jussa* pag. 200. edit. Paris. 1681.

(3) Terentius *Heautontim. act. 4. scen. 1. vers. 29. pag. 530. edit. Lugd. Batav. an. 1657. Quid cum illis agas, qui neque jus, neque bonum, atque æquum sciunt?*

(4) *Leg. 11. ff. de justit. et jur.*

(5) Terentius *Adelphor. act. 1. scen. 1. vers. 26. et 27. pag. 445. Non necesse habes omnia pro meo jure agere. Alia etiam de juris nomine, et*

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.

F. X. Passeri, Vicesgerens.

IMPRIMATUR.

Fr. Th. Vincentius Pani, Ord. Præd., Sacri Palatii Apost. Magister.

PROLEGOMENA.

CAPUT I.

DE ECCLESIA, EJUSQUE NATURA, ET CHARACTERIBUS.

1. JURIS DEFINITIO.—2. DIVISIO.—3. ECCLESIE INSTITUTIO.—4. DEFINITIO, ET NATURA.—5. IMPERIUM, ET ADMINISTRATIO.—6. EA RESPUBLICA EST A CIVILI DISTINCTA.—7. DISTINCTIO ECCLESIASTICÆ, ET CIVILIS POTESTATIS.—8. 9. 10. VIS, ET RATIO POTESTATIS ECCLESIASTICÆ.—11. ECCLESIE SIGNA. EA UNA EST.—12. SANCTA, CATHOLICA, APOSTOLICA.—13. ET 14. ECCLESIA ROMANA.—15. PSEUDO-ECCLESIE HERETICORUM.

1.

Juris nomen sive à *justitia* factum est (1), sive à *jubendo*, quoniam majores nostri jura dicebant *jusa*, aut *jussa* (2), quod ea continerent, quæ jussisset populus. Ejus autem non una est significatio. Nam et quod æquum, bonumque est, ac rationi consentaneum (3), et artem ipsam æqui atque boni (4), et legitimam quid habendi, ac retinendi potestatem (5), jus appellamus. Nobis hoc loco jus est collectio legum, ac regularum, quibus utitur humanum genus, ut justa et injusta distinguat. Nam ad justitiam recte gerendam leges pertinent, et omnes in commune bonum sunt.

(1) Isidorus Hispalen. *etymol.* lib. 5. cap. 5. pag. 57. edit. Paris. 1604. *Leg. 1. ff. de justit. et jur.*

(2) Festus de verb. signif. lib. 10. verb. *jussa* pag. 200. edit. Paris. 1681.

(3) Terentius *Heautontim. act. 4. scen. 1. vers. 29. pag. 530. edit. Lugd. Batav. an. 1657. Quid cum illis agas, qui neque jus, neque bonum, atque æquum sciunt?*

(4) *Leg. 11. ff. de justit. et jur.*

(5) Terentius *Adelphor. act. 1. scen. 1. vers. 26. et 27. pag. 445. Non necesse habes omnia pro meo jure agere. Alia etiam de juris nomine, et*

significatione habent Menagius *amæn. jur. cap. 59. verb. jus.* Grotius *de jur. bel. et pac. in prolegon. § 12.* Scip. Gentilis *Origin. Tom. 2. oper. pag. 415. et seq. edit. Neapol. an. 1765.*

2. Sunt autem quædam publice utilia, quibus nimirum rei-publicæ salus continetur; quædam vero privatim, quæ scilicet ad commodum pertinent, atque utilitatem singulorum. Hinc distinctio oritur publici, et privati juris. Publici nobilior pars est, quæ Sacerdotum jura, et rerum constituit divinarum; quo quidem jure nulla fere gens carere consuevit, quamquam pleræque et superstitionis, et fabularum plenam haberent religionem. Hebræis Deus ipse leges dedit, quæ à Moyse receptæ, et collectæ, Pentateucho continentur.

3. Translato per Christum Sacerdotio, sacra etiam translata sunt, et antiquata Hebræorum. Itaque nova constituta Christianorum republica, nova lex, novique ritus introducti sunt à Christo Domino, qui sacramenta instituit, fidei mysteria explicavit, eaque homines docuit, morum præcepta, naturæque leges confirmavit; cetera autem arbitrio commisit Ecclesiæ, hoc est Episcoporum, in primisque Petri, et eorum omnium, qui post eum Pontificatu Maximo fungerentur, quos sui Vicarios, et Ecclesiæ supremos Principes esse voluit.

4. Nam hi sunt Rectores Ecclesiæ, quæ definitur societas hominum sub legitimis Pastoribus, præsertim vero sub visibili omnium capite, centroque unitatis, Romano Pontifice, Christianam Religionem profitentium, eorundemque sacramentorum colligatione in unum corpus coalescentium, à Christo instituta (1). Ex quo patet, Ecclesiam societatem esse *inæqualem*, in qua scilicet alii sunt, qui regunt, atque imperant, alii, qui reguntur, et parent (2); esseque præterea visibilem, quoniam animo, et corpore constant homines, quibus ea conflata est. Et certe non falsa solum, sed etiam absurda est Protestantium (3) sententia, qui sibi invisibilem confingunt Ecclesiam; societatem scilicet hominum visibilem, quam ut Dei Filii constitueret, assumpta humana natura, visibilis factus est, quam ipse per Evangelii annunciationem, rem videlicet sub sensu eadentem (4), propagari voluit, quam constrinxit vinculis sacramentorum, quæ visibilibus constant rebus, ac præsertim Baptismo, quo homines in eam cooptantur.

(1) Manca igitur, et minus propria est Ecclesiæ definitio, quam post Febronium, et ceteros hujusmodi, tradit Dominicus Cavallarius *Institut. Jur.*

Canon. par. 1 cap. 1. §. 1. cum inquit, Ecclesiam esse christianorum conventum, qui sub suis pastoribus ad vitam æternam assequendam exercentur. Quid in hac definitione est, quod hæretici non probent, quodque genti catholicæ satisfaciat? Non enim memorat legitimos pastores, hoc est, Episcopos à Spiritu Sancto positos gerendarum Ecclesiarum causa; non item Summum Pontificem, qui similiter divinitus est constitutus Ecclesiæ caput, et centrum unitatis; non denique sacramenta, quæ catholicis omnibus eadem sunt, et in quibus hæreticorum longe discrepans ratio est. Non enim, quæ nobis sacramenta sunt, in sacramentis numerant; neque vero quæ habent, talia quædam esse putant, qualia nos credimus. Atque illa sane Cavallarii definitio quadrat etiam in Pseudo-Ecclesias hæreticorum, quæ suos habent pastores, quæque omnes exercere se jactant ad vitam æternam assequendam.

(2) Ex quo intelligitur, quam falsum, et absurdum sit *systema collegiale*, seu societatis *æqualis*, quod novissime placuit Protestantibus (nam longe aliud eorum majoribus visum est); ex quo profluere ajunt illa *jura Ecclesiæ Collegialia, et Majestatica*, quæ Ecclesiæ, veluti collegio æquali, et Principi, tamquam Patrono collegiorum, quæ in suo imperio sunt, attribuunt. Ipsi, etiam saniores Protestantes ineptissimum hoc commentum refutarunt; atque ex eorum numero Gasp. Zeiglerus in præfat. ad tract. de superintend. pluribus ostendit, quam necessaria in Ecclesia sit hæc *inæqualitas, et subordinatio, quæ regendi, et parendi partes distribuit.* . . . Pares, enim, inquit, et æquales ubi esse cupiunt omnes, quid aliud inde sperandum, nisi inordinata confusio, disceptis sententiis, ac præposteris temporibus omnia pessime disturbans? Idem habent Carpovius de jur. Eccles. lib. 2. def. 247., et Voësius de politia Ecclesiastica, aliique complures. Vide Vincentium Lupolum prælect. jur. canon. cap. 5. §. 4. et seq. tom. 1. pag. 141. et seq. ubi Justi Enningii Boehmeri ea de re errores refutantur; ac vide in primis doctissimum Mamachium, S. P. A. Magistrum, ep. 2. ad Justin. Febronium §. 7. n. 19. pag. 235. tom. 1., ubi hæc inæqualis societatis ratio adversus Febronium gravissime, accuratissimeque explicatur.

(3) Confer Melchiorum Canum de loc. Theolog. lib. 4. cap. 1. et ult., à quo imprimis solide, et luculenter refutantur deliramenta eorum, qui invisibilem Ecclesiam fingunt.

(4) Apostolus ad Rom. 10. 14. et seq. Quomodo invocabunt, inquit, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audierunt? quomodo autem audient, sine prædicante.... Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Atque hæc etiam spectat illud Matthæi XVIII. 17.: quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ; si autem non audierit Ecclesiam, sit tibi sicut ethnicus, et publicanus. Pauli I. ad Timoth. III. 15.: ut scias quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi. Lucæ Act. 20. 28. attendite vobis, et universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Num ad Ecclesiam deferri erim, in ea quis versari, eademque regi posset, nisi aperta omnino esset, atque visibilis?

5. Quod si visibilis est Ecclesia, visibili etiam imperio, et administratione regatur necesse est. Qua in re gravissimus est error illorum, qui putant, imperium in hominem ita à Deo esse divisum Civilem inter, atque Ecclesiasticam potestatem, ut hæc

tantum animis, illa vero corporibus imperet, ac jura constituat. Ita scilicet non hominum societas esset Ecclesia, sed animorum, hoc est incideremus in errorem Protestantium de Ecclesia invisibili; neque civilis respublica hominum, sed corporum societate constaret. Quo quid dici potest absurdius, aut exitiosius, non Ecclesiae solum, sed etiam civili reipublicae? Nam si Ecclesia solis animis praeficiatur, non ei licebit ex gr. leges de jeuniis constituere, quoniam eorum observatio solo corpore perficitur; civiles vero leges inutiles erunt omnes, atque ridiculae, cum imperent corpori, quod sine animo parere non potest (1).

(1) Vide Diatrib. de Ecclesiast. potestat. Romae editam an. 1774. à V. Cl. F. Hermanno Dominico Christianopulo, Ord. Praed. §. 1. cap. 1. num. 5. pag. 8. et seq. ubi solide, nervoseque refutantur commenta eorum, qui discrimen civilem inter, atque ecclesiasticam potestatem sic statuunt, ut alteram corporibus, alteram vero animis praesse arbitrentur.

6. Est etiam Ecclesiae proprium, ut ea non collegii sed reipublicae rationem habeat à civili distinctae, et ideo proprio, eoque summo regatur imperio. Sed Protestantes Ecclesiam in civili reipublica collegii instar esse putant, quoniam ea post institutas civitates, atque respublicas orta est. Et cum summum earum imperium sit, consequens esse ajunt, ut ab iis pendere debeat Ecclesia, ne duo sint summa imperia, unde gravis rerum confusio, perturbatioque oriretur.

7. Sed aliae sunt partes Civilis Potestatis, aliae Ecclesiasticae, et utraque habet suum certum, ac definitum genus, in quo summa est. Illa nimirum curat civium commoda, et civilem societatem; altera res sacras, atque divinas. Nullum hic absurdum, et nulla rerum confusio, neque status in statu est, quod iniquum Protestantibus; sed status uterque diversi generis est, et habet uterque provinciam suam, quam transilire non debet (1). Atque in eo quidem omnis est posita vera, atque accurata distinctio Ecclesiasticae, ac civilis potestatis, quod haec est ordinis naturalis, illa supernaturalis (2), altera curat res civiles, ac temporalem hominum felicitatem, altera praest rebûs sacris, atque divinis, et curam gerit eorum, quae ad aeternam beatitudinem pertinent.

(1) Vide Laurentium Veith, Ricerch. System. confut. sect. 2. cap. 5. §. 56 et seq. pag. 325 et seq. August. Vindelic. 1785. et 5. Cl. Franciscum Anton. Zaecaria in Antifebron. tom. 1. dissert. 1. cap. 1. et in Antifebron. vindical. p. 1. dissert. 2. cap. 1.

(2) Vide librum de l' autorité des deux Puissances, editum anno 1781. Tom. 1.

* Perbelle hic exposita habes de summa utraque Potestate canonicae scientiae dogmata. Haec Sacram cum Civili Rem amico foedere consociatam volunt. Inde sap. Pont. Gregorius XVI, gravissimis Encycl. litteris dat. 15. Aug. 1832, in illorum placita invenitur, qui Ecclesiam à Regno separari, mutuanque Imperii cum Sacerdotio concordiam abrumpi discipiunt.

Opportunum hic erit indicare, qualis sit germana Protectionis, quae Civilis Status gubernatoribus erga Ecclesiam defertur, intelligentia; ea potius obligationis, quam juris nomine donanda est: fideliter nempe Ecclesiae servire imponit, non in ipsam dominari sinit. Ita aperte docebat Augustinus, lib. 3. contra Crescon. cap. 51. dicens: *In hoc Reges, sicut eis divinitur praecipitur, Deo serviunt, in quantum Reges sunt, si in suo Regno bona jubeant, mala prohibeant, non solum quae pertinent ad humanam societatem, verum etiam quae ad divinam Religionem.... In hoc ergo serviunt Domino Reges, quum ea faciunt ad serviendum illi, quae non possunt facere nisi Reges.* Et Isidorus Hispalensis: *Cognoscant Principes saeculi Deo debere se rationem reddere propter Ecclesiam, quam à Christo tuendam suscipiunt. Nam sive auceatur pax, et disciplina Ecclesiae per fideles Principes, sive solvatur, ille ab eis rationem exiget, qui eorum potestati suam Ecclesiam credidit.* (caus. 23. quæst. 5. can. 20).

Hisce sententiis consona est Conventio inter Sanctis Dom. Pium IX, et Hispan. Reg. Cath. Elisabeth II. stabilita an. 1851, articulis proxime sequentibus:

«Art. 1. Religio Catholica, Apostolica, Romana, quae, excluso quocunque alio cultu, esse pergat sola Religio Hispanicae nationis, conservabitur semper in tota dilatione Catholicae Majestatis Suae, cum omnibus juribus, ac praerogativis, quibus potiri debet juxta Dei legem, et Canonicas Sanctiones.

»Art. 2. Consequenter, institutio in universitatibus, collegiis, seminariis et scholis publicis, ac privatis quibuscumque, erit in omnibus conformis doctrinae ejusdem Religionis Catholicae; atque hunc in finem Episcopi, et caeteri Praesules Diocæsani, quorum munus est doctrinae fidei, et morum, ac religiosae juvenum educationi invigilare, in hujus muneris exercitio, etiam circa scholas publicas, nullatenus impediuntur.

»Art. 3. Neque ullum prorsus impedimentum ponetur, quo

»iidem Antistites, alique Sacri Ministri in sui officii functione
 »detineantur, nec quispiam quovis obtentu eos molestia afficiet
 »in his omnibus, quæ sui muneris sunt, ad implendis. Imo vero
 »singuli Regni Magistratus studebunt ipsi adhibere, suamque
 »operam dare, ut omnes debitam juxta divina mandata obser-
 »vantiam ac reverentiam illis adhibeant, nec aliquid fiat, quod in
 »eorum dedecus, ac contemptum vergere possit. Aderunt item
 »Regia Majestas ejusque Gubernium potenti patrocinio, ac presi-
 »dio suo Episcopis illud pro re nata postulanti-; maxime autem
 »ubi improbitati obsistendam sit hominum, qui fidelium mentes
 »pervertere, vel eorum mores corrumpere conentur, aut editio,
 »introductio et circulatio pravorum noxiorumque librorum im-
 »pedianda sit.

»Art. 4. In reliquis omnibus, quæ ad jus, et exercitium ec-
 »clesiasticæ Auctoritatis, sacræ quæ ordinationis ministerium per-
 »tinent, Episcopi, eisque subjectus clerus plena illa utentur li-
 »bertate, quam sacri Canones statuunt.» *

8. Iamvero multa sunt, et præclara Divinarum Scripturarum
 loca, ex quibus manifestum est, Ecclesiam à Christo fuisse ins-
 titutam, non instar collegii, sed reipublicæ, quæ res sacras, divi-
 nasque regeret imperio suo. Huc enim spectat ampla illa, quæ
 Apostolis, eorumque successoribus data est, potestas *ligandi, et
 solvendi* (1); huc ea lex, qua ad Ecclesiam deferri jubentur que-
 relæ inter Christianos exortæ; ejus decreto si reus non steterit,
 habendus est tamquam ethnicus, et publicanus (2); huc denique
 illud Christi: *qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit* (3).
 Itaque in ipsum Christum peccat, qui Ecclesiæ non oblemperat.

(1) Matth. 16. 19. 18. 18.

(2) Matth. 18. 17.

(5) Luc. 10. 16. Joan. 15. 20.

9. Verum huc potissimum referenda est ea Christi oratio,
 qua in cælum migraturus usus est, cum Apostolos ad propagan-
 dum in univèrsam orbem Evangelium mitteret: *Data est mihi,
 inquit, omnis potestas in cælo, et in terra; euntes ergo docete omnes
 gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S.,
 docentes eos servare omnia quæcunque mandavi vobis* (1). Quibus
 sane verbis, non solum Apostolis, eorumque successoribus potes-
 tas sit ubique gentium, vel invitis Civitatum Principibus, nun-
 ciandi Evangelium, civesque, quicumque voluissent, baptismo

initiandi, sed etiam in tradita doctrina continendi, et confirman-
 di omnes, qui in Christianam societatem essent cooptati. Quod
 idem est ac præcepisse, ut Christiana institueretur societas, quæ
 leges sibi constitutas observando conservaretur (2).

(1) Matth. 23. 13.

(2) Vid. laudatam Diatrib. *de Eccles. potest. cap. 1. §. 2. num. 7. et
 seq. pag. 19., et Cl. Martinum Gerbertum, Ecclesia Militans, cap. 19.
 tom. 1. pag. 124. seqq.*

40. Neque aliter habere se res ipsa potest. Nam collegium
 non nisi intra certæ civitatis, aut provinciæ fines, veluti in domi-
 nationis loco, constitui potest (1); at vero Ecclesia nullis locorum
 comprehenditur angustiis, sed omnes complectitur gentes, propa-
 gata, atque diffusa per orbem univèrsam. Rursum collegium
 sine venia Principis institui, et coire non potest (2); verum Ec-
 clesia invitis ipsis Principibus et instituta, et confirmata est,
 quoniam Deo potius, quam hominibus parere oportet (3). Deni-
 que collegium recte dissolvitur, si quæ suboriantur causæ,
 propter quas ipsum dissolvendum videatur. Quis autem tam in-
 signiter improbus est, qui id de Christi Ecclesia audeat dice-
 re? (4).

(1) Leg. 1. in princ. ff. de colleg. et corpor.

(2) Leg. 5. ff. cod. lit. Leg. 1. in princ. ff. quod ejusq. univers.

(5) Unde ad Optimates, et Seniores Judæorum: *Petrus vero, et Joan-
 nes respondentes dixerunt ad eos: si justum est in conspectu Dei vos po-
 tius audire, quam Deum, judicate.* Act. 4. 19.

(4) Vide Cl. Mamachium ep. 2. ad Justin. Febronium §. 6. et 7. pagi-
 na 207. et seq. tom. 1., qui gravissime exagitat Puffendorffii de Ecclesiæ col-
 legialitate errorem, quem Febronius sequitur.

41. Satis non erat, quod visibilis, atque ut distincta respubli-
 ca Ecclesia, Deo ipso auctore, constitueretur. Necesse etiam
 erat, eam habere signa quædam, et notas, quibus certo dignosci
 posset à sectis hæreticorum, qui sibi falso decus, nomenque ads-
 cribunt Divinæ Religionis. Ad ea autem signa cum primis perti-
 net Ecclesiæ unitas (1), quæ una fide, eorundem sacramento-
 rum communione, subjectione legitimis Pastoribus (2), et uno vi-
 sibile capite (3) continetur, et cernitur.

(1) Quæ unitas sæpe ab Apostolo laudatur, comparatione humani cor-
 poris: quod unicum est, licet pluribus constet membris, quæ singula suo
 funguntur munere, 1. ad Corint. 12. 27. et ad Ephes. 4. 5, solliciti, in-

quil, *servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati eslis in una spe vocationis vestrae.* Et huc spectat S. Augustinus *serm.* 105. *cap.* 5. *de verb. Dom. ed. Maurin. Venet.* 1751. *tom.* 5. *col.* 556. et S. Cyprianus *in lib. de unit. Eccl. ed. Regaltii, Paris.* 1666. *pag.* 179. et seq.

(2) Matth. 28. 18. *cuntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S., docentes eos servare omnia, quaecumque mandavi vobis:* quibus verbis comprehenditur unitas fidei, sacramentorum, subjectionis. Atque hanc à Christo datam unitatis doctrinam Apostoli, ubi opus fuit, et magis explicarunt, et sedulo tradiderunt; atque huc spectat Paulus *ad Ephes.* 4. 5. 41. 45. 1. *ad Corint.* 10. 17. 12. 15.

(3) Apposite S. Hieronymus *ep.* 15. n. 2. *ed. Vallarsii. Veron.* 1754. *t. A. col.* 58. *ad Damasum P. de hypostasibus:* ego nullum, inquit, primum, nisi Christum sequens, Bealitudini tue, idest, cathedræ Petri communioni consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio... Non novi Vitalem, Meletium respuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, spargit; hoc est, qui Christi non est, Antichristi est. Et *ep.* 16. n. 2. *ad eumd. Damas. col.* 41. qua eum iterum rogat, ut sibi significet, cum quo debeat communicare ex tribus, quos inter Antiochena Ecclesia dividebatur: *Hinc enim, inquit, præsidiiis fulla mundi, Ariana rabies fremit: hinc in tres partes scissa Ecclesia ad se rapere me festinat... ego interim elamito: si quis cathedræ Petri jungitur, meus est.*

12. Similiter Sancta est Ecclesia ex Conditore suo (1), ex fine institutionis, ex mediis ad finem comparatis; quæ sanctitas elucet in doctrina fidei, et morum, atque in ipsa disciplina (2). in sacramentis, quæ instrumenta sunt divinarum in nos gratiarum, in gloria miraculorum, in præclaris Ecclesiæ membrorum virtutibus: denique *Catholica*, hoc est universalis, nullis temporum, ac regionum finibus definita (3); atque *Apostolica* tum propter doctrinam, tum propter ordinis, ad jurisdictionis potestatem, ab ipsis Apostolis repetentem originem, ac perpetuo continenti serie propagatam (4).

(1) *Jesus, ut sanctificaret per suum sanguinem populum .. passus est.* inquit Apostolus *ad Hebræos* 12. 12. atque ex hoc mundo discessurus promisit Apostolis, sese missurum Spiritum sanctitatis, et veritatis, *Joan.* 14. 16. 17. 25. 26.

(2) Etiam in constituenda disciplina Ecclesia regitur à Spiritu S.: ideoque unus, idemque semper est disciplinae spiritus, quamquam illa interdum pro temporum ratione mutetur. Confer Jacobum Zallinger, *Inst. Jur. Nat. et Eccles. public. lib.* 5. §. 519. et seq. *August. Vindelic. an.* 1734., qui omnes Ecclesiæ notas, et characteres solide, accurateque recenset.

(3) Quare Augustinus *ep.* 52. n. 1. *col.* 119. t. 2. *Ipsa est enim, inquit, Ecclesia catholica, unde καθολικὴ græce appellatur, quod per totum orbem terrarum diffunditur; et serm. de tempor.* (si vere est Auctor ejus ser-

monis, quem PP. Maurini Fausto tribunt, et rejiciunt *ad append. t.* 5. *serm.* 242. *col.* 598.) Ecclesiam appellari *Catholicam* inquit, hoc est, *toto orbe diffusam; quia diversorum hæreticorum Ecclesiæ ideo catholice non dicuntur, quia per loca, atque per suas quasque provincias continentur, hæc vero à solis ortu usque ad occasum unius fidei splendore diffunditur.* Vide etiam eundem Augustinum *ep.* 49. *col.* 115. et *in lib. de unitat. Eccles. t.* 9. *col.* 557., qui totus in eo est, ut ex Lege, Prophetis, Evangelio, atque ex Actis Apostolorum *Catholicam* esse Ecclesiam contra Donatistas ostendat: et vide Vincentium Lirinensem, *Commonit. cap.* 5. *in Bibl. Patr. t.* 7. *pag.* 250. *ed. Lugdun. an.* 1677.

(4) Nam post Christum fundamenta etiam præterea Ecclesiæ fuerunt Apostoli, teste Paulo *ad Ephes.* 2. 20. *super ædificati, inquit, super fundamentum Apostolorum, et Prophetarum.*

13. Jamvero omnia hæc signa ad Romanam Ecclesiam pertinent; quo fit, ut ea vera Christi Ecclesia haberi debeat. Nam una ipsa est, sive fide, cum nonnisi ea, quæ ab Apostolis per verbum traditum, aut scriptum accepit, credenda proponat; sive sacramentis, cum eadem illa, quæ Christus instituit numero septem, quæque ad sese perpetua traditione pervenerunt, admistret, atque custodiat; sive demum Pastoribus, qui accepta manuum impositione, rite, et recte propositi Ecclesiæ regimini. communionem junguntur cum Romana cathedra, ad quam omnis Ecclesia conveniat necesse est (1).

(1) Ad Romanam cathedram, ut inquit S. Irenæus *contr. hæres. lib.* 5. *cap.* 5. n. 2. *pag.* 175. *ed. Massueti, Paris.* 1710., *propter potiorem principalem, necesse est omnem converire Ecclesiam.*

14. *Sancta* item est, tum deposito doctrinæ, quod sibi divinitus creditum semper sartum tectum servavit, atque tuetur; tum facta fidelibus copia sacramentorum, præsertim Eucharistiæ, qua ipsum Christi corpus, et sanguis traditur; tum ecclesiasticis regulis, et puro Religionis cultu, quo homines ad veram pietatem instituuntur, atque excitantur; tum præclaris virtutibus, pietate, miraculis eorum, qui Ecclesiam, cujus in sinu educti sunt, illustrent, semperque illustrarunt. *Catholica*, cum diffusa per orbem universum pateat; quum contra singulæ infidelium, atque hæreticorum sectæ, aliæ alibi, suis quæque finibus arcentur. *Apostolica*, tum quod in Petri cathedra numquam intermissa Pastorum successio viget (1), eaque nonnisi per ordinationem, Episcopali manuum impositione factam, ad hæc usque tempora deducitur, tum quod una semper, eademque obtinuit doctrina, quæ Apostolica ætate obtinebat. Atque hæc Ecclesia neque fa-

Here, aut falli (2), neque umquam perimi, ac deleri potest (3).

(1) Recte Augustinus contra epist. Manich. quam vocant fundamenti cap. 4. l. 8. col. 155. cit. ed. Venet. causas significans, propter quas Romanæ Ecclesiæ adhereret, hoc demum ait: tenet me ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum.

(2) Joan. 14. 16. et 26. et 16. 15. Paulus 1. ad Timoth. 5. 15. Hinc S. Fulgentius epist. 5. ad Proh. cap. 5. in Biblioth. Patr. t. 9. pag. 92. ed. Lug. 1677. Ecclesia, inquit, virgo in fide, et charitate persistens, et sapientiam possidet, et virtutem; ideo nec seductione decipitur, nec violentia vincitur, quia internæ virginitatis integritate fulcitur. Et S. Irenæus, contr. hæres. lib. 3. cap. 4. n. 1. pag. 178. cit. ed. non oportet, inquit, adhuc querere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere; cum Apostoli, quasi in depositarium dives, plenissime in eam contulerint omnia, quæ sint veritatis, ut omnis, quicumque velit, sumat ex ea solum vitæ.

(3) Matth. 16. 18. 23. 20. Luc. 21. 52. Et Chrysostomus Hom. 4. in illud Isa. cap. 6. Vidi Dominum t. 6. pag. 122. ed. Monfaucon. Paris. 1724. facilius, inquit, est solem extinguere, quam Ecclesiam deleri. Vide etiam Augustin. in psalm. 103. serm. 2. Tom. 4. col. 1145. ed. cit.

15. At vero nullum ex iis signis, quibus vera Christi Ecclesia dignoscitur, quadrare in Protestantium Ecclesias ulla ratione potest. Neque enim eorum Ecclesia una est, aut fide, in qua variæ sunt, interque se dissentientes illorum confessiones (1); aut in sacramentis, quorum in numero definiendo dispar est omnium fere sententia (2); aut demum Pastoribus, cum quidam nullam agnoscant ecclesiasticam hierarchiam, quidam varium habeant Ecclesiarum regimen, cuncti vero careant uno omnium capite, cum quo conveniant, aut sub quo concilium aliquod instituant (3). Non item Sancta, tum quod sectarum auctores perditos, ac nefarios fuisse homines constat (4); tum quod eorum doctrina plena licentiæ, ac viliorum est. Non Catholica, tum quod non semper fuit, cum hæretici, antequam in errores incidèrent, cum Romana Ecclesia communione jungerentur; tum quod ubique non est, cum Protestantium sectæ, si conjunctim omnes accipiantur, non unum sint, sed inter se valde differant (5), si disjunctim singulæ, modicæ quædam partes sint, quæ universitatem habere non possunt (6). Non demum Apostolica, cum neque Apostolorum sit eorum doctrina, neque Episcoporum successio ab Apostolis repetatur, neque Apostolica sit missio, cum neque Calvinus Episcopus fuerit, neque Lutherus; licet ipse Episcopus ordinare ausus fuerit (7).

(1) Extant hæ confessiones unum in corpus collectæ Genevæ an. 1612. Vide Bossuetum in Histor. variation. Eccles. Protest. et ipsius contra Basnagium defensionem.

(2) Lutherus tria tantum probat sacramenta; quamquam si usu, inquit, lib. de capt. Babylon. tom. 2. opp. pag. 260. Jenæ 1600., Scripturæ loqui velim, non nisi unum sacramentum habeam, et tria signa sacramentalia. Melancton tria videtur agnoscere; Zuinglius matrimonium etiam recenset. Calvinus baptismum tantum, et cœnam retinet, licet etiam ordinationem adicere videatur; denique Dallæus, Minister Calvinianus, quæstionem de sacramentis rem levem, ac nullius momenti esse arbitratur.

(3) Varium est apud Lutheranos Ecclesiarum regimen, Calvinianis nulla est hierarchia, neutris unum omnium caput.

(4) Lutheri flagitia carpit ipse Calvinus, ep. ad Bulingerum, tom. 9. opp. pag. 259. Anstel. 1667.; omnibus vero comperti sunt perditus utriusque mores. Nam hic ab urbe Novioduno, ob infames turpitudines, ab urbe Geneva tamquam seditiosus publice ejectus est; ille vero deseruit Regulare Institutum, quod solemnibus emis-sis votis susceperat, et palam uxorem duxit virginem monialem, ex qua tres filios procreavit. Multa de eo scripsit Jacobus Bossuetus in Histor. Variation., et multa etiam sunt apud Berninium, Istoria di tutte l'eresie, tom. 4, cap. 5.

(5) Angli à Calvinianis, Calviniani à Lutheranis, Lutherani ab Anabaptistis, Anabaptistæ à Zuinglianis communione dissiti, discretique sunt.

(6) Idem dictum volo de schismaticis in Oriente; nam Æthiopes ab Ægyptiis, et Alexandrinis, hi ab Armenis, Armeni à Constantinopolitanis, et hi à Russis invicem separantur.

(7) Late ea de re disputant Theologi: Bellarminus de not. Eccl. lib. 4. c. 8. pag. 88. tom. 2. opp. Venet. 1721., Habert Theolog. dogmat. tom. 1. prol. cap. 5., Contenson. Theolog. ment. et cord. tom. 1. dissert. 1. cap. 1. et seq., Juenin. Inst. Theolog. quæst. 4. cap. 4. art. 4., Bert. in supplem. tom. 5. de loc. Theolog., alique complures.

CAPUT II.

DE ECCLESIE REGIMINE, ET POTESTATE.

16. REGIMEN IN ECCLESIA NECESSARIUM.—17. QUALE HOC SIT?—18. NON DEMOCRATICUM.—19. NEQUE ARISTOCRATICUM, SED MONARCHICUM.—20. MONARCHIE NIHIL DETRAHIT EPISCOPORUM POTESTAS.—21. NIHIL CONCILIUM GENERALE.—22. ET 25. QUOD SUMMO PONTIFICI SUBEST.—24. VERUM CONCILIUM GENERALE CONTRA PONTIFICEM STARE NON POTEST.

Hactenus quæ vera Ecclesiæ natura sit, et quibus ea notis, signisque noscatur, exposuimus; nunc de ejus potestate disputemus. Neque enim societas hominum, qualis Ecclesia est, stare, et consistere potest, nisi imperii auctoritate contineatur, et nisi

Here, aut falli (2), neque umquam perimi, ac deleri potest (3).

(1) Recte Augustinus contra epist. Manich. quam vocant fundamenti cap. 4. l. 8. col. 155. cit. ed. Venet. causas significans, propter quas Romanæ Ecclesiæ adhereret, hoc demum ait: tenet me ab ipsa Sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum successio Sacerdotum.

(2) Joan. 14. 16. et 26. et 16. 15. Paulus 1. ad Timoth. 5. 15. Hinc S. Fulgentius epist. 5. ad Proh. cap. 5. in Biblioth. Patr. t. 9. pag. 92. ed. Lug. 1677. Ecclesia, inquit, virgo in fide, et charitate persistens, et sapientiam possidet, et virtutem; ideo nec seductione decipitur, nec violentia vincitur, quia internæ virginitatis integritate fulcitur. Et S. Irenæus, contr. hæres. lib. 3. cap. 4. n. 1. pag. 178. cit. ed. non oportet, inquit, adhuc querere apud alios veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere; cum Apostoli, quasi in depositarium dives, plenissime in eam contulerint omnia, quæ sint veritatis, ut omnis, quicumque velit, sumat ex ea solum vitæ.

(3) Matth. 16. 18. 23. 20. Luc. 21. 52. Et Chrysostomus Hom. 4. in illud Isa. cap. 6. Vidi Dominum t. 6. pag. 122. ed. Monfaucon. Paris. 1724. facilius, inquit, est solem extinguere, quam Ecclesiam deleri. Vide etiam Augustin. in psalm. 103. serm. 2. Tom. 4. col. 1145. ed. cit.

15. At vero nullum ex iis signis, quibus vera Christi Ecclesia dignoscitur, quadrare in Protestantium Ecclesias ulla ratione potest. Neque enim eorum Ecclesia una est, aut fide, in qua variæ sunt, interque se dissentientes illorum confessiones (1); aut in sacramentis, quorum in numero definiendo dispar est omnium fere sententia (2); aut demum Pastoribus, cum quidam nullam agnoscant ecclesiasticam hierarchiam, quidam varium habeant Ecclesiarum regimen, cuncti vero careant uno omnium capite, cum quo conveniant, aut sub quo concilium aliquod instituant (3). Non item Sancta, tum quod sectarum auctores perditos, ac nefarios fuisse homines constat (4); tum quod eorum doctrina plena licentiæ, ac viliorum est. Non Catholica, tum quod non semper fuit, cum hæretici, antequam in errores inciderent, cum Romana Ecclesia communione jungerentur; tum quod ubique non est, cum Protestantium sectæ, si conjunctim omnes accipiantur, non unum sint, sed inter se valde differant (5), si disjunctim singulæ, modicæ quædam partes sint, quæ universitatem habere non possunt (6). Non demum Apostolica, cum neque Apostolorum sit eorum doctrina, neque Episcoporum successio ab Apostolis repetatur, neque Apostolica sit missio, cum neque Calvinus Episcopus fuerit, neque Lutherus; licet ipse Episcopus ordinare ausus fuerit (7).

(1) Extant hæ confessiones unum in corpus collectæ Genevæ an. 1612. Vide Bossuetum in Histor. variation. Eccles. Protest. et ipsius contra Basnagium defensionem.

(2) Lutherus tria tantum probat sacramenta; quamquam si usu, inquit, lib. de capt. Babylon. tom. 2. opp. pag. 260. Jenæ 1600., Scripturæ loqui velim, non nisi unum sacramentum habeam, et tria signa sacramentalia. Melancton tria videtur agnoscere; Zuinglius matrimonium etiam recenset. Calvinus baptismum tantum, et cœnam retinet, licet etiam ordinationem adicere videatur; denique Dallæus, Minister Calvinianus, quæstionem de sacramentis rem levem, ac nullius momenti esse arbitratur.

(3) Varium est apud Lutheranos Ecclesiarum regimen, Calvinianis nulla est hierarchia, neutris unum omnium caput.

(4) Lutheri flagitia carpit ipse Calvinus, ep. ad Bulingerum, tom. 9. opp. pag. 259. Anstel. 1667.; omnibus vero comperti sunt perditus utriusque mores. Nam hic ab urbe Novioduno, ob infames turpitudines, ab urbe Geneva tamquam seditiosus publice ejectus est; ille vero deseruit Regulare Institutum, quod solemnibus emis-sis votis susceperat, et palam uxorem duxit virginem monialem, ex qua tres filios procreavit. Multa de eo scripsit Jacobus Bossuetus in Histor. Variation., et multa etiam sunt apud Berninium, Istoria di tutte l'eresie, tom. 4, cap. 5.

(5) Angli à Calvinianis, Calviniani à Lutheranis, Lutherani ab Anabaptistis, Anabaptistæ à Zuinglianis communione dissiti, discretique sunt.

(6) Idem dictum volo de schismaticis in Oriente; nam Æthiopes ab Ægyptiis, et Alexandrinis, hi ab Armenis, Armeni à Constantinopolitanis, et hi à Russis invicem separantur.

(7) Late ea de re disputant Theologi: Bellarminus de not. Eccl. lib. 4. c. 8. pag. 88. tom. 2. opp. Venet. 1721., Habert Theolog. dogmat. tom. 1. prol. cap. 5., Contenson. Theolog. ment. et cord. tom. 1. dissert. 1. cap. 1. et seq., Juenin. Inst. Theolog. quæst. 4. cap. 4. art. 4., Bert. in supplem. tom. 5. de loc. Theolog., alique complures.

CAPUT II.

DE ECCLESIE REGIMINE, ET POTESTATE.

16. REGIMEN IN ECCLESIA NECESSARIUM.—17. QUALE HOC SIT?—18. NON DEMOCRATICUM.—19. NEQUE ARISTOCRATICUM, SED MONARCHICUM.—20. MONARCHIE NIHIL DETRAHIT EPISCOPORUM POTESTAS.—21. NIHIL CONCILIUM GENERALE.—22. ET 25. QUOD SUMMO PONTIFICI SUBEST.—24. VERUM CONCILIUM GENERALE CONTRA PONTIFICEM STARE NON POTEST.

16.

Hactenus quæ vera Ecclesiæ natura sit, et quibus ea notis, signisque noscatur, exposuimus; nunc de ejus potestate disputemus. Neque enim societas hominum, qualis Ecclesia est, stare, et consistere potest, nisi imperii auctoritate contineatur, et nisi

leges habeat, quibus ea regatur, et quibus omnes pareant. Ex quo intelligitur, esse in Ecclesia condendarum legum potestatem.

17. Nam Christus, cum homines præfecit, qui visibilem Ecclesiam visibiliter regerent, in eos etiam contulit imperium, quo carere non potest. Quisquis societati præfectus curare debet, ut ea optimis abundet legibus, et institutis, atque ut pœnis etiam coerceantur, qui non obtemperant legibus, quibus reipublicæ salus, et incolunitas continetur. Regendæ enim societatis summa tota est posita in imperandi, puniendique potestate; eam Christus Ecclesiæ dedit; eaque semper Apostoli, ceterique Episcopi, præsertim vero Romani Pontifices, usi sunt (1).

(1) Confer Doujat, *Prænot. canon. lib. 2. cap. 2.*; præ ceteris autem confer clarissimum Mamachium *Orig. et antiquit. Christian. lib. 4. part. 1. cap. 2. §. 5. et cap. 5. pag. 259. et seq. tom. 4.*; ubi de Ecclesiæ potestate, ac regimine graviter, accurateque disputatur.

18. Atque hanc quidem potestatem plerique ex Protestantibus ad Aristocratiam referunt (1); quamquam non desint ex Lutheranis, qui Ecclesiæ regimen democraticum esse contendunt, atque hominum voluntate discrimen inter clericos, et laicos inductum putent (2). Cujus erroris absurdum noverunt etiam plerique ex Lutheranis, et Calvinianis, adeo ut vix dignus sit qui à nobis refutetur. Revera quidquid Christus de Ecclesiæ potestate dixit, non plebi, sed Apostolis dixit, aut omnibus, aut Petro nominatim (3), legesque omnes de rebus ecclesiasticis, non à populo, sed ab Episcopis, ac præsertim à summis Pontificibus, sunt perpetuo constitutæ. Eorum videlicet est, semperque fuit leges condere, curare diligenter, ut ab omnibus observentur, atque in reos criminum animadvertere.

(1) Confer Mamachium *Origin. et Antiq. Christian. lib. 4. part. 2. cap. 1. §. 3. tom. 5. pag. 12. et seq.* ubi horum complures recensentur.

(2) Ineptissimum hunc errorem ipse etiam refutavit Josephus Binghamus, homo videlicet ex Protestantium numero, *Orig. Eccles. vol. 1. lib. 1. cap. 5. pag. 41. et seq. ed. Halæ Magdeburg. an. 1751.* Vide Mamachium *loc. cit. pag. 11. not. 1.*

(3) Quo pertinet Matth. 16. 19. *Tibi dabo claves etc. quodcumque ligaveris etc.* Joan. 21. 15. *seq. Pasce agnōs meos, pasce oves meas.* Matth. 18. 18. *quæcumque alligaveritis super terram etc.* Joan. 20. 25. *quorum remisistis peccata etc.* Hinc Petrus *ep. 1. cap. 5. vers. 2.* ita Episcopus Ponti, Gallatiæ, Cappadociæ, etc. quos Seniores appellat, alloquitur: *pascite, qui in vobis est, gregem Dei; pascere autem idem est ac*

regere, uti patet ex *Ps. 78. v. 71. seq.*, ubi David constitutus divinitus dicitur *pascere Jacob servum ejus*, quod est *regere*; nisi forte velis ab Regibus non gubernari, regique populum, sed insti uti, imbuique doctrina; quo quid fingi potest absurdius? Confer etiam *lib. 2. Reg. cap. 5. vers. 2. et lib. 1. Paral. c. 11. v. 2.* Hujus vero ab Apostolis, eorumque successoribus exercita potestatis pleni sunt Sacræ Scripturæ, et Ecclesiasticæ historiæ libri.

19. Democraticos sequuntur proxime, qui Ecclesiæ regimen errore pari Aristocraticum faciunt (1). Sunt autem catholici, qui puram Aristocratiam respicientes, tamen Monarchiam Ecclesiasticam Aristocratia temperatam volunt. Verum cum inter Catholicos omnes conveniat, Romanum Pontificem jure divino præesse Ecclesiæ universæ, et vero præesse non solum honore, ac loco, sed etiam potestate, et jurisdictione, facile intelligitur, Ecclesiæ regimen monarchica ratione contineri. Nam Monarchiæ nomen designat summum imperium, quod apud unum est.

(1) Videndus Nicolaus Coeffeteus in *libris 14. apologeticis pro sacra Monarchia Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, et Romanæ adv. repub. M. Antonii de Dominis*; et videndus præsertim Mamachius *Orig. et Antiquit. Christianar. tom. 5.*, quo toto fere volumine Aristocraticos doctissime, copiosissimeque refutavit.

20. Nihil autem Monarchiæ detrahit potestas Episcoporum, quæ etiamsi non precaria, sed propria, et nativa sit, tamen cum pendeat à Summo Pontifice non hujus certe monarchica potestas ex illorum potestate imminuitur (1). Christus enim, cum Episcopalem ordinem instituit, nullos distinxit fines Ecclesiarum, quibus singuli Episcopi essent præficiendi; idcirco ea res tota humano jure fieri debuit; fieri autem non potest, nisi auctoritate ejus, qui universam Ecclesiam omnibus præfectus est. Accedit quod Episcopalis potestatis exercendæ modus judicio subest Romani Pontificis, cui non minus ovium, quam pastorum cura commissa est, ut Princeps, et Moderator totius Ecclesiæ, constitueret quidquid ratio temporum, et communis salus postulare videretur (2).

(1) In Concilio Tridentino magna animorum contentione quesitum est, num Episcoporum auctoritas *immediate* à Deo, an potius à Romano Pontifice esset, præsertim Cardinale à Lotharingia. Nam inter catholicos erat disputatio, non inter catholicos, et hæreticos, qua de causa concilium habebatur. Vid. Natal. Alex. *Hist. Eccles. sæc. 15. et sæc. 16. dissert. 13. art. 14. §. 1. et 2. tom. 9. pag. 553. ed. Venet. an. 1776.* Pallavicin. *Histor. Conc. Trid. lib. 13. cap. 14. et 15. et lib. 21. cap. 41.*, et Cl. Zacaria in

Anti-Febronio tom. 2. dissert. 2. cap. 6. Ceterum ut ut immediate à Deo Episcoporum potestas repetatur, nihil id detrahit monarchico Ecclesie imperio, quoniam ea subjecta, et obnoxia est Summo Pontifici, à quo aretari, amplificari, ac tolli etiam potest. Confer Bellerinium *de potest. eccl. Summor. Pontificum et Conc. gener. c. 1. §. 5. et 6. pag. 16. et seq. ed. August. Vindel. an. 1770.* Ita etiam si à Summo Pontifice in Episcopos jurisdictionem derivemus, non inde efficitur, eos meros esse ipsius vicarios, cum ipsa potestas quoad originem suam à Deo sit instituta. Confer Zallinger *loc. cit. §. 363.*

(2) Quo referendum illud Concil. Tridentini *sess. 14. cap. 7. de sacram. pœnitent. ; merito Pontifices Maximi, pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviorum suo potuerunt peculiari iudicio reservare.* Atque huc etiam spectat illud Leonis M. *ep. 14. c. 1. opp. t. 1. col. 636. ed. Baller. Venet. 1753. Vigili ep. 2. ad Eutherium num. 7. tom. 5. Conc. collect. Labbei col. 1295. edit. Venet. ;* aliorumque complurium, Episcopos in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis esse vocatos.

21. Neque Ecclesiastica Monarchia temperationem aliquam Aristocratiae accipere potest ex Concilio œcumenico, quod in ipsum Romanum Pontificem imperii potestate pollere quidam putant. Ego vero Summo Pontifici præstare Concilium nego; et pugnantia eos loqui intelligo, qui cum ex catholicæ fidei doctrina ecclesiasticam monarchiam agnoscant, tamen opinionem illam repente, ut equidem puto, sæculo XIV, ex medio schismatis incendio (1) ortam, et in aristocratiam denique recidentem, sequuntur; id quod non modo à Catholicis reliquis, qui ab eis dissentiant, sed etiam à Prosestantibus (2) animadversum est.

(1) Hæc opinio induci cœpit, meo quidem iudicio, à 1595. , cum alia suis usque ad eam ætatem sententia Majorum nostrorum, quorum nemini unquam in mentem venit Pontificem Maximum Concilii potestati subicere. Quadrat in hanc rem aptissime illud Tertulliani *lib. de præscript. cap. 31. n. 31. pag. 245. ed. Regalii Lutet. Paris. 1654. id esse Dominicum, et verum, quod sit prius traditum, id autem extraneum, et falsum, quod sit posterius immissum.* Vil. Bellerinium *loc. cit. cap. 5. §. 3. num. 20. et seq. pag. 81. et seq. ;* et Veith Richerii *system. consul. sect. 2. c. 1. art. 3. §. 25. et seq. pag. 114. et seq. et art. 3. §. 29. et seq. pag. 143. et seq.*

(2) Jo. Laurentius Mosheimius, in *dissert. de Gallor. appell. ad conc. univers. Eccl. unitatem Ecclesie visibilem tollentibus* ita scribit: *Quod universis, sive singulis Ecclesie præesse Pontificem dicunt, non universæ Ecclesie, id tam mihi scitum videtur, ac si quis affirmaret, membra quidem à capite regi, non vero quæd ex membris constat corpus; aut urbes quidem omnes, villas, et prædia subesse Regi, non vero, quæ his continetur, ipsam Provinciam.* Samuel Puffendorpius, *de habitu Relig. Christ. ad vit. civil. §. 38. ;* habet hæc: *Concilium esse supra Papam thesis est.... Sed quod isti quoque hanc propositionem asserere velint, qui Sedem Romanam omnium ecclesiarum centrum, ac Papam œcumenicum*

Episcopum agnoscunt, id quidem non parum absurditatis habet, cum status Ecclesie Romanæ monarchicus sit, ista autem thesis meram aristocratiam oleat.

22. Revera si monarchiæ ratio in eo est posita, ut omnes uni subjiciantur, eequæ demum erit monarchia, si Romanum Pontificem Episcopis in unum congregatis subjiciamus? At enim in concilio collecti Episcopi, Ecclesiam universam repræsentant, Pontifex vero, quamquam singulis Ecclesiis distributive præsit, *collective* tamen, hoc est Ecclesie universæ, non præest, inquit, ipse, sed subest. Atqui falsum in primis est, Episcopos una collectos, nisi secum habeant Pontificem, qui eos conjungat, et co-pulet, universam Ecclesiam repræsentare. Erunt enim Antislites illi quidem singularum Ecclesiarum, sed Ecclesiam, quæ necessario una est, referre universam non poterunt, nisi inter eos fuerit Summus Pontifex, hoc est, commune unitatis centrum, quo disjunctæ illæ inter se potestates conjunguntur.

23. Atque illud concedendum nullo modo est, Ecclesiam *distributive* caput habere, *collective* non habere, et quod caput *dispersæ* erat, idem *collectæ* repente aliud quodvis membrum evadere. Huc enim redeunt, qui Pontificem Ecclesiis omnibus *distributive* an eponunt, *collective* autem obnoxium faciunt. Atque in primis universitas, quæ ab omnibus in unum collectis conficitur, opus habet capite, à quo regatur; neque unitas Ecclesie universæ, cujus tuendæ, et conservandæ causa Christus et honoris, et jurisdictionis primatum instituit, conficitur à singulis tantum, sed ab omnibus *collective* sumptis, atque in unum coactis. Hinc supra petram non singuli lapides, sed universa Ecclesia ædificata est; claves Petro sunt datæ, non unius alteriusve conclavis, sed regni cælorum universi; ipse jussus est præesse toti gregi, non singulis tantum agnis, et ovibus; denique si fratres singulos, etiam universos confirmare debet (1).

(1) Confer Bellerinium *loc. cit. cap. 4. §. 3. pag. 56. et seq.*

24. Quamquam tota hæc disputatio excogitata est, ut Sedes Apostolica in invidiam rapiatur; cum revera contra Summum Pontificem stare non possit Ecclesia, et concilium, quod vere œcumenicum sit. Ecquod enim erit hoc Concilium, aut collectio totius Ecclesie, cum procul est Romanus Pontifex, hoc est caput, et pars præcipua, ac nobilissima Ecclesie? Itaque in concilio si plerique Patres cum Pontifice consentiant, hæc conspiratio, et

concordia sententiarum nullum relinquet controversiæ locum; sîn vero dissentiant plerique, nihil horum valebit auctoritas, quoniam à capite divulsi, atque sejuncti, Ecclesiam referre, ac repræsentare non possunt.

CAPUT III.

DE CANONE ECCLESIE, ET PRIMUM DE JURE SCRIPTO.

25. JUS CANONICUM.—26. UNDE EJUS NOMEN DUCTUM?—27. EJUS INDOLES, ET PONTES.—28. JUS DIVINUM NATURALE.—29. EJUS FUNDAMENTUM.—30. ET 31. JUS GENTIUM, ET CIVILE.—32. JUS DIVINUM POSITIVUM.—33. EJUS PRÆCEPTA.—34. JUS HUMANUM.—35. DECRETA SUMMORUM PONTIFICUM.—36. EA VEL GENERALIA, VEL SPECIALIA.—37. CANONES CONCILIORUM.—38. CONCILIA GENERALIA.—39. QUID EORUM SIT?—40. QUI HIS INTERSINT?—41. CONCILIA PARTICULARIA, ET EORUM DIVISIO.—42. CONCILIUM PROVINCIALE.—43. CONCILIUM DIOCESANUM.—44. QUANDO, ET A QUIBUS HABEATUR?—45. SS. PATRES.—46. LEGES CIVILES.

25.

Esse in Ecclesia jubendarum legum propriam, et nativam potestatem, demonstratum est; consequens ergo erat, ut ipsa potestate hac divinitus accepta uteretur, suisque legibus, et constitutionibus curaret res sacras, atque divinas. Hinc conditæ leges Ecclesiæ, quas *canones* appellamus, unde juris canonici nomen ortum est. Proprie *canon* est architectorum, aliorumque artificum instrumentum, quo lineæ diriguntur, atque etiam norma, ac regula, ad quam opus omne in mechanicis, atque in liberalibus artibus exigendum est (1).

(1) Vid. Doujat, *Prænot. canon. lib. 1. cap. 21.*

26. Verum peculiari quadam ratione cum apud Græcos, tum apud Latinos *canonis* nomine morum regula significatur (1). Hoc vocabulum suis constitutionibus accomodavit Ecclesia, sive quod abhorret ab imperioso legis nomine, quod violentiam continet corporis coercitionem; sive quod Juris Ecclesiastici dignitas postularet, ut quæ mores hominum formant, regulæ appellarentur; sive demum quod legis nomen apud Hebræos legi Mosaicæ plane hæserat, ut Sinagogæ succedens Ecclesia alio vocabulo constitutiones suas appellandas putaverit.

(1) Hinc ab Euripide jus naturæ *regula honesti* appellatur, atque à

Chrysippo l. 2. ff. *de leg.* lex generatim dicitur *regula justorum, et injustorum.*

27. Dicitur etiam Jus Canonicum *Ecclesiasticum*, aut *Sacrum*, quoniam agit de personis, rebusque sacris, atque ecclesiasticis; item quod Ecclesiastica, hoc est, sacra potestate sit latum: dicitur et *Pontificium*, tum quod magna ex parte à Romanis Pontificibus constitutum est, tum ut à *Cæsareo*, sive civili jure distinguatur. Definitur autem jus illud: *quod ab Ecclesia per Episcopos, præsertim vero per Romanum Pontificem, explicatum, sancitum, vel approbatum est ad rectam Christianorum hominum institutionem.* Constat partim *divinis*, partim *humanis* legibus, partim *scriptum* est, partim vero *non scriptum*.

28. Divinæ leges, quæ Deum ipsum habent auctorem, vel *naturales* sunt, vel *supernaturales*, et *positivæ*. *Naturales* accepi-mus ab ipsa natura, hoc est à Deo, naturæ auctore, iisque discimus, quid Deo, quid nobis ipsis, quid aliis hominibus debeamus. Nimirum Deus ipse per rectam rationem impressit animis nostris amorem, et regulas honestatis, ad quam omnes natura ferimur, cuique perpetuo ad hæreremus, nisi abstraheremur vitiis, pravisque cupiditatibus (1).

(1) Hæc lex est *ratio profecta à rerum natura*, inquit Cicero, *de legib. lib. 2. num. 4. tom. 5. pag. 189. ed. Oliveti Genevæ 1745.*, et ad recte faciendum impellens, et à delicto avocans; quæ non tum denique incipit lex esse, cum scripta est, sed tum cum orta est; orta autem simul est cum mente divina. Nemo hinc, qui peccat adversus juris naturæ præcepta communitè cognita, excusare se potest juris ignorance, ut ait Apostolus ad Roman. 11. 14. et 15.

29. Quidquid hoc jure prohibetur, malum est per se, quidquid jubetur bonum; proinde jus naturæ mutari non potest. Ejus fundamentum est ordinatus amor erga Deum, non ipsos, aliosque homines. Inde fluunt officia omnia naturalis ordinis, quibus tenetur humanum genus, et quæ vel *justitiæ* sunt, sive *absoluta*, et *perfecta*, vel *humanitatis*, et *beneficentiæ*, sive *imperfecta*, vel interdum *justitiæ*, interdum *beneficentiæ*, uti res ipsa sese offert, quæ *hypothetica* appellantur.

30. Ex jure naturæ efficitur *Jus gentium*, quod fere ipsum, est jus naturæ, quo reguntur omnes homines societate conjuncti (1). Atque aliquandiu quidem post orbem conditum fuere familiarum societates, quas Deus ipse inchoaverat, sed nullæ tamen erant societates Civitatum, et Rerumpublicarum, quas dein-

concordia sententiarum nullum relinquet controversiæ locum; sîn vero dissentiant plerique, nihil horum valebit auctoritas, quoniam à capite divulsi, atque sejuncti, Ecclesiam referre, ac repræsentare non possunt.

CAPUT III.

DE CANONE ECCLESIE, ET PRIMUM DE JURE SCRIPTO.

25. JUS CANONICUM.—26. UNDE EJUS NOMEN DUCTUM?—27. EJUS INDOLES, ET PONTES.—28. JUS DIVINUM NATURALE.—29. EJUS FUNDAMENTUM.—30. ET 31. JUS GENTIUM, ET CIVILE.—32. JUS DIVINUM POSITIVUM.—33. EJUS PRÆCEPTA.—34. JUS HUMANUM.—35. DECRETA SUMMORUM PONTIFICUM.—36. EA VEL GENERALIA, VEL SPECIALIA.—37. CANONES CONCILIORUM.—38. CONCILIA GENERALIA.—39. QUID EORUM SIT?—40. QUI HIS INTERSINT?—41. CONCILIA PARTICULARIA, ET EORUM DIVISIO.—42. CONCILIUM PROVINCIALE.—43. CONCILIUM DIOCESANUM.—44. QUANDO, ET A QUIBUS HABEATUR?—45. SS. PATRES.—46. LEGES CIVILES.

25.

Esse in Ecclesia jubendarum legum propriam, et nativam potestatem, demonstratum est; consequens ergo erat, ut ipsa potestate hac divinitus accepta uteretur, suisque legibus, et constitutionibus curaret res sacras, atque divinas. Hinc conditæ leges Ecclesiæ, quas *canones* appellamus, unde juris canonici nomen ortum est. Proprie *canon* est architectorum, aliorumque artificum instrumentum, quo lineæ diriguntur, atque etiam norma, ac regula, ad quam opus omne in mechanicis, atque in liberalibus artibus exigendum est (1).

(1) Vid. Doujat, *Prænot. canon. lib. 1. cap. 21.*

26. Verum peculiari quadam ratione cum apud Græcos, tum apud Latinos *canonis* nomine morum regula significatur (1). Hoc vocabulum suis constitutionibus accomodavit Ecclesia, sive quod abhorret ab imperioso legis nomine, quod violentiam continet corporis coercitionem; sive quod Juris Ecclesiastici dignitas postularet, ut quæ mores hominum formant, regulæ appellarentur; sive demum quod legis nomen apud Hebræos legi Mosaicæ plane hæserat, ut Sinagogæ succedens Ecclesia alio vocabulo constitutiones suas appellandas putaverit.

(1) Hinc ab Euripide jus naturæ *regula honesti* appellatur, atque à

Chrysippo l. 2. ff. *de leg.* lex generatim dicitur *regula justorum, et injustorum.*

27. Dicitur etiam Jus Canonicum *Ecclesiasticum*, aut *Sacrum*, quoniam agit de personis, rebusque sacris, atque ecclesiasticis; item quod Ecclesiastica, hoc est, sacra potestate sit latum: dicitur et *Pontificium*, tum quod magna ex parte à Romanis Pontificibus constitutum est, tum ut à *Cæsareo*, sive civili jure distinguatur. Definitur autem jus illud: *quod ab Ecclesia per Episcopos, præsertim vero per Romanum Pontificem, explicatum, sancitum, vel approbatum est ad rectam Christianorum hominum institutionem.* Constat partim *divinis*, partim *humanis* legibus, partim *scriptum* est, partim vero *non scriptum*.

28. Divinæ leges, quæ Deum ipsum habent auctorem, vel *naturales* sunt, vel *supernaturales*, et *positivæ*. *Naturales* accepi-mus ab ipsa natura, hoc est à Deo, naturæ autem, iisque discimus, quid Deo, quid nobis ipsis, quid aliis hominibus debeamus. Nimirum Deus ipse per rectam rationem impressit animis nostris amorem, et regulas honestatis, ad quam omnes natura ferimur, cuique perpetuo ad hæreremus, nisi abstraheremur vitiis, pravisque cupiditatibus (1).

(1) Hæc lex est *ratio profecta à rerum natura*, inquit Cicero, *de legib. lib. 2. num. 4. tom. 5. pag. 189. ed. Oliveti Geneva 1745.*, et ad recte faciendum impellens, et à delicto avocans; quæ non tum denique incipit lex esse, cum scripta est, sed tum cum orta est; orta autem simul est cum mente divina. Nemo hinc, qui peccat adversus juris naturæ præcepta communitè cognita, excusare se potest juris ignorance, ut ait Apostolus ad Roman. 11. 14. et 15.

29. Quidquid hoc jure prohibetur, malum est per se, quidquid jubetur bonum; proinde jus naturæ mutari non potest. Ejus fundamentum est ordinatus amor erga Deum, non ipsos, aliosque homines. Inde fluunt officia omnia naturalis ordinis, quibus tenetur humanum genus, et quæ vel *justitiæ* sunt, sive *absoluta*, et *perfecta*, vel *humanitatis*, et *beneficentiæ*, sive *imperfecta*, vel interdum *justitiæ*, interdum *beneficentiæ*, uti res ipsa sese offert, quæ *hypothetica* appellantur.

30. Ex jure naturæ efficitur *Jus gentium*, quod fere ipsum, est jus naturæ, quo reguntur omnes homines societate conjuncti (1). Atque aliquandiu quidem post orbem conditum fuere familiarum societates, quas Deus ipse inchoaverat, sed nullæ tamen erant societates Civitatum, et Rerumpublicarum, quas dein-

ceps homines, ratione duce, necessitate suadente iniverunt. Quo temporis cursu non exleges erant homines, cum jure naturæ uterentur, sed nulli erant servi, et nulli item à civili Republica constituti Magistratus, quamquam non deesset, qui illis familiarum societatibus cum potestate præerant, quoniam sine Rectore nulla hominum societas stare potest (2).

(1) Quidam jus gentium dividunt in *primarium*, et *secundarium*; illud vocant jus naturæ, hoc vero peculiaria pacta, quæ inter plerasque gentes conventa sunt, quo referunt jura belli, legatorum, et similia. Sed non inde aliam juris speciem induci posse ostendit Puffendorf. *de jur. natur. et gent.*, lib. 2. cap. 5. §. 25.

(2) Inane, falsumque est commentum illorum, qui tempus fuisse putant, quo homines nulla prorsus societate conjuncti exleges erant, et bestiarum more vitam tradebant. Vid. Jo. Franciscum Finctum *de princip. jur. nat. et gent.* lib. 12. cap. 6. to. 2. p. 299. et seq. ed. Venet. an. 1764, ejusdemque libellum inscriptum *Apologia del genere umano, accusato d'essere stato una volta bestia*; atque in primis vide libellum egregium, et præstantissimum Eminentissimi D. Card. Gerdil, cui titulus: *Discours sur l'homme considéré relativement à l'état de nature, et relativement à l'état de société.*

51. Constitutis societatibus civitatum, et rerumpublicarum, ut consociata multitudo recte, apteque regeretur, instituere oportuit, qui ei imperarent. Harum vero societatum fundamentum esse debuit jus commune omnibus, jus nimirum omnium animis impressum, quod deleri, tollique non potest, et quo initio simplices familiarum societales utebantur. Atque hoc est *jus gentium*, quo omnes gentes utuntur, et quod unum fere, idemque cum jure naturæ est. Verum præter hoc jus, quod non opinio genuit, sed quædam innata vis inseruit, alias etiam addere oportuit leges, quas et populorum indoles, et rerum, ac locorum ratio postulabat. Hinc ortum *Jus civile*, quod leges continet, quas sibi Civitas unaquæque constituit.

52. *Positivæ et supernaturales* leges à Deo traditæ sunt, cum per naturæ rationem hominibus compertæ esse non possent. Statutæ sunt hæ leges arbitrio, ac voluntate Dei, et continentur Sacrorum Bibliorum Veteris, Novique Testamenti codicibus, et Ecclesiæ Catholicæ Traditione explicantur. Complectitur Vetus Testamentum, *moralia* præcepta, quæ ad mores pertinent, *cæremonialia*, quæ cæremonias, ritusque sacrum, *judicialia*, quæ judicia respiciunt.

53. *Judicialia, ac cæremonialia* præcepta adventu Christi sublata sunt; et si qua adhuc vigent, ea servantur, quod ab Ec-

clesia recepta sunt, non tamquam Mosaicæ legis reliquiæ, sed tamquam Apostolorum, atque Ecclesiæ mandata (1). *Moralia* tamen præcepta perpetuo manent; nam ea sunt mandata ipsa juris naturæ, quæ cum vulgo obscurata essent pravis hominum cupiditatibus, Deus ipse restituit, lapideis tabulis à Moyse propositis, quibus ea continebantur. Et vero si certos tollamus dies festos potissimum Dei cultui dicatos, qui lege Mosaica ad Sabata pertinebant, cetera moralia præcepta Hebræorum ab ipsis naturæ legibus nequaquam differunt.

(1) Pluribus id ex causis factum est, potissimum quod Ecclesia, Apostolorum vestigiis insistens, quædam adoptavit, quæ ad rectum Christianæ reipublicæ regimen conducere videbantur. Cujus rei exempla sunt in cap. 1. et seq. de injur., cap. 1. et 2. de adulter., cap. 1. de furtis, cap. 1. de homicid., ubi renovantur pœnæ, quæ sancitæ fuerant in Exodo cap. 21. et 22. contra homicidii, stupri, furti, injuriarum reos. Quæsitum est à viris doctis, utrum Ecclesia *cæremoniales* Mosaicæ leges escitare potuerit. Quia in re secernamus oportet leges illas, quæ mere cæremoniales sunt, uti vestes sacerdotales, altaria, et cetera generis ejusdem, ab iis, quæ cæremoniales, et simul *typicæ* sunt, uti est circumcisio, et similes. Illas quidem Ecclesia renovare potuit, has vero non potuit, quoniam venturi Messiæ typi ejus adventu sublati sunt. Vid. orationem S. Amphiloicii in *Domin. Circumcis.* in *Bibliothec. Patr.* tom. 5, pag. 4060. edit. Lugdun., et Calmet de *circumcis.* effect. inter *dissertationes ejus latinæ*, tom. 2. pag. 187 ad. 493. ed. Lucæ 1759. Licuit quidem aliquo saltem post Christi mortem temporis intervallo cæremonialia Hebræorum præcepta observare: *Act. Apostolor.* cap. 15. ver. 19. 21., et ideo non statim *mortifera* evaserunt, donec Evangelium satis late diffusum, ac propagatum esset, *ut mortua synagoga cum honore sepeliretur.* S. Thomas 1. 2. q. 103. art. 4. Quam rem ita explicat S. Augustinus *ep.* 82. num. 46. tom. 2. col. 495. *indicatæ editionis Venetæ; Sicut defuncta corpora necessariorum officiis deducenda erat (lex velus) quodammodo ad sepulturam, nec simulate, sed religiose; non autem deserenda continuo vel inimicorum obtractationibus, tamquam canum morsibus, projicienda.*

54. Ut à Deo procedit *jus divinum*, ita *humanum* ab hominibus. Ejus autem tres sunt partes; *decreta Summorum Pontificum; Canones Conciliorum; et scripta, atque sententiæ SS. Patrum.* Romanam Ecclesiam matrem, et magistram Ecclesiarum omnium, et summum Pontificem Ecclesiæ universæ caput Christus ipse constituit. Quare si quid ab eo decernitur in commune bonum, id tamquam à D. Petro decretum (1) tenendum à Christianis est, atque esse apud omnes legis loco debet. Feruntur à Pontifice leges ob commune bonum Ecclesiæ, vel nutu ipsius, vel adhibito consilio Cardinalium, et Episcoporum, aut motu

proprio, aut aliquo rogante. Quovis modo lata sit Pontificia lex ea parendi affert necessitatem.

(1) Frequens illud Patrum, et Conciliorum est, quod Petrus per suos successores loquitur. Ita Philippus, S. Cælestini Legatus, in Concilio Ephesino, probantibus ejusdem Concilii Patribus, dixit hæc: *Petrus.... ad hoc usque tempus, et semper in suis successoribus vivit, et judicium exercet.* Concil. Ephesinum act. 3. col. 1154. tom. 5. concil. collect. Labbei edit. Venet. In concilio Chalcedonensi, cum lectæ sunt literæ à S. Leone ad Flavianum datæ, Patres omnes una voce clamaverunt: *Petrus per Leonem ita locutus est:* Conc. Chalcedonense act. 2. col. 1253. tom. 4. Qua eadem formula usi sunt etiam 5. Constantinopolitani Concilii Patres: *Per Agathonem Petrus loquebatur:* act. 18. col. 1090. tom. 7. S. Prosper, contr. collat. cap. 5. num. 3. pag. 184. edit. Venet. 1754., *Sacrosancta*, inquit, *B. Petri Sedes per universum orbem Papæ Zosimi sic ore liquitur.* Postremo, ne omnes colligam, quod longum esset, S. Petrus, Chrysologus, in ep. ad Eutichet. pag. 16. edit. August. Vindelic. 1758., *B. Petrus, inquit, qui in propria sede vivit, et præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem.*

55. Prioribus sæculis Romani Pontifices generales regulas plerumque in Concilio edere solebant (1): sed sæpe etiam litteris ad certas Ecclesias datis, quæ deinceps omnibus communes fiebant (2), mandata, legesque suas comprehendebant. Quas litteras semper Christiani omnes ea, qua par est, reverentia susceperunt, et semper etiam graviores de fide, ac disciplina controversias ad judicium Sedis Apostolicæ detulerunt (3). Pontificum generales sanctiones ad Episcopos, Christianosque omnes datas loquendi usus *Bullas* nuncupavit. Hodie Pontifex si quid pro universa Ecclesia statuit, *Bulla* utitur, aut decreto alicujus Sacræ Congregationis Cardinalium, quod ipse probaverit. Iisdem utitur in privatis quoque negociis; sed hæc plerumque per *Breve* expediuntur.

(1) Vid. S. Leon. ep. 16. cap. 7. tom. 1. col. 724. ed. *Fratr. Ballerin. Venet.* 1755.

N. S. Unde Patres Synodi Tolet. III Can. 1.: *Maneant, ajunt, in suo vigore.... Synodice Sanctorum Præsulum Romanorum Epistolæ.*

(2) Cum Summi Pontifices ad aliquem Episcopum decreta mittebant, quibus omnes obstringi vellent, solebant præcipere, ut eadem aliis atque aliis per litteras nunciarentur. Quare cum Himerius Tarræconensis regularum librum à Siricio accepit, jussus est, ut non solum ad Episcopos suæ provincie sed etiam ad universos *Carthaginienses, et Bælicos, Lusitanos, atque Gallicos, vel eos, qui vicinis tibi collimitant hinc inde provinciis, hæc, quæ à nobis sunt salubri ordinatione disposita, sub litterarum tuarum prosecutione mitantur, uti scriptum est in ejus epistola num. 20. apud Constantium epistol. Romanorum Pontific. col. 657. Paris. 1721. Similiter Zosimus in epistola ad Hesygium Salontanum n. 4. ap. eundem Cons-*

*tantium loc. cit. col. 970. nequid meritis, inquit, dilectionis tuæ derogare-mus, ad te potissimum scripta direximus, quæ in omnium fratrum, et coepiscoporum nostrorum facies ire notitiam, non tantum eorum, qui in ea provincia sunt, sed etiam, qui vicinis dilectionis tuæ provinciis adjunguntur. Quod etiam ex pluribus Leonis M. locis manifestum est. Ita epist. 159 ad Nicetam Aquilejensem cap. 7. col. 1555. to. 1. hanc autem, inquit, epistolam nostram quam ad consultationem tuæ fraternitatis emisimus, ad omnes fratres, et comprovinciales tuos Episcopos facies pervenire, ut in omnium observantia data prosit auctoritas. Hinc quædam Pontificiæ literæ, quæ initio ad certos Episcopos, aut ad certas provincias datæ erant, cum deinceps, ad alios Episcopus, aliasque provincias missæ fuissent, in quibusdam manuscriptis illam in epigraphe additionem acceperunt: et universas provincias. Ita epistola 4. S. Leonis M. inscripta est non solum omnibus per *Campaniam, Picenum, et Tusciam*, ad quos initio data fuisse videtur, sed et *universas provincias constituit*; qua de re vide notas Fratrum Ballerini in eandem epistolam tom. 1. col. 611. Ex quo intelligitur: quemadmodum Pontificiæ leges quæ litteris comprehendebantur, omnibus facile innotescerent, quamquam nullus esset publicus earum codex, uti ostendit Petrus constantius præfat. ad. tom. 1. epist. Roman. Pontif. num. 45. pag. 47. Paris. an. 1721.*

(3) Primo Ecclesiæ sæculo S. Clemens I. à Corinthiorum Ecclesia consultus scripsit, uti narrat S. Irenæus lib. 5. contr. hæres, cap. 2. n. 2. pag. 176. ed. Massueti Paris. 1710., *potentissimas litteras Corinthiis, ad pacem eos congregans, et reparans fidem eorum, et annuntians, quam in recenti ab Apostolis acceperat, traditionem.* Quam epistolam S. Dionysius, Corinthiorum Episcopus, apud Eusebium Eccles. Histor. lib. 4. cap. 23. pag. 187. edit. Vallesi Cantabrigiæ 1720., S. Epiphanius advers. hæres. lib. 1. hæres. 27. num. 6., pag. 107. tom. 1. ed. Pelavii Paris. 1622., S. Hieronymus de Vir. illustr. c. 15. pag. 859. tom. 2. ed. Vallarsii Veron. 1754. alique memorant, quæque extat apud Constantium epistol. Romanorum Pontificum pag. 9., quo opere etiam reliquæ, quæ nunc manent, Summorum Pontificum decretales epistolæ comprehenduntur. Magna pars harum epistolarum temporis injuria perit, ut multæ perierunt, quæ à S. Damaso datæ sunt, et in quibus conscribendis multam ei sese operam præbuisse testatur S. Hieronymus ep. 125. num. 10. tom. 1. pag. 901. Sed tamen certum est, semper cunctas Ecclesias ad Romanam matrem, et magistram omnium graviores controversias detulisse, quod manifestum est ex omnibus Ecclesiasticis monumentis, atque ex decretalibus epistolis Summorum Pontificum, tum quas memorant antiqui Patres, tum quæ nunc etiam extant. Ac dignæ in prius memoratu sunt literæ Sanctissimorum Pontificum Innocentii I., et Leonis M., ex quibus intelligitur, quam multa ex tota Ecclesia negotia omnes ad Sedem Apostolicam deferrent, ut ejus judicio finirentur. Nam ille, scribens ad Patres Concilii Milevitani, ep. 30. apud Constantium col. 895., sese eorum litteras accepisse inquit, *inter cæteras Romanæ Ecclesiæ curas, et Apostolicæ Sedis occupationis, quibus diversorum consulta fidei, ac medicæ disceptatione tractamus; et paulo post ipsis compertum esse ait, quod per omnes provincias de apostolico fonte patentibus responsa semper emanent.* Quod etiam confirmat ipse Innocentius ep. 57. col. 910., ubi testatur, id semper factum fuisse, scilicet omnia ad nos, quasi ad caput, atque ad apicem Episcopatus, referre, ut consulla videlicet Sedes Apostolica, ex ipsis rebus dubiis certum aliquid, faciendumque pronuntiet. Leo autem M., ep. 10. to. 1. col. 634. ed. Ballerin.,

ostendit Apostolicam Sedem innumeris relationibus esse consultam. Illæ quoque spectant litteræ datæ ab Justiniano imp. ad Joannem Summum Pontificem, quæ descriptæ sunt in L. 8. C. de Sum. Trinit. Nec enim inquit Imperator, patitur, quidquam, quod ad Ecclesiarum statum pertinet, quamquam manifestum, et indubitatum sit, quot movetur, ut non etiam vestræ innotescat Sanctitati, quæ caput est omnium sanctarum ecclesiarum.

36. Et cum Pontificiæ leges vel generales sint, vel speciales, quæ scilicet ex certa causa, persona, loco, tempore prodierunt, illæ omnes generalim obstringunt, hæ vero ad illos pertinent, pro quibus editæ sunt (1). Speciales constitutiones etiam rescripta dicuntur, quæ cum altero rogante emitti soleant, illud semper taciti habere censentur, si preces veritate nitantur (2). Quare per subreptionem, atque obreptionem irritum est rescriptum, cum nimirum aliquid falsi narratum est, aut prætermissum veri, quod omnino scire oportebat (3). Sunt autem rescripta vel justitiæ, quæ ad justitiam recte administrandam pertinet; vel gratiæ, quæ ex Principis beneficio, et liberalitate procedunt. Atque hæc spectant privilegia, quæ jus singulare concedunt vel certo homini, vel hominum certo generi, modo ad tempus, cujus generis sunt privilegia personalia, modo in perpetuum, quo vocantur privilegia realia, vel quæ certo personarum generi perpetuo tribuuntur.

(1) Can. 3. dist. 5.

(2) Cap. 2. de rescrip.

(3) Cap. 6. 8. 10. 20. de rescrip. c. 3. de Offic. Vicar.

N. S. Apud nos nullum Breve, nulla constitutio, Rescriptum nullum Sedis Apostolicæ executioni mandari potest, quia prius Placitum Regium, vulgo Pase obtineatur; iis exceptis, quæ emanant à Sacra Pœnitentiaria pro foro conscientiæ. Ita tamen, ut 1 Brevia pro Indulgentiis, et pro recitandis Officio, et Missa in alienius Sancti honorem, Generali Sanctæ Cruciatæ Commissario exhibenda sint: Leg. 8 tit. 3 lib. 2, Novis. Compil. n. 4.

2. Ea vero in quibus conceduntur à Dataria dispensationes ad contrahenda matrimonia, et ordines suscipiendos, vel privilegia ad Oratoria privata, et id genus alia, quæ vocantur gratiosa, Episcopo Diocesis exhibenda sint, ex Leg. 9. ib. n. 7.

3. Reliqua vero, et hæc ipsa, quæ dicuntur gratiosa, quum

vacat Sedis Episcopalis, remittenda sint primæ Gubernii Aulae Supremi Castellæ Senatus, ex præf. Leg. 9. n. 7.

4. Bullæ quævis, quæ Regium respiciunt Patronatum, Supremo Camerae Tribunali examinandæ exhibeantur, ubi quodlibet de ipsarum retentione dubium exortum discutitur, et terminatur: Sanct. 7. tit. 6. lib. 1. vulgo Autos Acordados; Leg. 15. tit. 17. lib. 1. Novis. Compil. Lites vero de ceterarum Bullarum retentione ad Aulam ita adpellatam Justitiæ advocantur: Sanct. 15. cap. 25. tit. 4. lib. 2. vulgo Autos Acordados; Leg. 15. tit. 5. lib. 4. Novis. Compil.

5. Dispensationes ad obtinendas Præbendas ante ætatem à Jure præscriptam, ipsios Castellæ Senatus nomine à Regio Procuratore supplicanda sunt: Ex Regio Decreto 30 Maii an. 1771; Leg. 2 tit. 22. lib. 1. Novis. Compil.

6. Addeis, quod ex Regio Decreto à Supr. Castellæ Senatu edito 11 Septembris an. 1778, pro quibuslibet gratis ab Apostolica Sede impetrandis, iis exceptis, quæ ætatis, et à Sacra Pœnitentiaria conceduntur, ad suum unusquisque Ordinarium accedere debet, ad quem, precibus una cum sui ipsius testimonio ad Supremum Regni Ministerium missis, indulta Regio nomine expedita, et in Supremo Castellæ Senatu perscrutata, remittentur).

* Juxta legem latam 6 Jun. an. 1845, et decretum 22 Sept. proxime sequentis, ad senatum vulgo dictum Consejo Real deferenda nunc est cognitio super admissione vel retentione bularum, brevium ac rescriptorum Ap. Sedis, quorum publicè intersit, ut et super precibus pro obtentione ipsorum, itemque de gravibus negotiis ad Reg. Patronatum spectantibus, ac super recursibus de S. Trident. Concil. protectione.*

57. Partem alteram juris canonici scripti conficiunt canones conciliorum. Quemadmodum conventus hominum deliberandi, vel aliquid decernendi causa instituti Synodi apud Græcos, Concilia apud Latinos dicebantur, ita in Ecclesia utroque nomine appellantur cætus, et consessus Catholicorum Antistitum, qui ecclesiasticis de causis unum in locum convenerunt. Jam inde ab Apostolorum ævo existimatum est, bene Ecclesiæ futuro, si graviora negotia, si controversiæ, disceptationesque componerentur, ac definirentur ab Episcopis in unum congregatis. Quod non semel fecerunt Apostoli, quos inter se convenisse constat, ut alius sufficeretur Apostolus Judæ proditori, ut eligerentur Diaconi, curarenturque viduæ, atque ut Christiani Mosaica lege, et Circumcisione

soluti declararentur (1). Apostolorum exemplum sequuta Ecclesia, sæpe conciliis est usa cum magna christianæ reipublicæ utilitate (2).

(1) Act. Apost. 1. 26. et seq.

(2) Ad nullam tamen fidei controversiam, quantumvis obscuram, definiendam generale Concilium absolute esse necessarium, ostendit Zaccaria in *Antisebron. tom. 2. dissert. 2. c. 11. num. 7.*, et in *Antisebron. vind. part. 2. dissert. 2. c. 7. n. 7.*; quamquam valde utile sit, et interdum etiam pro temporum ratione necessarium esse possit.

(N. S. Prima ex prædictis Synodus, cujus Canones ad nos pervenere, est Illiberitana Regni Granatensis, quarto ineunte sæculo habita.

Varia fuit de hac Synodo Illiberitana doctissimorum hominum opinio. Eam vero multiplici eruditionis copia præclarissimus Ferdinandus de Mendoza ab illegitimalis, et superstitionis nota vindicavit. Quantum vero ad illegitimalis argumenta, quæ excogitarunt recentiores, pauca hic lubet adjicere.

Profecto Berardus in *Gratiam Par. 1. cap. 2.*, licet Canones 54, et 56 ab hæresis, et superstitionis notis vindicavit, alia sibi blanditur invenisse *graviora rationum momenta, ex quibus vir prudens de eorundem Canonum fide, atque integritate hæsitabit. 1. Quod nemo ex Collectoribus antiquissimis ne unum quidem Illiberitani Concilii Canonem Codicibus suis inseruerit; imo neque Martinus Bracarenensis, licet gente Hispanus, quique res saltem patriæ suæ Collectioni adjicere debuisset. 2. Quod tempore Iconoclastarum hæresis, nullus ex hæreticis meminisset Canon. 56, quem tamen potuissent in propriam sententiam quoquomodo detorquere.*

Verum quis jam (hæc Deus!) vel accuratissimo scriptori li-dat, quum Berardus ipse, qui paulo ante in Præfatione *Observat. V.* Martinum Bracarensem dixerit Pannonem, mox ipsum et gente, et patria Hispanum reddiderit? At hæ levissima quidem sunt. Ad primum quod spectat rationis momentum, cedo. Quisnam ex vetustissimis Collectoribus vel unum ex Hispanis Canonibus Codicibus suis inseruit, præter Martinum Bracarensem? Nullus plane. Non ergo mirari est, quod nemo ex Collectoribus antiquissimis ne unum quidem Illiberitani Concilii Canonem Codicibus suis inseruerit. Quod neque Martinus inseruerit, quamvis in Hispania suam efformaverit Collectionem, quid? Nonne Martinus pluriam etiam Synodorum, tum Hispanarum, non meminit, qui

non Collectorem egisse videtur, sed aliquarum, ut ita dicamus, sententiarum selectorem, et Græcarum præsertim versionis emendatorem?

Accedit, quod Martinus, nullum licet Illiberitanum Canonem in suam retulerit Collectionem eos tamen agnovisse ex eo colligere est, quod caput 77 efformaverit ex Canone 20 Synodi Ancyranæ, qui quidem non in alium quam in Canonem 65 Illiberitanum intendit his verbis: *antiqua definitio. Quod quod Arelatenses Canones magna ex parte ex Illiberitanis videantur desumpti; videlicet Canon 4, et 5 Arelatensis 1, ex Canone 62 Illiberitano: Canon 6 ex Canone 59: Canon 9 ex Canone 25: Canon 11 ex Canone 15: Canon 14 ex Canone 75: Canon 2 Arelatensis 2, ex Canone 25 ejusdem Illiberitani Concilii: Canon 8 ex Canone 55? Iusuper quod se retulit immortalis memoriæ Ossius, Canone 14 Synodi Sardicensis dum dixit: *Memini autem superiori Concilio fratres nostros constituisse, ut si quis laicus in ea in qua commoratur civitate tres Dominicos dies, id est, per tres septimanas non celebrasset conventum, communionem privaretur; nisi ad Illiberitanum, qui Canone 21 eandem prorsus ediderat Constitutionem? Quodnam est ergo silentium illud antiquarum nel Collectionum, vel Conciliorum, ut de Illiberitanorum Canonum fide dubitandum sit?**

Ad secundum quod attinet, probe noverant Iconomachi, nihil sibi præsidii ex Canone 56 Illiberitano ducturos, quum non quemlibet imaginum usum, sed depictas tantum in parietibus imagines interdixerit, ea de causa quæ in ipso indicatur Canone, ne infideles, quorum imminet persecutio, eas pro ludibrio haberent).

58. Concilia vel *œcumenica, aut generalia, vel topica, aut particularia* sunt. Ut concilium generale habeatur, tria servare oportet. 1. Concilium indicendum est consensu, et auctoritate Romani Pontificis (1), qui per se ipsum, vel per Legatos suos Concilio præse debet (2). 2. Omnes vocandi sunt ex toto orbe catholici Episcopi; quamquam nihil referat, quod omnes præsentibus non sint. 3. Denique concilii acta à Pontifice sunt confirmanda (5).

(1) *Can. 1. et seq. dist. 17.* Atque id quidem diserte profitentur Patres concilii Constantinopolitani 1. in *epist. synod. ad Damasum*, quæ est apud Theoderetum *Hist. lib. 5. c. 9. pag. 455. ed. Valesii Cantabr. an. 1720;* idemque docent Pelagius II. *epist. 3. ad Episcopos*, quos Constantinopolim vocaverat Joannes, Patriarcha Constantinopolitanus, apud Labbeum *tom. 6. conc. col. 655. et seq. ed. Venet. an. 1728.*, idem præterea Nico-

laus I. ed. ad. univers. Episc. Gallie in Reg. Conc. Collect. t. 22. p. 782. Paris. 1644., atque Hinemarus Remensis opusc. 55. c. 20. tom. 2. p. 451. et seq. ed. Sirmondi Par. 1645. Vil. Christianum Lupum schol. in can. 16. dictat. S. Gregor. VII. to. 5. oper. pag. 234. ed Ven. 1724. qui hoc jus Romano Pontifici late vindicat contra Joannem Launojum, P. Bianchi della potestà è della polizia della Chiesa tom. 4. lib. 2. c. 5. §. 3. p. 512., Ballerinum de potest. eccl. Sum. Pont. et Conc. gener. c. 6. §. 1. pag. 88., Cl. Zacharia in Anti-Febronio part. 2. lib. 4. cap. 1. et seq., et Cl. Thomam M. Carbonum de jur. et leg. disciplina. tom. 3. lib. 22.

(2) Hinc Vitus, et Vicentius, Romani Presbyteri, atque etiam, ut plerique putant, Osius, Cordubensis Episcopus, nomine S. Silvestri, Concilio Nicæno præfuerunt; atque ita deinceps factum est in omnibus conciliis usque ad novissimum Tridentinum.

(N. S. Quod Osius, nominis, et famæ celebritate insignis, ut ait Eusebius lib. 3. de Vita Constant. cap. 7. et Socrates Histor. Eccles. lib. 4. cap. 5. Concilio Nicæno præfuerit, ex eo evincitur, quod Cyzicenus, qui sæculo V ejusdem Concilii historiam ex instituto concinnavit, hanc uni Osiio deferat prærogativam, neque id negat Eusebius sæculi IV scriptor, neque Socrates sæculi V, qui tamen universam Ecclesiæ historiam conscripserunt, non peculiarem Nicæni)

(5) Concilium Nicænum, quod primum ex œcumenicis est, à S. Silvestro, Summo Pontifice, confirmatum fuisse, meo quidem iudicio plane compertum, exploratumque est. Mitto synodicam epistolam Concilii ad Silvestrum, quam describit Baronius ad an. 325. n. 171. tom. 4.º pag. 145. ed. Lucæ, quoniam hujus epistolæ incerta fides est; sed certe ipse Silvester in Concilio Romano an. 525. apud Labbeum tom. 2. Conc. col. 417. ed. Venet., expressis verbis declaravit, se quidquid in Nicæa Bithinæ constitutum est, . . . à sanctis Sacerdotibus trecentis decem et octo suo ore conformiter confirmare. Consonat Felix III., qui in cap. 4. apud eundem Labbeum tom. 3. col. 247., testatur, quod trecenti decem, et octo SS. Patres, apud Nicæam congregati, confirmationem rerum, atque auctoritatem S. Romanæ Ecclesiæ detulerunt. Quod quidem consentaneum est antiquæ regulæ, quam memorant Socrates, Histor. lib. 2. cap. 3. pag. 74. ed. Taur. 1747., inquit: *emon ecclesiasticus vetat, ne decreta absque sententia Episcopi Romanæ Ecclesiæ sanciantur*. c. 47. pag. 85. De Constantinopolitana, deque Ephesina Synodo hoc est II et III œcumenic., fuse agit Bianchius, della potestà della polizia della Chiesa, lib. 2. cap. 5. §. 11. num. 5. et seq. tom. 4. pag. 536. seq., qui ostendit, quas in his duabus synodis partes Apostolica Sedes habuerit, Concilii Chalcedonensis, œcumenici IV. Patres in relationem ad S. Leonem M. eorum, quæ in synodo gesta fuerant, tom. 4. Conc. col. 1778. collect. Labbei edit. Venet., approbati à Summo Pontifice, confirmarique postularunt ea, quæ ipse in Concilio constituerant, et alia quædam, inquit, pro rerum ipsarum ordinata quiete, et propter ecclesiasticorum statutorum definitivam firmitatem, scientes quia et vestra Sanctitas addicens et probatura, et confirmatura est eadem. Similia scribit Marcellianus Imperator ad S. Leonem P., inter et S. Leonis 100. opp. tom. 1. col. 1114. ed. Baller. Venet. 1755., et Anatolius, Episcopus Constantinopolitanus, ib. ep. 101. cap. 5. col. 1134. et epist. 132. c. 4. col. 1265., et sic inquit, *gestorum vis omnis, et confirmatio auctoritati vestræ Beattitudinis fuerit reservata*. Leo M. jus suum agnovit confirmandi Concilii decreta; noluit tamen confirmare privilegia Ecclesiæ Constantinopolitanæ, quæ in ea Synodo fuerant stabilita, uti patet ex ejus litteris

datis ad Anatolium, ad Marcianum cit. tom. 4. Conc. colun. 1785. seqq., atque ad Synodum universam ib. col. 1827., in quibus per suam approbationem gestorum synodalium rata firma se haberi velle declarat tantum ea, quæ de fide fuerant constituta. Videnda est etiam ipsius Leonis ep. 117. ad Julianum Coensem col. 1203. tom. 1. ed. cit., in qua testatur se Chalcedonense Concilium, ut omnem adimat dubitationem iis, qui infirma vel dubia videri volunt statuta Concilii, quæ nulla sunt consensus mei sententia roborata Synodum V. œcumenicam confirmavit Vigilus Pontifex, uti testatur Evagrius histor. eccles. lib. 4. cap. 58. pag. 579. ed. Taurin. 1748., patetque ex Vigilli epistola Decretali apud Labbeum tom. 6. Concil. col. 259. seqq., in quam epistolam videnda est Dissertatio P. de Marca ib. col. 245. seqq. Synodi IV. confirmationem, datis ab Agathonem litteris, apud Labbeum tom. 7. Concil. col. 1110. postularunt ejus Concilii Patres his verbis: *quam ut iterum per honorabilia vestra rescripta confirmetis, vestram oramus paternam Sanctitatem*. Mitto cetera œcumenica Concilia, ne longus sim, atque in Tridentino consistam, ejus Patres, cum hanc in Romano Pontifice auctoritatem manifesto deprehenderent, dederunt operam, ut quæ in concilio decreta fuerant, à Pio IV. confirmarentur. Pontifex igitur concilii decreta confirmat, atque iis etiam recte derogat, quod in primis sit sæpissime in impedimento cognationis intra quatum gradum, quod est inductum à Concilio Lateranensi IV. Atque neutrum facere posset Romanus Pontifex, nisi concilio præstaret.

39. Generalium conciliorum duo sunt potissimum: definire catholicum dogma, atque ecclesiasticam disciplinam constituere. Atque illa quidem, quæ in œcumenicis conciliis de fidei dogmatibus sancita, et à Summo Pontifice approbata sunt, divinam obtinent auctoritatem; quæ disciplinam respiciunt, eorum quoque sancta est autoritas, tum quod hi canones Spiritu Dei conditi habentur, tum quod ecclesiasticam disciplinam moderari semper pastorum fuit proprium, et præcipuum munus. Verum hujusmodi canones, qui de disciplina sunt, uti postulat ratio temporum, non raro immutantur, quo spectat illud Augustini (1); *concilia plenaria priora posterioribus immutari*.

(1) Confess. lib. 3. cap. 7. col. 93. tom. 1. et de baptism. lib. 2. cap. 3. tom. 98. col. 96. cit. ed. Venet.

40. Generalibus conciliis, præter Episcopos, intersunt etiam, atque subscribunt S. R. E. Cardinales, qui certe eo jure usi sunt in conciliis Lugdunensibus I. et II. itemque Moderatores, sive, ut vocant Generales Ordinum Regularium, et Abbates ab Episcopo benedicti. Principes quoque, et Imperatores, vel per se ipsos, vel per Legatos suos, adesse consueverunt; sed ut præsentia sua omnes in officio continerent, atque ad exitum perducenda curarent, quæ ab Episcopis sancita fuerant; non ut quidquam de

rebus sacris, atque divinis constituerent (1). Quin etiam interdum vocatos constat Presbyteros, et Diaconos, aliosque Clericos, præsertim ut adversus hæreticos disputarent (2).

(1) *Expedit, ut Reges, et Principes, inquit in tract. de reform. Eccl. cap. 6. inter opera Jo. Gersonii tom. 2. col. 915. ed. Antwerpæ 1706. Cardinalis Petrus de Alliaco, militant ad generalia Concilia, non ad onerandum, confundendum, sed ad honorandam et confortandam Ecclesiam, et ad ea, quæ ibi decreta fuerint, quantum in eis est, exequendum. Et recte Osius apud S. Athanasium. Hist. Arian. ad Monach. c. 44. tom. 1. part. 1. p. 293. ed. Maurin. Palavii an. 1777. agebat Constantino Imperatori: Ne te rebus miscèis ecclesiasticis: neu novis his de rebus præcepta mandes, sed à nobis potius hæc ediscas. Tui Deus imperium tradidit, novis ecclesiastica concedidit. Ad quemadmodum qui tibi imperium subripit, Deo ordinali repugnat, ita metue, ne si ad te ecclesiastica pertrahas, magni criminis reus fias. Vid. Eusebium in vit. Const. lib. 4. cap. 24. pag. 638. ed. Valesii Cantabrigiæ an. 1720. Quod Iulientius expressit Marcianus Imperator in Concilio Calcedonensi act. 6. apud Labbeum tom. 4. col. 1475. et Valentinianus apud Sozomenum lib. 6. cap. 7. pag. 227. edit. Valesii Cantabrig. an. 1720.*

(2) *Id. de Nicæna Synodo testatur Eusebius Eccles. histor. lib. 3. cap. 7. et 8. pag. 580. et 581. cit. ed. Valesii: et dignus præsertim memoratu est Athanasius, qui adhuc Diaconus huic synodo interfuit, ut adversus Arianos disputaret. Presbyteri et alii clerici interdum etiam ad concilium veniebant tamquam Procuratores absentium Episcoporum. Qua in re magnum inter orientalia, et occidentalia concilia discrimen erat. Nam in orientalibus absentis Episcopi procurator eum tenebat locum, quem Episcopus ipse tenere debuisset; in occidentalibus snum post omnes Episcopos locum habebat. Vide Christianum Lopum in not. ad can. 7. Conc. Trullani tom. 3. oper. pagin. 64. ed. Venet. 1724.*

41. Particularia, aut topica concilia alia à Patriarchis, alia à Metropolitibus, alia ab Episcopis convocantur. Patriarcha omnes sui Patriarchatus, Metropolitæ omnes Provinciæ Episcopos vocat; atque lex Patriarchalis concilii omnes afficit Patriarchatus ecclesias, concilii autem Provincialis ecclesias omnes Provinciæ. Si Metropolitæ, aut Primas; vel Patriarcha concilio, totique nationi præsit, concilium nationale appellatur.

(N. S. Quod ad Hispaniam attinet, quum negotia tractanda erant, quæ vel ad fidem roborandam spectarent, vel ad reparandam communem universæ Nationi disciplinam, vocabantur Episcopi ex toto quæ late patebat Regno ad Concilia celebranda, quæ ideoque dicta sunt Nationalia. Hoc evincere est ex Syn. Tolet. IV. Canone 5. in quo statuitur, ut saltem semel in anno Concilium celebretur; ita tamen ut si fidei causa est, aut quælibet alia Ecclesiæ communis, generalis Hispaniæ, et Gallitiæ Synodus celebretur; si vero nec de fide, nec de communi Ecclesiæ utilitate tractabitur, speciale erit Concilium uniuscujusque Provinciæ, ubi Metropolitanus elegerit pe-

ragendum. Unde quum Flavius Reccaredus de ejuranda palam una cum suis Gotthis Ariana hæresi cogitaret, à qua jam pridem ex animo penitus abhorrebat, Episcopos Provinciarum, Carthagenensis, Lusitanæ Gallitiæ, Beticæ, Tarracoenensis, et Narbonensis ad Regiam Toletanam Urbem invitavit, ubi celeberrimum omnium Conciliorum Nationalium habitum est, et in quo gloriosissimo Catholici episcopi decoratus est.)

42. Provinciale concilium tertio quoque anno habendum est à Metropolitæ (1), eove impedito, aut vacua sede, ab Episcopo provinciæ antiquiore (2); convenireque jussu ejus debent omnes provinciæ Episcopi, Abbates, et quotquot venire consueverunt; quin etiam Episcopi exempti, quibus eligendus est vicinus aliquis Metropolitæ, ad cujus provinciæ synodum accedant (3). Omnes hi concilio interesse coguntur; et si justa causa impediatur, procuratorem mittere, et excusationem debent (4). Ea vero, quæ in Concilio provinciali sunt constituta, antequam promulgentur, mittenda sunt ad Sacram Congregationem Concilii, ut emendetur si quid minus recte decretum sit (5); quin etiam interdum à Summo Pontifice confirmantur. Verum hæ confirmatio non efficit, ut canones extra provinciam, in qua sunt conditi, vim consequantur (6).

(1) *Conc. Trident. sess. 24. cap. 2. de reform. Olim vero provincialia concilia bis in annis singulis haberi debebant can. 2. dist. 13. Canon. Apostolor. 58. seu 30. apud Cotelierum PP. Apostolic. pag. 447 tom. 1. ed. Amstelædani an. 1724. Concilium Nicæna. can. 5. tom. 2. col. 53. collect. Labbei ed. Venet.*

(N. S. In Hispania prudenti consilio visum est Patribus nostris latam à Concilio Nicæno legem pallulam temperare in Conc. Tolet. III. Can. 18: *Consulta itineris longitudine, et paupertate Ecclesiarum Hispaniæ, semel in anno, in loco quem Metropolitanus elegerit, Episcopi congregentur... die Kalendarum Novembrium.* Id ipsum decrevit Syn. Tolet. IV. præfatio Can. 3. quorum vestigiis in hærens Tolet. XII ad annuam Synodorum celebrationem iterum coegit Can. 12, scilicet *juxta priorum Canonum instituta.* Cogebantur utique semel in anno, aut saltem frequentissime Concilia, ita ut tam vehementi doloris sensu tacti videantur in Præfatione ad Syn. Tolet. XI, eo quod per quindecim, aut decem et octo annorum spatium inter se nequiverint convenire, ut in hæc verba erumpere cogentur: *Res voliva gaudii, et dies nimium optatæ gratulationis occurrunt; in quo nobis datum est conspiciere pariter, et deslere, quid lachrymarum de præteritis Domino deberemus. Eramus enim hucusque pro labentis sæculi colluvione instabiles, quia annosa series temporum substrata luce Conciliorum, non tam vitia auxerat, quam matrem unium errorum in viciis otiosioribus mentibus ingrebat.* Et merito, errorum quippe, abusorum, et collapsæ Ecclesiæ disciplinæ nulla alia reddi potest causa, quam Conciliorum præmissio: nam nulla res disciplinæ mores ab Ecclesia Christi magis depulit, quam Sacerdotum negligentia, qui contemptis Canonibus, ad corrigendos

Ecclesiasticos mores Synodum facere negligunt. Ita Patres Syn. Tolet. IV. Can. 3, alias 4. Unde Hispaniarum Ecclesia, etsi cogere in unoquoque anno Concilia non poterit, frequentissimos tamen habuit sæculo VII Sinodorum conventus. Inopinato vero Saracenorum incursu Hispania exagitata, siluisse omnino dixeris Concilia sæculis VIII, IX, et X, donec dira à religiosissimis Regibus excussa tyrannide, restituta est antiqua Conciliorum collectio.

Jure merito laudandus est Philippus V, qui suo diplomate 27 Maii an. 1721 præfatam Tridentinam Constitutionem Hispanis Episcopis servandam injunxit, ita ut Toletanus Archiepiscopus primam Provinciale Synodum convocaret, *Legesis Adnotationem 12 ad Tit. 4 Lib. 2, vulgo Autos Acordados.*

Inter Synodos Provinciales post Tridentinum habitas, eminent quinque Mediolanenses, à S. Carolo Borromeo celebratæ; duæ Toletanæ, alia item Valentina, alia Compostellana, alia Casarugustana; Tarraconensè quoque complures, hinc Limanæ, tres Mexicanæ, aliæque.

(2) Vid. Fagnanum in cap. 23 de accusat. num. et Benedictum XVI. de Synod. Diæces. lib. 2. cap. 9. §. 3.

(3) Conc. Trident. sess. 24. c. 2. de reform. Vocandos etiam esse Canonicos Ecclesiarum cathedralium, non tamen invitos cogendos esse ad veniendum, ostendit Benedictus 14. loc. cit. lib. 5. cap. 4. §. 1.

(N. S. Synodis Provincialibus Hispanis, non modo Suffraganei Episcopi interfuere, sed Abbates etiam exenti, et nonnumquam etiam Canonici Capitulorum Procuratores. Presbyteros quoque interfuisse, et cum Episcopis consedisse, Illiberitani, Tolet. 1 et 4 Conciliorum acta demonstrant.)

(4) Can. 9 et 10 dist. 18. Synod. Emerit. can. 5.

(5) Sixtus V. in Cons. Immensa 117. tom. 4. part. 4. Bullar. postrem. Edit. Roman. pag. 396.

(N. S. Ex Conciliis Provincialibus in Hispania post Tridentinum celebratis, pars à Summis Pontificibus in forma Brevis, pars à Sarra Congregatione, nonnullis quandoque adjectis emendationibus, approbata sunt.—De forma vero, qua olim concilia haberi consueverunt, si forte inquiras, vide sis syn. Tolet. IV. Can. 4.)

(6) Confer Benedictum XIV. loc. cit. lib. 13. cap. 5. §. 4 ubi etiam aliquot provincialia concilia à Summo Pontifice approbata recensentur.

Hac de re legendus tractatus de Concilio Provinciali Theologico-canonicus, auctore B. Bouix, Parisi nuper in lucem editus, ejus non sine laude meminit S. PP. Pius IX. litteris ad eundem missis die 20 Decemb. an. 1851.

43. Episcopus autem vocat ad Concilium suum, quod Diæcesanum dicitur, Archipresbyteros, Archidiaconos, et ceteros, qui Dignitatem habent, Personatum, Officium Vicarium generalem, et Vicarios foraneos (1), Parochos, et omnes, nemine prorsus excepto, qui curam habent animarum (2), præterea Capitulum Ecclesiæ Cathedralis, et Canonicos Collegiarum (3) Abbates sæculares, atque etiam Regulares, qui generalibus Capitulis non subduntur (4), cunctosque exemptos, qui alioquin sublata exemptione, ad synodum venire deberent (5).

(1) Consule Benedictum XIV. loc. cit. lib. 3. cap. 3. Quin etiam inter-

dum simplicia quoque beneficia obtinentes, ad synodum venire debent, uti ostendit ipse Benedictus loc. cit. cap. 6.

(2) Ita Regulares, omnesque exempti ab Episcopi jurisdictione venire ad synodum debent, cum habent curam animarum, Conc. Trident. sess. 24. cap. 2. de reform.; eademque lege teneretiam Capellanos Religiosis Hierosolymitanæ, decrevit S. Pius V. Constit. 104. tom. 4. par. 3. pag. 49. Bullar., et Gregorius XIII. Constit. 125 §. 5. loc. cit. pag. 456.

(3) Vid. Benedictum XIV. loc. cit. lib. 5. cap. 4.

(4) An etiam Abbates, qui dicuntur nullius diæcesis, ad Episcopi synodum venire compellantur, disputat Benedictus XIV loc. cit. lib. 5. cap. 1. §. 16.

(5) Conc. Trident. sess. 24. cap. 2. de reform.

44. Habenda sunt hæc concilia annis singulis (1); quæque ibi decreta sunt, obstringunt diæcesim universam. Ea jure indicit Episcopus electus, et confirmatus, haud vero Archiepiscopus, antequam pallium acceperit (2), neque Episcopus Titularis (3), neque Vicarius generalis, nisi peculiarem ea de re potestatem ab Episcopo impetraverit (4), neque Vicarius capitularis, nisi post annum ab proxime habita synodo (5), neque demum Vicarius Apostolicus, non impetrata venia à Summo Pontifice (6).

(1) Conc. Trident. sess. 24. cap. 2. de reform.; idque sub pœnis à jure statutis, quæ recensentur dist. 18 per totam. Quam deinde Constitutionem suo roboravit decreto Syn. Tolet. an. 1565. act. 2. reform. cap. 6. Ex privilegio tamen Pii V. Constit. 7 Decembris an. 1610. Indiarum Episcopi possunt Synodi celebrationem ad duodenum differre. (N. S.)

(2) Vid. Benedictum XIV. loc. cit. lib. 2. cap. 5. et 6. Sunt vero quidam Episcopi, qui à Sede Apostolica pallium obtinuerunt, sed eos habere synodum posse, etiam antequam pallium acceperint, ostendit ipse Benedictus cit. cap. 6.

(3) Benedictus XIV. ib. cap. 7.

(4) Benedictus XIV. ib. cap. 8.

(5) Ib. cap. 9.

(6) Quod intelligendum modo in litteris, quibus Vicarius Apostolicus est constitutus, non sit expressa facultas, quæ ut plurimum exprimi solet, habendæ synodi; nam si hæc expressa fuerit, dubitandi locus esse non potest, quin ei synodum habere liceat. Ceterum si Vicarius Apostolicus sit constitutus, ut regat Ecclesiam quæ vacua est propter Episcopi obitum, aut translationem, is in cogenda synodo utitur eodem jure, quo Vicarius Capitularis. Vide Benedictum XIV. loc. cit. cap. 10.

(N. S. Hactenus explicatis quatuor Conciliorum generibus, duo alia adjici posse monet Benedictus XIV. de Syn. Diæces. Lib. 1. cap. 1.; Regia nimirum, et Mixta, scilicet ex Provincialibus, et Diæcesanis.

Concilia Regia, dicta interdum Comitia, ea sunt, quæ ex

Episcopis æque constant, ac ex Optimatibus, et Comitibus Regni, ut omnium suffragiis leges condantur ad utramque politiam, ecclesiasticam scilicet, et civilem, constituendam. Hujus generis Concilia frequentia fuisse Constantinopoli, observat Thomas de V. et N. *Eccl. Disc. Part. 2. Lib. 5. cap. 46*; frequentissima vero in Galliis salis constat. Namque pientissimi Galliarum Reges, ac præcipue Carolus M. et Ludovicus Pius, recte observante Baluzio in notis ad Capitularia Regum Francorum *Tom. 2. col. 1028*, nihil grave decernebant sine Episcoporum et Magnatum consilio; quod ipsimet latebantur in suis Edictis, quorum vetustissima formula edita à Bignonio in *Notis ad Marculphum Lib. 1. cap. 25* hæc erat; *Nos una cum Apostolicis viris Patribus nostris Episcopis, Optimatibus, ceterisque Palatii nostri Ministris* etc. Regiis hisce Conciliis vel Princeps præerat, vel vice regia Comes Palatii: Bignonius *ibid.*

Hujus generis fuisse videntur in Hispania Conventus Legionensis sub Alphonso V. Legionis, an. 1012. Cojacensis sub Ferdinando I Castellæ, an. 1050, Palentinus sub Imperatore Alphonso VII, an. 1129, in quibus Ecclesiasticæ simul et Civiles constitutæ sunt leges. Inde colligas, Concilia Toletana, quæ sæculo VII ad reparandam Ecclesiæ disciplinam habita sunt, perperam ab aliquibus inter mixta recenserent, ex eo quod Reges, Proceresque interfuerint. Ita sane sentiant. At ad Concilia quoque mixta adjiciant necesse est generalia, quibus Reges, vel Regii Oratores ac Procuratores adstiterent.

Illud hic omnino animadvertendum, in Regiis hisce Conciliis, licet ubi de civili politia ageretur, æque Episcopi, ac comites conspiraverint; at tamen in ecclesiasticis discutiendis, finiendisque negotiis præcipuas Episcoporum fuisse partes: id quod tum ex pluribus, tum vel maxime ex eorundem Actis evincitur, in quibus plerumque decretorum fidem, moresque spectantium auctoritas nonnuisi Episcopis tribuitur; tum Regem, et optimates iisdem tantummodo consensisse adjicitur. Qua de re Canon 10 Synodi Suessionensis an. 744 à Pipino convocata sic concipitur: *Si quis hoc Decretum, quod viginti tres Episcopi cum aliis Sacerdotibus, vel Servis Dei una cum consensu Principis Pipini, vel optimatum Francorum consilio constituerunt, transgredi voluerit* etc. Porro hic Principis, et optimatum consensus mirum sane quantum conferret; quum Civilis Potestatis auxilio, et Episcoporum sanctiones facilius executioni mandarentur, et collapsæ disciplinæ felicius, ac facilius mederi posset.

Concilia Mixta quod spectat, profecto in antiquis Ecclesiasticis monumentis Concilia quædam occurrunt à Rom. Pontificibus habita, quibus præter Clerum Urbis Romæ, Episcopi aliquot interfuerent, aliique viri Ecclesiastici, qui in Urbe fortuito versabantur. Ejusmodi fuisse videtur Concilium Romanum an. 251, de quo Cornelius *Epist. ad Ciprianum 46* hæc scribit: *Omni igitur actu ad me perlato, placuit contrahere Presbyterium. Adfuerunt etiam Episcopi, qui et hodie præsentibus fuerunt* etc. Concilium quoque ab Agathone Papa in Basilica Constantiniana congregatum est ex sexdecim Episcopis, et universo Clero Romano componendis rebus Ecclesiæ Britannicæ. Tum Synodus occurrit à Gregorio M. habita, cui subscripsisse legimus Episcopos duos et viginti, et Presbyteros tres supra triginta. Jam vero hi Episcoporum, Presbyterorumque cætus Provinciæ Romanæ Concilia recte dici posse videntur: Presbyteri enim una cum Episcopis Synodis Provincialibus aliquando interfuerent. (V. §. 42. not. 3.) Porro Concilia Mixta omnino dicenda videntur, quæ tum alibi, tum vel maxime in pluribus Regni Neapolitani Civitatibus, aliquando R. Pontifices celebrarunt, quum nulla Episcoporum totius vel Provinciæ, vel Dioceseos Romanæ indictio, sive convocatio præcessisset, at dumtaxat Clero Romano, sive Cardinalibus, nonnullisque diversarum Provinciarum Præsulibus, qui præsto erant, ex tempore congregatis. Videsis Cabassutium *Dissert. de Urban. et Popular. Synodis*, et Cl. Gagliardum *Institut. Jur. Can. lib. 1. tit. 4. cap. 1.*

Illud hic tantummodo cum Thomassino, *part. 2. lib. 3. cap. 43*, libet animadvertere, Constantinopoli, quum satis magno numero Præsules ibi continenter versarentur, quamdam veluti perpetuam fuisse Synodum, cui Regiæ Urbis Antistes præsidebat, ac difficiliores quasque Ecclesiæ Orientalis causas cognoscebat, ac definebat. In ejusmodi Synodo Nectarius Constantinopolitanus Episcopus de causa judicavit Agabii, et Gabadii, qui de Bostrensi in Arabia Episcopatu contendebant. (Jus Orient. *part. 1. pag. 247*); Chrysostomus Gerontium, Nicomediensem in Bithynia Episcopum, deposuit. Sozomenus *lib. 8. cap. 8*; aliaque graviora negotia identidem discussa, ac definita occurrunt.

In Hispania frequentissima erant Concilia Mixta: quum enim ex Concilio Toletano VIII Canone 6, *convicini Toletanæ Sedis Episcopi* in Regiam Urbem *singulis per annum mensibus* convenire tenerentur, Reges, pro sua erga Ecclesiam pietate, Episcoporum sibi in gravissimis Republicæ definiendis negotiis consilium ex-

quirere consueverunt; unde id factum est, quod Hispani Episcopi Regii, iique nati *Consiliarii* adpellentur).

(*) Hunc tamen titulum solis Regis Administris reservavit decretum la- tum die 25 Januar. 1351.

45. Denique tertia pars juris humani scripti *Sanctorum Patrum sententiis* continetur. Non hæc porro sententiæ suo jure Christianos obligant, cum SS. Patres non latores legum sint, sed interpretes tantum, atque doctores. Verum tamen scitum est, eos fidem probabilem facere, si complures, certam vero, si plerique omnes in eadem sententia conveniant. Quin etiam Summi Pontifices plures unius, alteriusve Patris sententias in juris corpus retulerunt; atque hæc Pontificia auctoritate vim legis habent. Appellantur autem *Sancti Patres* pii illi, doctique viri, qui præsertim usque ad duodecimum Ecclesiæ sæculum, res divinas scriptis illustrarunt, quorumque opera ab Ecclesia probata sunt, et magna ex parte ad nos pervenerunt (1).

(1) Sancti Patres nobis sunt, ut inquit S. Vincentius Lirinensis in *commonitor. cap. 59. pag. 261. tom. 7. Biblioth. Patr. ed. Lugd., qui in fide, et communiione Catholica sancte, sapienter, constanter viventes, docentes, et permanentes, vel mori in Christo fideliter, vel occidi pro Christo feliciter meruerunt. His enim post Apostolos Sancta Ecclesia, ut inquit, S. Augustinus lib. 2. contr. Julian. Pelagian. cap. 10. tom. 10. col. 549. et 552. plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, pastoribus, nutriloribus crevit; et hi quod invenerunt in Ecclesia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod à patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt.*

46. Placuit etiam summis Pontificibus in corpus Juris Canonici referre leges quasdam civiles, eductas potissimum ex codicibus Theodosiano, et Justiniano, atque ex Capitularibus Regum Francorum (1). Verum hæc omnia non suo jure pertinent ad Canonicam Jurisprudentiam, quæ tota propria est Ecclesiæ, sed tantum legem faciunt, quoniam à Romanis Pontificibus sui juris corpore comprehensa, et proposita sunt, ut legis loco essent.

(1) *Capitularia* continent leges Regum Francorum, quæ hoc nomine appellantur, quoniam *capitulatim* fere omnes edicebantur. Proprie leges ipsæ *capitula*, et singulæ capitulorum ediciones *capitularia* dicebantur. His capitulis intererant etiam Episcopi, ideoque in iis de rebus quoque ecclesiasticis agebatur. Non omnia tamen capitula legis nomine constituebantur, in quo errat Stephanus Baluzius, qui de cetero hæc capitularia magna doctrina, magnoque studio, ac diligentia collegit. Vide Diatribam de

Ecclesiast. vit. institut. etc. Romæ editam an. 1478. à V. Cl. Hermanno Dominico Christianopulo sec. 5. §. 53. pag. 46., ubi multa de his capitularibus præclara observantur.

CAPUT IV.

DE JURE NON SCRIPTO.

47. TRADITIO. — 48. DIVINA, VEL HUMANA. — 49. UTRISQUE DISCRIMEN. — 50. CONSUETUDO.

47.

Jus non scriptum *traditione* comprehenditur, et *consuetudine*. Traditionis nomine intelligimus *mandata*, quæ non scripto, sed *viva voce* populis nunciata sunt, et Ecclesiæ observata consensu, quasi per manus tradita, ad nos pervenerunt. Maxima semper in Ecclesia fuit Traditionis auctoritas, et qui eam despiciunt, plectuntur pœna anathematis à Concilio Tridentino (1). Non enim omnes oportuit Ecclesiæ res scripto mandare, satisque fuit, si in pectore Sacerdotum servarentur, cum traditione, tum Ecclesiæ usu quotidiano. Hujus disciplinæ causas viri docti copiose, et diligenter explicarunt (2).

(1) *Sess. 4.*

(2) Egregie S. Basilius apud Gratian. *can. 5. dist. 41.* inquit: *Dogmatum, et Institutionum, quæ in Ecclesia servata sunt, alia quidem habemus ex doctrina, quæ literis consignata est, et alia vero ex Apostolorum traditione ad nos transmissa in Mysterio recepimus. Quæ utraque eandem vim ad pietatem habent, atque his sane nemo contradixerit, qui vel exigua legum ecclesiasticarum perilia sit præditus. Et paulo post: Non enim iis contenti sumus, quorum Apostolus, et Evangelium mentionem fecerunt; sed alia quoque cum antea, tum post dicimus, utpote quæ magnum momentum ad ipsum Mysterium habeant doctrina non scripta, sed tradita eruditi. Vid. S. Hieronym. in *Dialog. advers. Lucifer. c. 8. tom. 2. col. 180. ed. Vallarsii. S. Agustin. lib. 2. cap. 7. contr. Donat. tom. 9. col. 102. et contr. Julian. Pelag. lib. 5. cap. 25. et 24. tom. 10. col. 640. Melchior. Can. de loc. Theolog. lib. 5. cap. 5. Constant. in præf. ad epist. Roman. Pontific. par. 2. num. 51. pag. 56.* Pertinet etiam ad traditionis necessitatem ostendendam disciplina *arcana*, quam ab ipsa Christi, et Apostolorum memoria repetit, quamque egregie præter ceteros illustravit Emanuel Schelestratus peculiari dissertatione *De disciplina arcana*.*

(N. S. Qui Apostolis successere Episcopi, christianam plebem suæ curæ commissam non nisi sacrarum litterarum auctoritate, apostolicisque institutis moderabantur. Apostoli enim Episcopis, ac Presbyteris à se ordinatis non

quirere consueverunt; unde id factum est, quod Hispani Episcopi Regii, iique nati *Consiliarii* adpellentur).

(*) Hunc tamen titulum solis Regis Administris reservavit decretum la- tum die 25 Januar. 1351.

45. Denique tertia pars juris humani scripti *Sanctorum Patrum sententiis* continetur. Non hæ porro sententiæ suo jure Christia- nos obligant, cum SS. Patres non latores legum sint, sed inter- pretes tantum, atque doctores. Verum tamen scitum est, eos fi- dem probabilem facere, si complures, certam vero, si plerique omnes in eadem sententia conveniant. Quin etiam Summi Ponti- fices plures unius, alteriusve Patris sententias in juris corpus retulerunt; atque hæ Pontificia auctoritate vim legis habent. Ap- pellantur autem *Sancti Patres* pii illi, doctique viri, qui præ- sertim usque ad duodecimum Ecclesiæ sæculum, res divinas scriptis illustrarunt, quorumque opera ab Ecclesia probata sunt, et magna ex parte ad nos pervenerunt (1).

(1) Sancti Patres nobis sunt, ut inquit S. Vincentius Lirinensis in *com- munitor. cap. 59. pag. 261. tom. 7. Biblioth. Patr. ed. Lugd., qui in fide, et communiione Catholica sancte, sapienter, constanter viventes, docentes, et permanentes, vel mori in Christo fideliter, vel occidi pro Christo feliciter meruerunt. His enim post Apostolos Sancta Ecclesia, ut inquit, S. Augus- tinus lib. 2. contr. Julian. Pelagian. cap. 10. tom. 10. col. 549. et 552. plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, pastoribus, nutriloribus cre- vit; et hi quod invenerunt in Ecclesia, tenuerunt; quod didicerunt, do- cuerunt; quod à patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt.*

46. Placuit etiam summis Pontificibus in corpus Juris Cano- nici referre leges quasdam civiles, eductas potissimum ex codici- bus Theodosiano, et Justiniano, atque ex Capitularibus Regum Francorum (1). Verum hæc omnia non suo jure pertinent ad Ca- nonicam Jurisprudentiam, quæ tota propria est Ecclesiæ, sed tantum legem faciunt, quoniam à Romanis Pontificibus sui juris corpore comprehensa, et proposita sunt, ut legis loco essent.

(1) *Capitularia* continent leges Regum Francorum, quæ hoc nomine appellantur, quoniam *capitulatim* fere omnes edicebantur. Proprie leges ipsæ capitula, et singulæ capitulorum ediciones *capitularia* dicebantur. His capitulis intererant etiam Episcopi, ideoque in iis de rebus quoque ec- clesiasticis agebatur. Non omnia tamen capitula legis nomine constituaban- tur, in quo errat Stephanus Baluzius, qui de cetero hæc capitularia magna doctrina, magnoque studio, ac diligentia collegit. Vide Diatribam de

Ecclesiast. vit. institut. etc. Romæ editam an. 1478. à V. Cl. Hermanno Dominico Christianopulo sec. 5. §. 53. pag. 46., ubi multa de his capitulari- bus præclara observantur.

CAPUT IV.

DE JURE NON SCRIPTO.

47. TRADITIO. — 48. DIVINA, VEL HUMANA. — 49. UTRISQUE DISCRIMEN. — 50. CONSUETUDO.

47.

Jus non scriptum *traditione* comprehenditur, et *consuetudine*. Traditionis nomine intelligimus *mandata, quæ non scripto, sed viva voce populis nunciata sunt, et Ecclesiæ observata consensu, quasi per manus tradita, ad nos pervenerunt.* Maxima semper in Ecclesia fuit Traditionis auctoritas, et qui eam despiciunt, plec- tuntur pœna anathematis à Concilio Tridentino (1). Non enim omnes oportuit Ecclesiæ res scripto mandare, satisque fuit, si in pectore Sacerdotum servarentur, cum traditione, tum Ecclesiæ usu quotidiano. Hujus disciplinæ causas viri docti copiose, et di- ligenter explicarunt (2).

(1) *Sess. 4.*

(2) Egregie S. Basilius apud Gratian. *can. 5. dist. 11. inquit: Dogma- tum, et Institutionum, quæ in Ecclesia servata sunt, alia quidem ha- bemus ex doctrina, quæ literis consignata est, et alia vero ex Apos- tolorum traditione ad nos transmissa in Mysterio recepimus. Quæ ultra- que eandem vim ad pietatem habent, atque his sane nemo contradixerit, qui vel exigua legum ecclesiasticarum perilia sit præditus. Et paulo post: Non enim iis contenti sumus, quorum Apostolus, et Evangelium mentionem fecerunt; sed alia quoque cum antea, tum post dicimus, ut- pote quæ magnum momentum ad ipsum Mysterium habeant doctrina non scripta, sed tradita eruditi. Vid. S. Hieronym. in *Dialog. advers. Lucifer. c. 8. tom. 2. col. 180. ed. Vallarsii. S. Agustin. lib. 2. cap. 7. contr. Donat. tom. 9. col. 102. et contr. Julian. Pelag. lib. 5. cap. 25. et 24. tom. 10. col. 640. Melchior. Can. de loc. Theolog. lib. 5. cap. 5. Constant. in præf. ad *epist. Roman. Pontific. par. 2. num. 51. pag. 56.* Pertinet etiam ad traditionis necessitatem ostendendam disciplina *arcani*, quam ab ipsa Christi, et Apostolorum memoria repetit, quamque egregie præter cete- ros illustravit Emanuel Schelestratus peculiari dissertatione *De disciplina arcani.***

(N. S. Qui Apostolis succedere Episcopi, christianam plebem suæ curæ commissam non nisi sacrarum litterarum auctoritate, apostolicisque institu- tis moderabantur. Apostoli enim Episcopis, ac Presbyteris à se ordinatis non

modo haud pauca fidei dogmata tradiderunt, quæ scriptis non consignaverant, verum et nonnullas præceptiones curam animarum, Ecclesiæque politiam spectantes docuerunt, quæ longo tempore hominum memoria conservatæ sunt. Unde in controversia de Paschate utraque pars traditionibus apostolicis, altera Petri, et Pauli, altera Joannis, et Philippi, ad sententiam adstruendam suam utebantur.

His quoque litteris instituebantur Hispaniarum Episcopi, et Presbyteri; his doctrinis Populum instituebant. Subortas, si quando controversias, vel ipsi cum Presbyteris Episcopi, vel in unum collecti Comprovinciales dirimebant, expetito nonnumquam à celebriori ex vicinioribus Episcopis consilio. Id nobis aperte indicat, quod in causa Basilidis, et Martialis evenisse, refert Cyprianus *epist.* 68, qui de ordinationibus Episcoporum ab Hispaniarum Ecclesia interrogatus, respondet, non se ad scriptas canonum sanctiones conferens, sed ad illud, *quod traditione divina, et Apostolica observatione tenebatur.*

48. Traditio vel *divina*, vel *humana* est. Divina auctorem habet Deum ipsum; humana Ecclesiarum Rectores, hoc est Apostolos, vel eorum successores Episcopos, quibus placuit nonnulla decernere voce, et prædicatione (1). Hinc humana traditio vel *Apostolica*, vel *Ecclesiastica* appellatur, prout ab Apostolis, vel ab Episcopis proficiscitur.

(1) Multi sunt, qui Apostolicas traditiones in *mere Apostolicas*, et *Divino-Apostolicas* dividendas putant; illas vocant, quæ ab Apostolis, tamquam Ecclesiarum Rectoribus, originem repetunt, has contra, quæ à Christo immediate Apostolis, ab his vero Ecclesiæ viva voce datæ sunt, atque ad nos usque transmissæ. Sed hæc divisio naturam, atque originem confundit traditionis cum modo, per quem ea propagatur. Quidquid à Deo procedit divinum est, neque discrimen aliquod inducere potest modus, quo ad nos delatum est, cum eius originem divinam esse constat. Quare omnis traditio, quam Apostoli Christi ore, aut Spiritu S. dictante acceptam, ad nos transmisserunt, ut Christi præcones, et Christi nomine loquentes, divina haberi debet. Ac si aliam traditionum divisionem educere velimus ex modo, quo ea propagatur, etiam traditiones Ecclesiasticas *Divino-Ecclesiasticas* appellavimus, quandoquidem etiam Ecclesia divinas traditiones ad nos transmittit.

49. Inter divinas, et humanas traditiones magnum discrimen est. Nam illæ ad catholicum dogma pertinent, vim eandem habent, quam habent Sacræ Scripturæ, observandæ sunt in Ecclesia universa, quæ illas abrogare non potest, quamquam ejus tantum sit interpretari divinas traditiones, easque ab humanis secernere. Quo fit, ut ea solum divina traditio haberi debeat, quæ talis Ecclesiæ judicio existimatur (1). Contra vero humanae traditiones Ecclesiæ disciplinam respiciunt, et mutantur ab Ecclesia, cum id ejus utilitatis, necessitatis ratio postulat (2), denique etsi interdum universales esse possint, pleræque tamen cer-

lis continentur regionibus, neque ad totam Ecclesiam pertinent (3).

(1) Cum unitati Religionis in primis obsit doctrinæ christianæ incerta fides, hinc constituenda non est auctoritas aliqua, cui in discernendis traditionibus sine metu erroris adherere possimus. Quæ auctoritas uni Ecclesiæ data est. Quare omnis traditio, quæ hujus judicii caret auctoritate, in pretio haberi non potest; et apposite S. Augustinus in celebri illa de rebaptizandis hæreticis controversia *lib.* 2 *cap.* 52 *contr. Crescon.* t. 9, col. 450, cit. ed. Venet. *Non accipio*, inquit, *quod de baptizandis hæreticis, et schismaticis B. Cyprianus sensit, quia hoc Ecclesia non accipit, pro qua B. Cyprianus sanguinem fudit.* Habet autem Ecclesia quosdam canones ad cognoscendam vim, et naturam traditionis, de quibus late disputant Scriptores rerum Theologicarum.

(2) In quo tamen caute semper Ecclesiam rem omnem egisse, docet Innocentius in *epist.* 17 num. 9 ad *Episcop. Macedon.* col. 355. et *epist.* 25. ad *Decent. Episc. Eugub.* col. 355 apud *Constantium.*

* V. Card. J. Soglia *Inst. Jur. Pub. Eccl.*; Prænot., cap. 2, §. 20.*

(3) Ita ex gr. non eadem ubique est in pervigiis Sanctorum jejunandi ratio. Sed ecclesiasticæ universalis traditionis illustre exemplum est in *biduo ante pascha absque divinatorum sacramentorum celebratione transigendo*, quam in tota Ecclesia semper observatam Innocentius I. in *epist.* 25. num. 7. ad *Decent. Episc. Eugubin.* ap. *Constantium* col. 359. et ap. *Gratian.* dist. 5. can. 15. de *consecr.*, ex Ecclesiæ institutione ad Apostolorum imitationem, educit his verbis: *Utiq; constat Apostolos biduo isto et in mæore fuisse, et propter metum Judæorum se occuluisse. Quod utiq; non dubium est, in tantum eos jejunasse biduo memorato, ut traditio Ecclesiæ habeat isto biduo sacramenta penitus non celebrari.* Quomodo autem traditio ab Ecclesia Romana ad alias transire deinceps possit, et vim ubique obligandi consequatur, docet ipse Innocentius *loc. cit.* num. 2.

50. Consuetudo jus est *inductum moribus hominum, et usu diuturno, quæ vim habet legis, modo honesta sit, laudabilis, ab omnibus diu servata, tacito, aut expresso Pastorum consensu introducta.* Ea sæpe recedimus à jure scripto, interdum non recedimus; illam consuetudinem *contra jus*, et hanc *præter jus* appellamus. Utraque consuetudo opus habet frequentia actuum, quibus inducatur (1), voluntate ejus inducendæ in illis, qui eam servare debent (2), consensu Legislatoris, qui novum hoc jus observari consentiat (3), diuturnitate temporis, quod in consuetudine *contra jus* esse debet annorum quadraginta, decem vero in consuetudine *præter jus*, quod longum tempus in jure est (4). Cum hæc servata sunt, non modo consuetudo legi vim adimit, sed etiam vim tantam habet, ut ei recentiori lege non dérogetur, nisi id nominatim conscriptum, cautumque sit (5). Decreta tamen Concilii Tridentini contraria consuetudine tolli non possunt (6).

(1) Confer Cujac. *observ. lib. 10. cap. 1. tom. 5. col. 525. edit. Mutin. seu Venet.*

(2) *Leg. 55. ff. de legib.* Ceterum jus consuetudinis vim nullam habet, si quid populus agat voluntarie, ac sine animo suscipiendæ obligationis; quemadmodum pii quidam, diuturnique usus jejunandi, aut orandi, cum de- sit voluntas populi, nullam obligationem inducunt.

(3) *Cap. 18. de præben.*

N. S. *Leg. 52. Dig. de Leg. Leg. 6 Tit. 2 Partit. 1.* Neque enim con- suetudo præscribitur, ubi Legislator reclamet. Quas quidem condiciones ad veram generandam consuetudinem necessarias constituit Alphonsus Sapiens toto *Titulo 2 Partit. 1.*

(4) Confer Interpretes in *Cap. 25. de verb. signific. cap. 5. de offic. Ordin. in 6. et Leg. 2. et 5. C. quæ sit lmg. consuet.*

(5) *Cap. 1. de Constit. in 6.* Quare Trilentini Patres in decretis re- formationis omnes contrarias consuetudines etiam immemorabiles expresse abrogare voluerunt; parique ratione utuntur Legislatores omnes tum pro- fani, tum ecclesiastici, cum novas constitutiones emittunt.

(6) Pius IV. *Constit. in Principis 109. in Bullar. Magn. ult. edit. Rom. tom. 4. par. 2. pag. 214.*

CAPUT V.

DE ANTIQUIS JURIS CANONICI COLLECTIONIBUS.

51. ORIGO COLLECTIONUM CANONICARUM.—52. EARUM RATIO.—53. CANONES APOSTOLORUM.—54. COLLECTIO LECTA IN CONCILIO CHALCEDONENSI.—55. CO- LLECTIO JO. SCHOLASTICI.—56. EIUS NOMOCANON, ET ALIÆ GRÆCORUM COLLEC- TIONES.—57. INITIUM COLLECTIONUM CANONUM APUD LATINOS.—58. GRÆCORUM CODEX LATINE REDDITUS.—59. COLLECTIO DIONYSII EXIGUI.—60. METHODUS HUIUS COLLECTIONIS.—61. COLLECTIO HADRIANA.—62. COLLECTIONES AFRICANÆ, GALLICANÆ, ET FULGENTII FERREANDI.—63. COLLECTIO CRESCONII ET ALIÆ.—64. COLLECTIO ISIDORI MERCATORIS.—65. CAPITULA FALSO ADSRIPTA HADRIANO.—66. ISIDORI COLLECTIONIS AUCTORITAS.—67. ROMÆ SERO COGNITA.—68. FALSA SUNT MONUMENTA EA COLLECTIONE COMPREHENSÆ.—69. CURAB ISIDORO CONFICTA?—70. TOTA COLLECTIO SPECTAT AD ARGENDAS EPISCOPORUM ACCUSATIONES.—71. CANONES PŒNITENTIALES, COLLECTIONES REGINONUS BURCHARDI, IVONIS.

51.

Patefactis fontibus Juris Canonici, reliquum est ut videamus, quemadmodum ab iis fontibus deducti sint Canones, atque in unum corpus collecti, ne incerto vagarentur, atque ut omnibus facilis innotescerent. Vix ulla in initio novas leges condere opus fuit; sed labentibus annis, cum multa quotidie inciderent, quæ regulis indigebant, quibus apte componerentur, oportuit evul- gare canones; quod factum ab Ecclesia est non modo Constanti- no Imperatore, cum quiete, et tranquillitate Ecclesiæ data, sua

Christianis libere permessa Religio est, sed etiam cum ipsi ethni- corum jugo premerentur. Hinc aucto in dies Canonum numero, visum est eos ex multis Conciliis collectos in unum corpus con- ferre, idque primum in Orientali, tum in Occidentali Ecclesia factum est.

52. Variæ variis temporibus prodire hujusmodi canonum collectiones; sed non eadem omnium ratio fuit. Aliæ canones integros, aliæ contractos, quædam solum canones, quædam cano- nes simul, et leges habent, atque hæc à Græcis *Nomocanones* ap- pellantur. Quod attinet ad methodum, in antiquioribus servata est ut plurimum ratio temporum, in recentioribus materiarum, scilicet ad certa capita, et titulos relati sunt canones, ut materia ipsa postulare videbatur. Nos primum *antiquiores* persequemur Juris Canonici collectiones, postea *recentiores*, quibus hodie in scholis, et in foro utimur, denique explicabimus *jus novum*, quod postremo editum est.

53. Antiquissima, cujus mentio sit in ecclesiasticis monu- mentis, est collectio *Canonum Apostolorum*, quos Græci numerant *octoginta quinque*, Latini tantum *quingenta* (1). Prodiit hæc collectio una cum *libris octo Apostolicarum Constitutionum* nomi- ne Clementis Romani Pontificis (2), ac fuerunt, qui eas regulas Apostolis tribuendas putarent (3). Sed cum earum nulla sit men- tio apud illos, qui tribus prioribus sæculis res Ecclesiæ scriptis illustrarunt (4); cum in iis multa sint, quæ cum Apostolorum ætate componi nulla ratione possunt (5), et quædam etiam, quæ Ecclesiæ doctrinæ adversantur (6); cum demum viri fuerint doctrina, et auctoritate graves, qui eos apocryphos judica- rent (7): certum omnibus, exploratumque est, eos Apostolis ad- scribi non posse (8). Unum autem in corpus collecti videntur III., aut forte etiam IV Ecclesiæ sæculo, potissimum diversis ex syno- dis, atque ex ea disciplina, et legibus, quibus per tria priora sæcula Orientales Ecclesiæ regebantur (9).

(1) Revera Dionysius Exiguus tantum quingenta retulit Canones Apos- tolorum, ejusque exemplum sequuti sunt in suis Collectionibus Cresconius, Isidorus Mercator, alique apud Latinos canonum collectores. Quare in con- cilio Romano, quod habitum est anno 789, Stephano III. Pontifice *act. 4 co- llect. Labbei tom. 8. col. 485 ed. Venet.* habentur hæc: *non amplius sus- cipiantur Apostolorum Canonum prolata per S. Clementem, nisi quin- quaginta capita, quæ suscipit Sancta Dei Catholica Romana Ecclesia.* Quod etiam constitutum est *can. 5. dist. 16.* Itaque Viri docti in *can. 2. dist. 16* legendum esse animadvertunt *quingenta*, non *sexaginta*, quæ tæ- men Decretalis Zephyrino Pontifici attributa ab Isidoro Mercatore conficta est.

(1) Confer Cujac. *observ. lib. 10. cap. 1. tom. 5. col. 525. edit. Mutin. seu Venet.*

(2) *Leg. 55. ff. de legib.* Ceterum jus consuetudinis vim nullam habet, si quid populus agat voluntarie, ac sine animo suscipiendæ obligationis; quemadmodum pii quidam, diuturnique usus jejunandi, aut orandi, cum de- sit voluntas populi, nullam obligationem inducunt.

(3) *Cap. 18. de præben.*

N. S. *Leg. 52. Dig. de Leg. Leg. 6 Tit. 2 Partit. 1.* Neque enim con- suetudo præscribitur, ubi Legislator reclamet. Quas quidem condiciones ad veram generandam consuetudinem necessarias constituit Alphonsus Sapiens toto *Titulo 2 Partit. 1.*

(4) Confer Interpretes in *Cap. 25. de verb. signific. cap. 5. de offic. Ordin. in 6. et Leg. 2. et 5. C. quæ sit lmg. consuet.*

(5) *Cap. 1. de Constit. in 6.* Quare Trilentini Patres in decretis re- formationis omnes contrarias consuetudines etiam immemorabiles expresse abrogare voluerunt; parique ratione utuntur Legislatores omnes tum pro- fani, tum ecclesiastici, cum novas constitutiones emittunt.

(6) Pius IV. *Constit. in Principis 109. in Bullar. Magn. ult. edit. Rom. tom. 4. par. 2. pag. 214.*

CAPUT V.

DE ANTIQUIS JURIS CANONICI COLLECTIONIBUS.

51. ORIGO COLLECTIONUM CANONICARUM.—52. EARUM RATIO.—53. CANONES APOSTOLORUM.—54. COLLECTIO LECTA IN CONCILIO CHALCEDONENSI.—55. COLLECTIO JO. SCHOLASTICI.—56. EIUS NOMOCANON, ET ALIÆ GRÆCORUM COLLEC- TIONES.—57. INITIUM COLLECTIONUM CANONUM APUD LATINOS.—58. GRÆCORUM CODEX LATINE REDDITUS.—59. COLLECTIO DIONYSII EXIGUI.—60. METHODUS HUIUS COLLECTIONIS.—61. COLLECTIO HADRIANA.—62. COLLECTIONES AFRICANÆ, GALLICANÆ, ET FULGENTII FERREANDI.—63. COLLECTIO CRESCONII ET ALIÆ.—64. COLLECTIO ISIDORI MERCATORIS.—65. CAPITULA FALSO ADSRIPTA HADRIANO.—66. ISIDORI COLLECTIONIS AUCTORITAS.—67. ROMÆ SERO COGNITA.—68. FALSA SUNT MONUMENTA EA COLLECTIONE COMPREHENSÆ.—69. CURAB ISIDORO CONFICTA?—70. TOTA COLLECTIO SPECTAT AD ARGENDAS EPISCOPORUM ACCUSATIONES.—71. CANONES PŒNITENTIALES, COLLECTIONES REGINONUS BURCHARDI, IVONIS.

51.

Patefactis fontibus Juris Canonici, reliquum est ut videamus, quemadmodum ab iis fontibus deducti sint Canones, atque in unum corpus collecti, ne incerto vagarentur, atque ut omnibus facilis innotescerent. Vix ulla in initio novas leges condere opus fuit; sed labentibus annis, cum multa quotidie inciderent, quæ regulis indigebant, quibus apte componerentur, oportuit evul- gare canones; quod factum ab Ecclesia est non modo Constanti- no Imperatore, cum quiete, et tranquillitate Ecclesiæ data, sua

Christianis libere permessa Religio est, sed etiam cum ipsi ethni- corum jugo premerentur. Hinc aucto in dies Canonum numero, visum est eos ex multis Conciliis collectos in unum corpus con- ferre, idque primum in Orientali, tum in Occidentali Ecclesia factum est.

52. Variæ variis temporibus prodire hujusmodi canonum collectiones; sed non eadem omnium ratio fuit. Aliæ canones integros, aliæ contractos, quædam solum canones, quædam cano- nes simul, et leges habent, atque hæc à Græcis *Nomocanones* ap- pellantur. Quod attinet ad methodum, in antiquioribus servata est ut plurimum ratio temporum, in recentioribus materiarum, scilicet ad certa capita, et titulos relati sunt canones, ut materia ipsa postulare videbatur. Nos primum *antiquiores* persequemur Juris Canonici collectiones, postea *recentiores*, quibus hodie in scholis, et in foro utimur, denique explicabimus *jus novum*, quod postremo editum est.

53. Antiquissima, cujus mentio sit in ecclesiasticis monu- mentis, est collectio *Canonum Apostolorum*, quos Græci numerant *octoginta quinque*, Latini tantum *quingenta* (1). Prodiit hæc collectio una cum *libris octo Apostolicarum Constitutionum* nomi- ne Clementis Romani Pontificis (2), ac fuerunt, qui eas regulas Apostolis tribuendas putarent (3). Sed cum earum nulla sit men- tio apud illos, qui tribus prioribus sæculis res Ecclesiæ scriptis illustrarunt (4); cum in iis multa sint, quæ cum Apostolorum ætate componi nulla ratione possunt (5), et quædam etiam, quæ Ecclesiæ doctrinæ adversantur (6); cum demum viri fuerint doctrina, et auctoritate graves, qui eos apocryphos judica- rent (7): certum omnibus, exploratumque est, eos Apostolis ad- scribi non posse (8). Unum autem in corpus collecti videntur III., aut forte etiam IV Ecclesiæ sæculo, potissimum diversis ex syno- dis, atque ex ea disciplina, et legibus, quibus per tria priora sæcula Orientales Ecclesiæ regebantur (9).

(1) Revera Dionysius Exiguus tantum quingenta retulit Canones Apo- stolorum, ejusque exemplum sequuti sunt in suis Collectionibus Cresconius, Isidorus Mercator, alique apud Latinos canonum collectores. Quare in con- cilio Romano, quod habitum est anno 789. Stephano III. Pontifice *act. 4 co- llect. Labbei tom. 8. col. 485 ed. Venet.* habentur hæc: *non amplius sus- cipiantur Apostolorum Canonum prolata per S. Clementem, nisi quin- quaginta capita, quæ suscipit Sancta Dei Catholica Romana Ecclesia.* Quod etiam constitutum est *can. 5. dist. 16.* Itaque Viri docti in *can. 2. dist. 16* legendum esse animadvertunt *quingenta*, non *sexaginta*, quæ tæ- men Decretalis Zephyrino Pontifici attributa ab Isidoro Mercatore conficta est.

(2) Duas hujus Pontificis epistolas tanquam veras judicant eruditi; altera integra est, alterius vero tantum fragmenta supersunt. Tum illa, tum hæc referuntur à Constantio in *epist. Roman. Pontif. pag. 9. et seq.* Harum epistolarum veritatem late demonstrat Natalis Alexander *hist. eccles. sæc. 4 cap. 12 art. 12 tom. 5 pag. 41. ed. Venet. 1776.* Sed libros octo Apostolicarum Constitutionum, et cetera, quæ Clementi tribuuntur, ejus revera non esse, ostendunt Bellarminus *lib. de Script. Eccl. in Clement. Roman. tom. 7. oper. pag. 23. ed. Venet. 1728.* Baronius *Annal. Eccles. ad an. 52. §. 13. tom. 1. pag. 96. ed. Luc. an. 1758.*, ibique Pagius in *crit. ad. an. 100. §. 8 n. 9.* Perronius *Traité de S. Sacram. lib. 2 du S. Sacram. de l'Eucharistie cap. 2.* Petavius *ad Epiphanium Expos. Fid. lib. 5 n. 10 pag. 290. ed. Paris. 1622.* Christianus Lupus *Synod. gener. parl. 5 in can. 2. Concil. Trullan. tom. 5. pag. 55. ed. Venet. 1724. opp. de Marca Concord. Sacerdot. et Imper. lib. 3. cap. 2.* Natalis Alexander *Hist. Eccl. sæc. 1. dissert. 19. pag. 189 tom. 3 cit. ed. Venet.*

(5) Fuit hæc pene recepta Græcorum sententia. Certe Joannes Antiochenus in ea se fuisse opinionem, non obscure declarat epigraphæ ante hos canones descripta: *Sancit Dominus discipuli, et Apostoli octoginta quinque canones Clementis opera ediderunt.* Eadem videtur fuisse sententia Concilii Trullani *can. 2.* uti ad hunc Canonem animadvertunt Balsamon, et Zonaras in *pan. can. Beveregii pag. 159. Oxonii 1672 tom. 1.* Quin etiam S. Joannes Damascenus *lib. 4 de fid. Orthodox. c. 17. tom. 1 pag. 284. ed. Lequienii Paris. 1742* canones Apostolorum inter libros hagiographos Sacræ Scripturæ recensendos putat; quod tamen eum inconsulto fecisse animadvertit Baronius *ad an. 102. n. 10 tom. 2. pag. 43. ed. Luca.* Quam Græcorum sententiam aliqui etiam ex Latinis sequuntur sunt, veluti Turrianus *adv. Centur. Magdeb. lib. 1. Panvinus in tab. conc. præmiss. vit. Pontif. Platina.*

(4) Certe Victor Pontifex in controversia de Paschate celebrando contra Asiaticos nusquam meminit Canonum Apostolorum, neque eos item memorarunt S. Cyprianus, aut Firmilianus, cum adversus Stephanum Pontificem gravis illa de Baptismo hæreticorum controversia serveret, quamquam omnes horum canonum auctoritate sententiam suam lueri possent. Maximi etiam momenti est silentium Eusebii Cæsariensis, et S. Hieronymi, qui in conservanda scripturæ Apostolicorum memoria diligentissime versati sunt.

(5) In his canonibus mentio est *Cantorum, Lectorum, Hypodiaconorum:* similiter habetur Parochiarum distributio, annua concilia metropolitana, distinctio honorum Ecclesiæ à bonis Episcopi, quo referuntur Canones 14, 15, 27, 38, 40, 45, ap. Cotelierium *PP. Apost. pag. 443 seq. tom. 1. ed. Amstelæd. 1724.* Verum hæc omnia multo post Apostolorum, et S. Clementis aetatem instituta sunt.

(6) Ita Can. 46 et 47 hæreticorum baptismus rejicitur, et can. 50 trina immersio in baptismo necessaria dicitur ad vim sacramenti. Quod utrumque ab Ecclesiæ doctrina alienum est.

(7) Gelasius Pontifex, et Isidorus Hispalensis uterque *apud Gratian. can. 5 dist. 15 et can. 1 dist. 16* apocryphos vocant canones apostolorum. Sed illud, quod de his canonibus in Gelasiano decreto est, non Gelasio, sed Hormisdæ Pontifici tribuendum, putant Fratres Ballerini in *Append. ad Opera S. Leonis M. l. 5 part. 5 c. 11 §. 40 pag. 158.* Non enim ante interpretationem Dionysii Exigui, Apostolorum Canones Latinis cogniti fuisse videntur; eum antiquioris versionis, per quam illi his canonibus uti potuerint, nullum uspiam indicium sit.

(8) Vid. Tillemontium in *vit. S. Clem. art. 7 tom. 2. pag. 164. ed. Venet. 1752* Albaspinæum *lib. 1 observ. 15 pag. 52. ed. Neap. 1770.* Pagium in *crit. Baron. ad an. 102 §. 10 p. 19 l. 2. edit. Luc. Van-Espen dissert. in Canon. Apost. Natal. Alexand. Hist. Eccl. tom. 5 sæc. 1. diss. 18. pag. 179. ed. Venet. an. 1775.* Petr. de Marc. *Concord. Sacerd. et Imper. lib. 5 cap. 2. Bevereg. in Præfat. ad suas in hos Canones adnot., quæ extant in fin. tom. 2 Synod. sive Pandect. canon pag. 1 et seq. Oxonii 1672 et in Cod. Canon. Eccl. prim. vind. Cotelierium in Patr. Apost. tom. 1 pag. 429. ed. Amstel. 1724.*

(9) Sunt qui II, aut III. ineunte sæculo, sunt etiam qui tantum sæculo V. hos canones collectos putant. Bevereg. *loc. cit.* et Doujat *prænot. canon. lib. 5 cap. 2.*

N. S. De his quales quales sint, neque vel hiseunt Concilia nostra; quocirca eos nunquam tanquam authenticos Hispaniam agnovisse putamus.

54. Proximum (1) post Canones Apostolorum locum obtinet collectio, cujus in Concilio Chalcedonensi mentio est (2). Non satis exploratum est, quibus canonibus ea collectio constaret, et forte initio, tantum comprehendit Canones Nicænos, Antiochenos, Neocæsarienses, atque Gangrenses, licet postea canones etiam aliarum Synodorum adjuncti fuerint (3). Nam primum accesserunt canones Antiocheni, tum in aliquo codice Chalcedonenses, et Constantinopolitani, in aliquo Laodicensi. Constantinopolitani, et Chalcedonenses. Non enim omnium Codicum eadem est ratio, cum non una mens esset eorum, qui additiones illas in primo codice faciebant arbitrio et voluntate sua (4).

(1) Petrus Pithæus in Synopsi historica eorum, qui canones collegerunt, profert Sabinum Heraclææ in Thracia Episcopum, quem Socrates *lib. 1 cap. 8 pag. 21. ed. Valesii Cantabrigiæ an. 1720* testatur *diversarum synodorum acta unum in corpus collegisse.* Sed hic, teste ipso Socrate *loc. cit.*, Macedoniam sectæ Episcopus, non canones catholicorum conciliorum, sed hæreticorum Synodos, eaque collegit monumenta, quæ suo magis placebant ingenio, quædam immutans, et quædam præmittens, ut cuncta ad suum institutum, sensumque pertraheret. Nam et convellendæ Nicænae fidei causa ejus concilii antisilites tanquam imperitos deridebat. Quare hæc Sabinæ collectio inter codices sacrarum canonum, de quibus agimus, locum habere non potest. Christophorus Justellus *Codicem Canonum Ecclesiæ universæ,* quem Parisiis edidit an. 1610, illum esse putat antiquum codicem, cujus in Chalcedonensi Concilio sit mentio, et quo ante ipsum Concilium tum Orientalis, tum Occidentalis Ecclesiæ utebatur. Verum illam *Codicis Canonum Ecclesiæ universæ* inscriptionem uti nimis speciosam improbant Fr. Florens in *dissert. de orig. art. et auctor. Jur. Canon. pag. 27 tom. 1. ed. Norimb. 1756,* et Petrus Constantius in *præfat. ad epistol. Rom. Pontif. §. 1 n. 53 et seq. pag. 53;* neque hæc collectio, uti est à Justello edita, in ullo antiquo codice reperitur, sed eam ipse ex pluribus collectionibus suo arbitrio composuit. Extat hic Justelli Codex in *Bibliot. Jur. Canon. Guillelmi Voelli, et Henrici Justelli tom. 1 pag. 29. ed. Paris. an. 1651,* atque hi in

præfatione Bibliothecæ præfixa Cristophorum defendunt, quod amplum illum suæ collectioni titulum adiecit.

(2) In quibusdam Chalcedonensis Concilii actionibus non solum codicis canonum expressa sit mentio, sed etiam aliqui ex eo codice canones recitantur, et quidam etiam distincti numeris, qui perpetuam ostendunt numerorum seriem, quæ non nisi in canonum collectionem quadrare potest. Quod videri potest *act. 4 act. 11 et in actione de Caroso et Dorotheo apud Labbeum tom. 4 Conc. col. 1413, 1427, 1610 ed. Venet.*

(3) Hæc quidem, meo iudicio, probabilior sententia est, quam late demonstrant Fratres Ballerini *in apend. ad oper. S. Leonis M. tom. 3 part. 1 cap. 2 num. 5 et seq. pag. 15, et seq.* Vulgata tamen opinio est, quam ipsi Ballerini refellunt, quod antiquissima hæc collectio, ejus in Chalcedonensi Concilio mentio est, contineret canones 20. Nicænos, 24. Ancyranos, 14. Neocæsarienses, 20. Gangrenses, 24. Antiochenos, 59. Laodiceos, et Constantinopolitanos 5. Verum ea collectio non alios initio comprehensisse videtur canones, quam Nicænos, Ancyranos, Neocæsarienses, Gangrenses; canones autem reliquarum Synodorum deinceps additi videntur.

(4) Quod cum retineatur, facile componi poterunt desidia, quæ inter eruditos sunt, de antiquissimo Græcorum Codice, quem Chalcedonense Concilium memorat. Nam quidam codices majorem, et quidam minorem habent numerum canonum; atque omnes ex hæc codicum multitudine, et varietate eruditorum controversiæ exoruntur. Ego codice in Concilio Chalcedonensi lecto tantum comprehensos arbitræ canones quatuor conciliorum, quorum paulo ante facta mentio est. Sed plures deinde huic codici factæ sunt accessiones, eæque dissimiles, uti ferebat ingenium, ac studium eorum, à quibus hujusmodi accessiones fiebant. Inde orta est illa codicum diversitas, unde tot inter eruditos turbæ exortæ sunt.

55. Medio sexto sæculo additi sunt canones Ephesini; ac denique Joannes cognomento *Scholasticus*, quod esset ex schola sive ordine Advocatorum, Presbyter primum Antiochenus, deinde Justiniano Imperatore Patriarcha Constantinopolitanus, novam canonum collectionem tributam in titulos quinquaginta adornavit. Continet hæc collectio Apostolorum canones 78., Nicænos 20., Ancyranos 25., Neocæsarienses 14., Sardicenses 21., Gangrenses 20., Antiochenos 25., Laodiceos 59., Constantinopolitanos 6., Ephesinos 8. (1). Chalcedonenses 27., denique canones eductos ex epistolis S. Basili 68. Postremos hos canones ab aliis omissos primus Joannes in sua collectione descripsit, reliquos omnes ex antiquioribus arripuit (2).

(1) Joannes Scholasticus in præfatione describens ordinem canonum in suo codice exhibitum, numerat canones Ephesinos 7, sed tamen in corpore operis *tit. 4* etiam octavum laudat.

(2) Quod diserte testatur ipse Joannes in præfatione suæ collectionis, quæ est apud Voellum, et Justellum *Biblioth. Jur. Canon. vet. tom. 2 pag. 499 et seq.* Quare vehementer errat Cristophorus Justellus, qui primum Sardicenses canones Græco Codici Joannem Scholasticum addidisse arbitra-

tur. Certo quidem statui non potest, num Sardicenses canones habuerit antiquissimus ille codex, qui continenti serie numerorum in Concilio Chalcedonensi lectus fuit; sed tamen dubitari non potest, quin aliis quibusdam Codicibus etiam Sardicenses canones comprehenderentur, quod late ostendunt Fratres Ballerini *loc. cit. part. 1 cap. 6 pag. 54. et seq.*

56. Edidit ipse Joannes etiam *Nomocanonem* (1), divisum item in titulos quinquaginta, ac per materias distinctum, iisque adiecit leges, eductas præsertim ex Codice, et Novellis Justiniani. Novas quoque additiones accepit Græcorum codex, cum Trullana, aut Quinisexta Synodus habita est (2); neque suus apud Græcos honos defuit collectionibus Pholii, qui Græcorum schismatis vel auctor, vel certe pars magna fuit, Simeonis Logothetæ, Alexii Aristini, Arsenii, Harmenopoli, de quibus omnibus singillatim dicere longum est, ac non necessarium (3).

(1) *Nomocanonis* nomine hæc collectio appellatur, quoniam continet legum cum canonibus collationem. Harum igitur collectionum, quæ ex legum et canonum mixtura *Nomocanones* appellatæ sunt, quæque apud Græcos plures numerantur, originem ab Joanne Scholastico repetit Fr. Florens *loc. cit. pag. 50.* Hic etiam Joannis Scholastici *Nomocanon* est apud Voellum, et Justellum *Biblioth. Jur. Canon. tom. 2 pag. 605 et seq.*

(2) Synodus hæc, quæ Latinis conciliabulum est, Trullana appellatur, quod habita fuit in Trullo palatii Constantinopolitani; dicitur autem Quinisexta, quod ejus Præsules editis de disciplina canonibus videri vellent supplevisse illud, quod V. et VI. generales Synodi non præstiterant. Romana Ecclesia eos tantum probavit hujus Concilii canones, qui nihil haberent, quod superioribus synodis, probatisque moribus adversaretur, sicuti Humbertus Cardinalis Episcopus Silvæ-candidæ, Leonis IX. Legatus apud Græcos, declaravit. Integram hanc Græcam collectionem cum scholiis Zonaræ, et Balsamonis, hominum schismaticorum, Oxonii edidit Guillelmus Beveregius an. 1672.

(3) De his omnibus collectionibus agunt Joannes Doujat, *prænot. canon. lib. 5. cap. 6. et seq.*, et Joseph. Anton. Brunus *Introductione alla Giurisprudenza Canonica par. 4. cap. 1. §. 5. et seq.*; et hæc quoque descriptæ sunt à Justello et Voello *Biblioth. Canon. tom. 2. pag. 675. et seq.*

57. Serius in Latina Ecclesia canonum collectiones adhiberi cœperunt. Ea enim ante Nicænam Synodum non aliis usa videtur regulis, quam Sacris Scripturis, et Traditione; ita ut tota fere disciplina moribus, et consuetudine magis, quam jure scripto plerisque in rebus regeretur. Sed post habitam Nicænam Synodum ejus canones latine redditi sunt, atque iis Latina Ecclesia uti cœpit una cum Sardicensibus (1).

(1) Insignis est locus Innocentii I. in *epist. 7. ad Cler. et Popul. Constantinopolitanum* ap. Constantium *epist. Roman. Pontif. tom. 1. col. 799.*

ubi inquit: quod autem ad canonum observationem attinet, solis illis parendum esse dicimus, qui Nicææ definiti sunt; quos solos sectari, et agnoscere debet Ecclesia Catholica Ipse Innocentius in *epist. 5. ad Theophilum Alexandrin.* apud eundem Constantium col. 790. habet hæc: *Tu igitur, si iudicio confidis, siste te ad synodum, quæ secundum Christum fuerit, et ibi expositis criminationibus sub testibus Nicæni Concilii canonibus (alium enim canonem Romana non admittit Ecclesia) securitatem habebis contradictionis expertem.* Cum Nicænos canones Innocentius memorat, intelligit etiam Sardicenses, quoniam hoc concilium tamquam Nicæni appendix habebatur. Locus hic Innocentii satis evidenter ostendit, usque ad eam ætatem Romanam Ecclesiam Nicænos tantum canones agnovisse; non defuerunt tamen, qui ea verba aliter intelligenda esse putarunt, sed eos late refellunt Fratres Ballerini *loc. cit. cap. 1. §. 1. et 2. pag. 51. et seq.*

38. Temporibus autem cursu evenit, ut Græcorum codex privato studio latine redderetur; ac duæ præsertim ante Dionysium sunt huiusmodi antiquæ versiones totius Græci Codicis canonum, altera, quæ *Isidoriana*, altera, quæ *Prisca* appellatur. Illa forte est antiquior, fuitque vulgata ex collectione Isidori, à quo nomen accepit; Isidorus autem eam ex antiquiori Hispanica collectione transcripsit. Continet canones Nicænos, Ancyranos, Neocæsarienses, Gangrenses, Sardicenses, Antiochenos, Laodicenos, Constantinopolitanos, et Chalcedonenses. Initio fortasse non omnes hos canones comprehendebat, sed novas recentiori ætate aliorum canonum accessiones accepit. *Prisca* Græcorum canonum versio paulo minus antiqua videtur, eaque complectitur canones Ancyranos, Neocæsarienses, Nicænos, Sardicenses, Gangrenses, Antiochenos, Chalcedonenses, Constantinopolitanos (1).

(1) *Prisca* Græcorum canonum Latina interpretatio ea solet appellari, quam ex antiquo M. S. codice vulgarunt Henricus Justellus, et Guillelmus Voellus in *Biblioth. jur. canon. tom. 1. pag. 277. Paris. 1661.* Eam diligentius cognitam, et emendatam iterum ediderunt Fratres Ballerini in *appendic. ad oper. S. Leonis M. tom. 5. col. 481. et seq.* Sunt hæc, *Isidoriana* nimirum, et *Prisca*, celebriores Græcorum canonum Latinae versiones, quæ ante Dionysium in manibus hominum versabantur; sed tamen dubitari non potest, quin alias quoque collectiones latini habuerint, quæ tamen omnes privato studio perfectæ sunt. Earum quedam, præter Orientalium Ecclesiarum canones, etiam Africanos, et quasdam etiam Summorum Pontificum decretales comprehendebant. Nam ante ceteros Occidentales Afri primum collegisse videntur canones suos, qui ita celebres fuerunt, ut è Latinis codicibus græcè translati in Græcas etiam collectiones migraverint. His igitur canonibus locupletatis, auctasque fuisse constat aliquas Latinorum collectiones, et aliis etiam Romanorum Pontificum decretales accesserunt. Non enim iis assentiri, qui Dionysium primum fuisse putant, qui illas decretales collegerit. Fuit is quidem primus, qui decretales à canonibus conciliorum discrevit, atque ordine recensuit, cum in antiquis collectionibus omnia pe-

mixtim, et confuse describerentur; omnes tamen hæ collectiones privato studio absolutæ sunt, et ideo nulla earum constituere potuit codicem canonum, qui publica auctoritate receptus, jus Latinæ Ecclesiæ contineret. Codicis loco, ut arbitror, usque ad octavum sæculum Romanæ Ecclesiæ fuit Bibliotheca, quæ dicebatur *Archivum, Scriptoria, Chartarium*, ubi decretalium authographa, atque acta, et canones conciliorum, ceteraque ecclesiastica monumenta servabantur, quæ de re videnti Constantius præfat. *ad epist. Roman. Pontif. num. 44. pag. 45. seqq.* et Cajetanus Cennius in *dissertationibus Italicis Pistorii editis an. 1778. tom. 1. dissert. 1. pag. 65. et seq.* Pontificiæ literæ ad certas Ecclesias initio datæ omnibus postea communes fiebant, sicuti demonstratum est in *not. 2. ad §. 55.* ut omnibus innotescerent, et omnes parerent legibus, quæ ipsis literis erant constitutæ. Earum authographum in scriniis, aut archivo Sedis Apostolicæ servabatur, et huiusmodi authographum adhibebatur ad dirimendas controversias, quæ forte orirentur Sic Hieronymus *adv. Rufin. lib. 5. opp. 1. 2. pag. 549. edit. Vallarsii Veronæ*, Rufinum de litteris ab Anastasio I. ad Joannem Hierosolymitanum datis dubitantem, *ad chartarium* provocat. Quare multa moliendo faciunt ut nihil agant, Van-Espenius, et ceteri, qui neminem ante Dionysium Pontificiæ decretales collegisse contendunt, ut inde illud educant consequens, quod ante Dionysium tantum conciliorum canones, non item Apostolicæ Sedis decreta auctoritatem obtinuerint. Fac verum esse, quod certe falsum est, id quod ajunt de Pontificiis Decretalibus primum à Dionysio collectis, id tamen vetustæ earum auctoritati nihil detrahit. Cum enim privati codices nihil iis aut addere, aut adimere possent, quid intererat Sedis Apostolicæ, sive ejus decretales in iis descriptæ essent, sive essent omissæ? Vis earum non ex his privatis collectionibus, sed ex Pontificiis potestate, atque ex ipso authographo in archivo servato repetebatur. Certe Sircius *ep. 1. ad Himer. Tarracon. ap. Constantium epist. Rom. Pontif. §. 20. col. 657.* postquam Himerium hortatus est *ad servandos canones, et tenenda decretalia constituta*, generalem illam sententiam pronuntiat, quod *statuta Sedis Apostolicæ, vel canonum venerabilia definita nulli Sacerdotum Domini ignorare sit liberum.* Etiam Leo M. *ep. 4. cap. 5. opp. tom. 1. col. 616. edit. Venet. 1755.* memorat *decretalia constituta Decessorum suorum, et Comprovinciales Episcopi Metropolis Arelatensis datis ad Leonem M. litteris opp. S. Leonis tom. 1. ep. 65. cap. 2. col. 995. edit. cit.* non ex alio quo canonum codice, sed ex *scriniis* Sedis Apostolicæ decretorum Zosimo Pontificis vim omnem, et auctoritatem repetunt, uti observant Fratres Ballerini *not. 11. in dissert. 12. Quesnelli opp. S. Leonis tom. 5. col. 697. et 698. edit. ejusd.* quos etiam consule in *appendic. par. 5. c. 1. §. 2. pag. 178. eod. tom. 5.* Cum igitur Ecclesia Romana, meo quidem iudicio, usque ad VIII. sæculum nullum habuerit codicem canonum, qui publicam auctoritatem obtineret, facile est judicare de codice, quem dedit Justellus in *Biblioth. Jur. Canon. tom. 1. pag. 29.*, itemque de codice, quem edidit Quesnellus in *appendic. oper. S. Leonis M.*, quemque ipse existimat antiquissimum esse codicem, quo Innocentio, Zosimo, et Leone Pontificibus Romana Ecclesia utebatur. Omnes privati codices sunt: ac de Codice Quesnelliano graviter, vereque disserunt Fratres Ballerini *loc. cit. par. 2. cap. 8. p. 122. et in adnot. et observ. ad dissert. 12. Quesnelli pag. 1685. et seq.* Idem debet esse iudicium de antiquis codicibus, quos memorat Petrus Constantius in *præfat. ad tom. 1. epist. Roman. Pontific. §. 2. num. 60. et seq. pag. 62.* nam hi similiter codices privati sunt.

59. *Priscam* hanc versionem indicare videtur Dionysius Exiguus, cum inquit, *se confusione priscae translationis offensum*, ad novam versionem animum appulisse. Fuit hic Dionysius instituto Monachus, natione Scyltha, moribus, et domicilio Romanus, doctrina vero, ac vitæ integritate præclarus (1). Vitam agebat V. et VI. sæculo (2), ab eoque nostræ vulgaris epochæ origo repetenda est (3). Celeberrimum hujus Dionysii opus est collectio canonum, et constitutionum Sedis Apostolicæ, quæ ab auctoris nomine *Dionysiana* appellatur. Ea dividitur in partes duas, quarum altera conciliorum canones, altera Summorum Pontificum epistolas complectitur. Non uno, et eodem tempore, sed diverso utraque est edita, et utraque peculiare habet literas, quas *nuncupatorias* dicimus.

(1) De hoc Dionysio loquuntur Cassiodorus *divin. literar. cap. 25. pag. 551. tom. 1. ed. Rothomag. an. 1679.*, Trithemius *de Script. Eccles. num. 207. in Biblioth. Eccles. Fabricii cir. med. pag. 57. Hamburgi 1718.*, Bellarminus *de Script. Eccles. oper. tom. 7. pag. 201. ed. Venet 1728.* Dicitur autem est Dionysius Exiguus, non quod corpore pusillus esset, uti plures existimarent, cum neque id tradiderint antiqui Scriptores, qui de Dionysio egerunt, neque credibile sit, Dionysium, qui semetipsum *exiguum* appellat, suum hoc corporis vitium præferre voluisse. Potius sese *exiguum* Dionysius vocasse videtur modestiæ causa, quo nomine alii etiam, atque in primis Monachi, quorum è numero ille erat, uti solebant. Sic Anastasius Bibliothecarius sese *exiguum* appellat *Apologia pro Honorio ad Jo. Diaconum in collect. Concil. Labbei tom. 6. col. 1521.* cujus epigraphe est hæc: *Carissimo Fratri Jo. digno Christi Levitæ, Anastasius exiguus in Christo salutem.* Etiam S. Bonifacius Moguntinus sese *exiguum* appellare solebat, uti deprehendi potest ex ejus epistolis 9, 11, 15, 18, 20, 25 *in Biblioth. PP. tom. 13. pag. 73, 74, 75, 76, 78, 80 edit. Lugdun.*, atque inter has epistolas aliorum quoque exempla sunt, qui se modestiæ causa *exiguus* appellabant. Quin etiam piæ mulieres sese *exiguas* vocabant, uti patet ex epistola Cæsariæ Arelatensis, apud Martenium *Thesaur. nov. Anecd. tom. 1. col. 3. Paris. 1717.* Atque id etiam sibi vult Hinemarus Remensis, cum *in cp. 17. ad Nicolaum I. pag. 246. tom. 2. ed. Sirmondi Paris. 1645.* memorat literas *exiguitati meæ directas*; ex quibus omnibus patet, fuisse pluribus commune nomen hoc *Exigui*, et modestiæ causa usurpari consuevisse.

(2) Dionysius Romam venit Anastasio II. Pontifice, qui Pontificatum tenuit usque ad annum 498. Aut sub eo, aut sub Symmacho, qui proxime Anastasium sequutus est, primam suæ collectionis partem Dionysius edidit; sed pars altera certe post Anastasii obitum vulgata est. Nam in ea sunt Anastasii epistolæ, non item Symmachii, et cum Dionysius dicat, *se præteritorum Sedis Apostolicæ Præsulum constituta* collegisse, manifestum est, hanc partem, quæ Anastasii epistolas habet, eo mortuo vulgatam fuisse. Vid. Doujat. *prænot. can. lib. 3. c. 15. n. 2.*

(3) Confer ea de re Doujat. *loc. cit. num. 7.*

60. Primo canonum collectioni Dionysius operam dedit. Nam

novam Græcorum canonum versionem absolvit, suaque collectione complexus est 50. canones Apostolorum, tum sub una numerorum serie canones Nicænos, Ancyranos, Neocæsarienses, Gangreses, Antiochenos, Laodiceos, Constantinopolitanos, deinde Chalcedonenses, quibus ex Latino authographo subjecti sunt Sardicenses 21, ac tandem Africani distincti in numeros 138. Pars altera, quæ serius in lucem venit, comprehendit epistolas decretales Summorum Pontificum à Sirieio usque ad Anastasium II, quibus postea decretales etiam aliorum Pontificum aliena opera accesserunt. Magna hujus collectionis celebritas, et magnus ubique honos fuit (1).

(1) Cassiodorus medio VI. sæculo inquit *loc. cit. Quos* (Græcos canones à Dionysio latine redditos) *hodie usu celeberrimo Ecclesia Romana complectitur.* Solus videlicet intelligendus est usus, qui ei collectioni nullam publicam auctoritatem attribuit, neque eam publicum Romanæ Ecclesiæ Codicem fecit.

61. Eam quibusdam additionibus locupletatam Carolo M. Francorum Regi Romæ tradidit Hadrianus I. Summus Pontifex, atque hæc collectio est, quæ *Hadriana* vocatur, et quam illæ præsertim additiones à Dionysiana distinguunt (1). Non tamen hujus collectionis, sive harum additionum auctor ipse Hadrianus habendus est (2); sed enim ita Summus Pontifex collectionem ipsam probasse visus fuerit, Apostolicam quamdam auctoritatem ea obtinuit, et *Codex Canonum* passim appellari cepit (3).

(1) Hadriano I. Pontifice Carolus M. ter Romam venit, uti observavit Jacobus Sirmondus; ei vero in primo ejus adventu collectionem illam traditam fuisse putat Constantius *loc. cit. §. 8. num. 128. pag. 108.*

(2) Incertum est, quo primum tempore Dionysianæ collectioni illæ factæ sint additiones, quarum recentiores ad Gregorium II. pertinent. Sed eas ante Hadrianum jam factas fuisse certum est; quoniam Zacharias Pontifex *in epistola ad Pippinum et Episcopos, Abbates, et proceres Francorum*, quæ est *epist. 7. in collect. concil. Labbei tom. 8. col. 211. num. 3.* canones aliquot recitat *ex Concilio Africano*, alios vero *ex Concilio Carthaginensi*; quæ Africanorum canonum inscriptio, et distinctio Hadrianae collectionis propria est.

(3) Hinc falsas epistolas Isidori Mercatoris, quæ postea prodierunt, aliqui rejiciendas putarunt, quæ *in toto Codicis canonum corpore non continerentur conscriptæ*, uti patet ex *epist. 42. Nicolai I. ad univers. Episc. Gall. in Reg. Concil. collect. pag. 784. tom. 22. Paris. 1644.* Quo nomine *Codicis canonum* intelligi Hadrianam collectionem, manifestum est ex Hincmaro Remensi *ep. ad. Hincmar. Lugdunen. pag. 545. tom. 2. edit. Sirmondi Paris. 1645.* qui Isidorianas decretales repudiat, ac tantum retinetur.

dos contendit canones, quos Apostolica Sedes... et omnis Catholica Ecclesia CANONES appellat: quique... in nostris CODICIBUS, quos ab Apostolica Sede Majores nostri acceperunt sequendos, locum habent. Ex quo recte, vereque colligit Constantius loc. cit. § 8. num. 151. pag. 110, quod qui à nobis Hadrianus codex vocatur, ab Hincmaro ex usu, et consuetudine sermonis apud Romanos, et Gallos recepti Codex canonum vocatus est.

62. Celebrantur etiam collectiones Africanæ (1), et Gallicæ (2), quæ plures numero sunt, cum fere in unaquaque natione non defuerint, qui de colligendis canonibus laboraverint. Atque in his collectionibus vel integra, vel fere integra Ecclesiastica monumenta describuntur, habita potius ratione temporum, quam rerum, et materiarum. Sunt enim collectiones aliæ, quæ breviter, ac summam canones indicant, aut certos in titulos tribuunt ipsos canones, et rem canonicam universam. Inter eos, qui tantum canonum summam dederunt, primum locum obtinet Fulgentius Ferrandus, Carthaginensis Ecclesiæ Diaconus, qui collectionem suam *Breviationem canonum* vocavit (3).

(1) Africanorum canonum collectionem cum titulo *Codex Canonum Ecclesiæ Africanæ* græce, et latine edidit Christophorus Justellus, eamque postea descripserunt ejus filius Henricus, et Guillelmus Voellus in *Biblioth. jur. canon. tom. 1. pag. 521*. Verum hæc collectio non alius comprehendit canones, quem eos, quos Dionysius Exiguus excerpsit ex Synodo Carthaginensi anni 419, cujus tantum gesta ante oculos habuit. Plures Africanas collectiones post Harduinum memorant eruditi Fratres Ballerini loc. cit. par. 2. cap. 5. pag. 74. et seq.

(2) De his quoque Gallicanis collectionibus, præter Sirmundum præfat. in *Concil. Gall.*, videndi Ballerini loc. cit. par. 2. cap. 10. p. 129. et seq.

(3) Fulgentius Ferrandus, qui magistro usus est S. Fulgentio, Ruspensi Episcopo, Justino, ac Justiniano Imperatoribus floruit. Viden. *Fr. Florens de orig. art. et auctor. jur. canon. pag. 55*. Descripta est hæc collectio à Voello, et Justello loc. cit. tom. 1. pag. 443.

63. Ferrando recentior est Cresconius, Africanus Episcopus, cujus duo circumferuntur opera; alterum quod *Breviarium Canonum*, alterum, quod *Concordia*, aut etiam *Liber canonum* appellatur (1). Alias quoque viri eruditi ediderunt canonum collectiones, quæ circa ea tempora, aut paulo serius lucubrata videntur; sed nobis propositum non est in omnibus immorari (2).

(1) Vitam agebat Cresconius, sive ut alii malunt, Crisconius, Leontio Imperatore, cum Saraceni Africam occuparunt, hoc est VII Ecclesiæ sæculo. Utrumque opus, tum scilicet *Breviarium*, tum *Concordia* Cresconii revera est, quamquam aliud nonnulli existiment; quos inter est Constantius in *vit.*

præfat. ad *epist. Rom. Pontif. §. 7 num. 124 et seq. pag. 405 et seq.*, et utrumque ediderunt Voellus, et Justellus in *Biblioth. jur. can. tom. 1. pag. 456 et in append. ejusd. tom. pag. 55*. Vide Pagium in *crit. ad Baron. an. 527 num. 44 pag. 587 t. 9 ed. Luc. et Mabillonium Mus. Ital. p. 1. pag. 69 ed Paris 1687*.

(2) Hujusmodi sunt collectiones Iibernensis, Herovalliana, Andegavensis, Divionensis, Pithœana, aliæque similes, quæ à Sirmondo, Petito, aliisque laudantur, quasque omnes accurate describunt Fratres Ballerini loc. cit. par. 4. c. 7. p. 275.

64. Digna tamen est, quæ diligenter exponatur, collectio Isidori Mercatoris, aut Peccatoris (1), quæ IX Ecclesiæ sæculo in manus hominum pervenit (2). Magnæ ob eam turbæ ortæ sunt, cum Isidorus veris monumentis, quæ à collectione Hispanica, Hadriana, aliisque à locis (3) arripuit, multa falsa admiscuerit, quorum partem ipse confinxit, et partem aliorum ingenio confictam literis consignavit. Habet hæc collectio, præter quinquaginta canones Apostolorum ex Hadriana collectione descriptos, potissimum epistolas Summorum Pontificum à Clemente usque ad Silvestrum, quæ cunctæ ex ingenio Isidori prodierunt, exceptis duabus Clementis ad Jacobum literis (4), tum canones plurimum conciliorum (5), postremo Pontificias literas ab ipso Silvestro usque ad Gregorium M., et alias item epistolas, ac monumenta, quorum pars aliunde assumpta vera, ac germana est (6), pars una cum actis Concilia Romani sub Julio I, et V et VI sub Symmacho ab Isidoro excogitata, et inventa est.

(1) Alii sunt codices, qui *Mercatoris*, et alii, qui *Peccatoris* nomen inscriptum habent. Quod postremum nomen quosdam rapuit in eam opinionem, ut crederent, hujus collectionis auctorem fuisse aliquem Episcopum, quoniam ea formula Episcopi utebantur, ut demissum de se animi sensum testarentur, uti patet ex concilio Carpentoratensi an. 527 collectionis Harduini tom. 2 col. 1095., Vasensi III an. 529 col. 1106, Parisiensi III an. 557 tom. 5 col. 540., Turonensi II an. 567 col. 368, Matisconensi I an. 581 col. 454, atque ex monumentis Ecclesiæ Cenomanensis apud Mabillonium in *Veter. Anal. pag. 267 et seq. ed Paris an. 1723*. Verum Carolus Blasius, qui Comentario Neapoli edito an 1760 de collectione canonum Isidori Mercatoris solide, et erudite de hac collectione disseruit, observat cap. 6 pag. 46 et 47, quod Episcopi fere semper addebant nomen *Præsulis*, aut *Episcopi*, cum illud *Peccatoris* vocabulum usurpabant. Quin etiam et Chorepiscopi cum eodem utebantur nomine, addebant et dignitatem suam, per quam distinguebantur, uti ex epistola Thegani Chorepiscopi Trevirensis ad Hactonem ipse Blasius ostendit. Nomen hoc potius Monachorum proprium erat, et si certum esset, Isidorum potius *Peccatoris*, quam *Mercatoris* nomen prætulisse, inde educi conjectura posset, quod Isidorus Monachus vel fuerit, vel voluerit videri. Sed perdifficile est id ostendere ad veritatem; potius ipsa operis ratio, quæ omnis fere in eo est posita, ut Episcopis con-

sulat, et ab iis areat accusationes, aliquam probabilem assert conjecturam, propter quam ea collectio alicui Episcopo tribuenda videatur.

(2) Recentius monumentum, quod Isidoriana collectione comprehenditur, est Concilium Parisiense anni 829.; quare ante hoc tempus illa edita non videtur. Sunt qui eam serius produsse arbitrantur, nimirum circa tempus, quo Benedictus Levita Capitularium libris vulgavit, hoc est circa annum 845, et ideo prima falsarum decretalium mentio est in Synodo Carisiaca apud Baluzium in *Capitular. Reg. Franc. tom. 2 col. 62 ed. Venet. an. 1775*. Sed Carolus Blascus *loc. cit. cap. 6 pag. 45 et seq.* fretus testimonio Hincmari Remensis, qui in opuscul. *advers. Hincmar. Laudunen. cap. 24 pag. 476 tom. 2* inquit, quod *librum collectarum epistolarum, ab Isidoro de Hispania allatum, Riculfus Moguntinus Episcopus in hujusmodi, sicut et in capitulis Regis studiosus, obtinuit, et istas regiones ex illo repleti fecit*, collectionem illam ante annum 814. quo Riculfus ex hac vita migravit, editam fuisse arbitrat. Vide eundem Blascum *loc. cit.*, Fratres Ballerinius in *cit. append. par. 3 cap. 6 §. 4 pag. 222 et seq.*, et Cl. Zaccaria, qui de Isidoriana collectione diligenter, et cum magna doctrinae copia disputat in *Antifebronio tom. 2 dissert. 3 cap. 3 et seq.* Gravis etiam de vero Isidorianæ collectionis auctore controversia est. Hodie vero inter omnes fere eruditos constat, eum fuisse Gallicanum, seu Germano-Francum, sed quis hic fuerit, incertum est. Ac valde quidem laudanda est ingeniosa conjectura Caroli Blasci, qui diatriba, quam Neapoli edidit an. 1778 de *Papissa Joanna*, hujus fabulæ originem ab Isidori collectione repeti posse arbitrat. Inquit enim fortasse aliquem fuisse Isidorianæ fraudis non ignarum, qui cum videret, falsas decretales pro veris haberi, quasi per ænigma fraudem detegere conatus est. Itaque dicitare cepit, fuisse Papissam Joannam nomine, eam peperisse etc. Ænigma hoc, in quo dissolvendo plane Oeclipo conjectoræ opus erat, non recte intellectum, primum uti fabula vulgaris, ac denique tamquam vera historia haberi cepit. Ingeniosa inquam hæc conjectura, et in illa tam incerta hujus fabulæ origine probabilis divinatio est.

(3) Necesse est fontes noscere, unde Isidorus multa derivavit in collectionem suam; nam quidquid in his non invenitur, id ab ipso confectum haberi debet. Fontes autem præcipui sunt collectio à Quesnello edita, cujus supra facta mentio est. Quædam etiam arripuit ab Historia Tripartita, atque ab illis locis, quos indicant Bartolus *Inst. Jur. Canon. cap. 18*, et Fratres Ballerinii *loc. cit. §. 5. pag. 225 et seq.*

(4) Quinque sunt literæ S. Clementis in Isidori collectione; duæ ad Jacobinum jam à Græco aliquo confectæ fuerant, et à Rufino latine redditæ, easque sæculo V laudavit Concilium Vasense *can. 6 col. 717 t. 4 collect. Labbei ed. Venet.* Has literas Isidorus excerpit ex Gallicanis collectionibus, sed ipse tamen eas suis additionibus corrupit. Reliquæ tres ex ejus in genio prodierunt.

(5) Pars hæc, quæ concilia complectitur, habet *constitutionem Constantini ad Silvestrum*; quæ falsa habetur, reliqua vera, et germana sunt omnia.

(6) Multa in hac parte sunt falsa veris admixta, quæ omnia accurate discriminat Fratres Ballerinii *cit. part. 3 cap. 6 §. 5. pag. 225*, et Blascus *cap. 2 pag. 9 et seq.* Hinc omnes Pontificum Siricio antiquiorum epistolæ ab Isidoro descriptæ falsæ habentur, exceptis S. Damasi ad Paulinum literis, quæ ille secuit in partes tres.

65. Accesserunt ad cetera commenta etiam capitula adscripta Hadriano I. Pontifici, et Angilramno Metensium Episcopo tradita, quæ certe post falsas decretales prodierunt, et forte ab ipso illarum opifice conficta sunt (1). Nam hodie eruditis omnibus compertum, exploratumque est, ea capitula recentiora esse Isidorianis decretalibus, neque ea tribui posse Hadriano, aut Angilramno, cum in iis multa sint aliena ab utriusque moribus, atque instituto (2), et longe alia sit ratio Hadrianæ collectionis, cujus supra facta mentio est.

(1) Pontificum decreta, ex quibus præsertim ea capitula collecta dicuntur, non alia fere sunt, nisi falsæ Isidori decretales, in quibus eadem sententiæ, et eadem sæpe verba occurrunt, uti ex Antonii Augustini notis in eadem capitula, quæ extant *tom. 5 ejus oper. ed. Luc. an. 1767 pag. 349 et seq.*, deprehendi potest. Qui consensus earum decretalium, et capitulorum non obscuro argumento est, eundem omnium architectum fuisse. Quare in Isidori collectione hæc Hadriani capitula reperiuntur; et in antiquissimo Vaticano Codice 650 in appendice descripta sunt, quoniam, ut observant Fratres Ballerinii *loc. cit. §. 2. non. 3 pag. 219 et 220*, hæc capitula secundis Isidori curis adjecta sunt, cum abessent à collectione, quam antea vulgaverat. Vide etiam Blascum in *Diatriba de Capitulis Hadriano à Papæ vulgo tributis ad calcem commentarii de collect. can. Isidor. Marc. cap. 221*.

(2) Hincmarus Remensis in *opusc. adver. Hincmar. Laudunen. cap. 24 pag. 475 tom. 2 edit. cit.* inquit, hæc capitula Hadriani nomine fuisse edita, et Angilramno Metensium Episcopo data. Errant igitur Stephanus Baluzius in *præfat. ad Dialog. A. Augustin. n. 4. p. 6 tom. 3 ed. Luc.*, et Natal. Alexander *Hist. eccles. sæc. 8 cap. 1 art. 9 tom. 6 pag. 11 ed. Venet. an. 1776*, cum hæc capitula Angilramno adscribunt; cum vera operis inscriptio non Angilramnum, sed Hadrianum auctorem præseferat. At neuter revera eorum capitulorum auctor fuit; et certe verus canonum codex, quem Carolo M. obtulit Hadrianus, nihil habet ex putidis illis mercibus, sed veras complectitur epistolas Summorum Pontificum à Siricio ad Gregorium. Quod late ostendunt Ballerinii, et Blascus *loc. cit.* Id unum adiam, quod in antiquo Vaticano codice *num. 458* vetus extat exemplar collectionis, cujus revera Hadrianus P. auctor est, in eoque post indicem eorum, quæ codice continentur, habentur hæc: *Iste Codex est scriptus de illo autentico, quem Dominus Hadrianus Apostolicus dedit gloriosissimo Carolo Regi Francorum, et Longobardorum, ac Patricio Romanorum, quando fuit Romæ.* In hac autem collectione nullus omnino locus est falsis Isidori mercibus, sed quidquid ea continetur ex veris, germanisque fontibus desumptum est. Initio describuntur canones, qui dicuntur *SS. Apostolorum* (quibus verbis ostendit Hadrianus, quid ipse de his canonibus sentiat); postea Concilia Orientalia, Africana, Gallicana, Hispanica; postremo referuntur Decretales Siricii, Innocentii, Zosimi, Bonifacii, Celestini, itemque pars illarum Decretalium, quæ à Leone M. editæ sunt. Vera hæc est Hadriani collectio, non ea, quæ multos post annos Isidori ingenio excogitata in lucem venit. Atque hoc quidem loco notanda est confidentia Van-Espenii, qui nihil omittit, ut suum expleat odium, quo fertur in Sedem Apostolicam, et ideo de his capitulis inquit in *Comm. in canon. et dec. jur. veter. ac nov. par. 3 sect. 1 diss. 2*.

quod ea si ab Hadriano non confecta, probata saltem sunt, ut nova inde jura Romani Pontifices consequerentur. Si ea probata Hadriano sunt, cur eadem neque ipse Hadrianus, neque ceteri Pontifices, qui eum consequuti sunt, per tria pene sæcula laudarunt? Primus enim Summus Pontifex, qui ea capitula laudasse videtur, fuit Leo IX, qui medio sæculo IX vitam traducebat, nimirum postquam ea Burchardus Hadriani nomine in sua collectione descripserat. Verum omnis nunc ea de re sermo conticescat necesse est, cum constet, ea capitula post Hadriani obitum fuisse confecta ab auctore decretalium, quæ Isidori collectione comprehenduntur.

66. Isidori collectio sensim, et pedetentim usum, atque auctoritatem habere cœpit, cum in illorum temporum caligine nemo esset, qui suspicaretur, vel potius intelligeret, falsa esse monumenta, quæ in ea descripta fuerant. Primus Hincmarus Remensis, qui eam antea probaverat, cum sibi adversarias maxime nosceret Isidorianas decretales in causa, quam habebat cum Hicmaro Laudunensi, eas cœpit respuere, quod in *Codice Canonum* non reperiebantur (1). Eadem quoque de causa rejectæ sunt ab Episcopis Gallicanis in causa Rothadi Episcopi Svesionensis, qui in Synodo provinciali depositus, ad Sedem Apostolicam provocaverat.

(1) Hincmarus ep. ad Hincmar. Laudun. tom. 2 pag. 545 et seq. ed. Sirmondi Paris. 1645. Recte tamen respondit ipse Nicolaus ep. 42 ad Epist. Gall. in Oper. Hincmari Remens tom. 2 pag. 627, non ideo despiciendas esse decretales, quod in codice canonum descriptæ non essent, quoniam earum auctoritas non ex eodem codice, sed ex eorundem auctoribus, qui Pontifices fuisse credebantur, erat repetenda, quod etiam animadvertit Fleurvus part. 1 c. n. 8 de orig. jur. Eccl. Quare Wenilo Archiepiscopus Senonensis cum literis, quæ ejus nomine datæ sunt ad Nicolaum apud Labæum collect. conc. tom. 9. col. 1530, ageret de observanda epistola Melchiadis, id tantum quærendum duxit, num ea apud Summum Pontificem, hoc est, in archivo Romanæ Ecclesiæ reperiretur.

67. Serius Romæ hæc collectio innotuisse videtur; et Leo IV., qui Pontificatum obtinuit ab anno 847. usque ad annum 855., cum responderet Episcopis Britannicæ (1), Decretales memorat eorum Pontificum, quibus tunc in Ecclesiasticis judiciis Romana Ecclesia utebatur; sed nullam tamen facit mentionem decretalium, quas Isidorus collegerat, licet harum multæ ad hæc judicia pertineant. Imo neque Nicolaus I., qui post Leonem Pontificatum obtinuit, laudavit unquam, aut approbavit falsas Decretales, quæ Isidori collectione continentur (2). Quod vel unum argumentum plane refellit calumniam eorum, qui

aliquas in ea collectione Pontificum Romanorum partes fuisse arbitrantur.

(1) Extat hæc epistola apud Sirmondum tom. 3. Conc. Gall. pag. 72 ed. Paris. an. 1629.

(2) Confer Ballerinius loc. cit. cap. 6 pag. 215. et Blascum loc. cit. cap. 4 pag. 31.

68. Hodie perspicua, non suspiciosa omnibus est falsitas decretalium, ac monumentorum, quæ ex penu Isidori Mercatoris educta sunt. Nam L. Dionysius Exiguus, maxima cura, ac diligentia lustratis, excussisque scriniis Sedis Apostolicæ, nullam illarum decretalium invenire potuit. II. Scriptores Ecclesiastici, qui per octo priora sæcula floruerunt, et Concilia, quæ per eam ætatem habita sunt, nullam harum decretalium mentionem faciunt, quamquam plus semel facere debuissent. III. Denique multa in iis occurrunt recentiora ætate Pontificum, quibus illa adscribuntur, uti Sacrorum Bibliorum sententiæ secundum Vulgatam, leges ex utroque Codice petitæ, posteriores canones Conciliorum, ac Decretales Summorum Pontificum, et cetera generis ejusdem (1).

(1) Adde et illud, quod hujus collectionis Auctor eam tribuit S. Isidoro, quem Episcopum, et Hispanum fuisse significat; qualis non alius esse poterat, quam S. Isidorus Hispalensis. Atqui post ejus obitum sunt habita octo Toletana concilia à 5. ad 13., et unum Bracarense, quæ in ea collectione referuntur; similiter vivo Isidoro habitum nondum fuerat Concilium æcumenicum 6. cujus in præfatione mentio est.

(N. S. Et sane plus debemus Italis hominibus, quam Hispano Aguirio. Hic enim, religioni ducens Decretales omnes ante-Siricianis Pontificibus vulgo tributas à falsitatis nota vindicare, præcipuam illius Collectionis partem Sanctissimo Isidoro adserere non erubuit. Quantum in eo, sed infeliciter elaboraverit, vir alioqui omnigena eruditione refertus, Dissertationes, quas Tom. 1 suæ Collectionis inseruit, ostendunt. Sed mala causæ patronus. Instituti nostri brevitatis non sinit, nos in discutiendis, simul et explodendis rationum momentis ab Aguirio excogitatis, immorari; sed nemo non novit opus hoc Mercatoris in multis purum, putumque redolere mendacium. Ebulliunt in eo natiæ, fabellæ, anachronismi, antilogiæ. Patiёмur igitur nos, Isidorum, pietate, et scientia clarissimum, hujus ita consarcinata Collectionis auctorem audire? Probe novimus caput 2 Præfationis aliquantulum sancti Doctoris stylo respondere; verum neque ignoramus, versipellem, et personatum Isidorum sub his verbis ex Lib. 8 Elymolog. S. Isidori decerpulis voluisse se, quasi sub ovina pelle, salacissime contegere.

2. Nec gente fuisse Hispanum veri simile est; etenim 1 Hispania Sarracenorum jugo tunc temporis pressa, ferme penitus exularunt meliores litteræ (tametsi in hac miseranda Hispaniæ clade, non defuerint, sanctitate, et sapientia clarissimi, quos inter Eatherius, Beatus, Esperandus,

Alvarus Paulus, et Eulogius, de quo non veretur dicere Baronius, ad diem 24 Novemb., quod in *pixide Spiritus Sancti calamum intinxisse S. Eulogius videatur*).

Nec 2 credere par est, Hispanum in comminendis tam venerandæ antiquitatis monumentis, non majori patriæ celebrandæ studio flagrasse, quam ut in tota Epistolarum Collectione, ad Hispanos datas non nisi quinque protulisset. Fortasse eos, qui Isidorum *Peccatorem* Hispanum erudire, nominis similitudo fefellit. Argumentum sane gravissimum!

5. Neque Isidoro Episcopo Setubensi adscribenda. In Chronico quidem sub nomine Juliani Tolctani Parisiis edito, legitur: *Isidorus Mercator, Episcopus Setubensis, Compilationem Canonum ope cujusdam monachi composuit, atque an. 805 decessit*: cum quo consonat etiam alterum Chronicon Luitprando tributum. Verum hujusmodi Chronica, tum ob plura, tum vel maxime quod *anachronismis*, ac fabellis scateant, communi eruditorum calculo, ut supposititia rejiciuntur. Rejiciuntur itidem ab Hispania, quæ confictio non indiget splendore, illa Pseudo-Dextri Chronica, Maximi, Heleceæ, Luitprandi, Juliani Perezii, et Hauberti Hispanensis.

At vero similis, vel ipse Rieulphus, vel Benedictus Levita, vel alius quidam Germano-Francus Epistolas illas aut confinxit, aut ab aliis confictas collegit. Id evincitur 1 ex Gallo-Francorum, et Longobardorum idiotismis, passim in ipsis occurrentibus. 2 Ex eo, quod ex Ecclesiæ Moguntinæ scriiniis, et quidem Rieulphi cura, primum prodierint. 3 Ex eo, quod se *Peccatorem* dicat, quem sibi adsciscere titulum Galli Episcopi consuevere, ut in Synodo Turonensi 1, et 2, et Parisiensi 2; Hispani nunquam, uno excepto Joanne Gerundensi in Concilio Barcinonensi an. 599.)

69. Quæ præsertim hujus collectionis evulgandæ ratio fuerit, facile intelligit quisquis paulo diligentius consideret, quo potissimum referatur. Nam falluntur egregie homines male animati in Sedem Apostolicam, qui eam editam putant, ut ejus opifex Romanorum Pontificum auctoritatem amplificaret, atque defenderet. Quamquam enim Apostolicæ Sedis amplitudo, et auctoritas pluribus commendatur, non tamen hoc Pseudo-Isidori propositum, atque institutum fuit; neque ea Sedes, cujus jura, et privilegia certissimis nituntur monumentis, falsis illis decretalibus indigebat (1).

(1) Vide Baronium *ad an. 865 num. 8. pag. 48 tom. 45 ed. Lue.*

70. Longe aliud Pseudo-Isidori consilium fuisse, demonstrat ipsa præfatio, ac totius operis ratio. Nam in ea satis declarat, sese illa collegisse monumenta, ut omnes ab Episcoporum accusationibus deterreat (1), tum vehementius invehitur in eos, qui Episcopos audent accusare, et multa proponit, per quæ hujusmodi accusationes difficillimæ evadant. Huc etiam tota spectat collectio, et huc falsa monumenta, in quibus eadem est semper de accusatis Episcopis cura, et sollicitudo.

(1) Postquam in præfatione Isidorus documenta indicavit, quibus sua collectio conficitur, hanc eorum colligendorum rationem assertit. *Quatenus Ecclesiastici ordinis disciplina in unum à nobis coacta, atque digesta, et Sancti Præsules paternis instituantur regulis, et obediens Ecclesiæ ministri, vel populi spiritualibus imbuantur exemplis, et non malorum hominum, vel populi spiritualibus imbuantur exemplis, et non malorum hominum pravitate et cupiditate deminui pravitatis decipiantur. Multi enim pravitate et cupiditate depressi. ACCUSANTES SACERDOTES DEPRESSERUNT.* Quod multis persequitur, acerbè objugans illos, qui Episcopos accusant, *ut se per illos excusent, vel eorum bonis ditentur*, ac multa hujusmodi judiciorum incommoda describens illud urget, Episcopos accusatos, et rebus suis spoliatos, aut gradu motos, aut è sede pulsos, ad dicendam causam cogi non posse, nisi primum fuerint restituti, et quædam addit de accusationibus, atque accusatoribus rejiciendis.

71. Atque hoc quidem consilium maxime perspicitur in capitulis Hadriano tributis, quæ veluti summam exhibent falsorum monumentorum, unde potissimum excerpta sunt. Nam pleraque eo spectant, ut ne à quolibet Episcopi accusentur, ut ne facile accusatores audiantur, sed ut multis ex causis tum eos, tum judices liceat recusare. Cum hæc summa sit, et hic finis totius collectionis, quis non facile intelligit, id sibi unum falsis illis meritis voluisse Isidorum, ut consuleret Episcopis, qui accusabantur (1)?

(1) Quod late, vereque ostendunt Fratres Ballerini in *cit. part. 5. cap. 6. §. 5. n. 10 pag. 220.* et Blascus *loc. cit. cap. 7. et seq. pag. 62. et seq.* Idem etiam ante ipsos observaverat Fleury *lib. 44. num. 22. Histor. Eccles. La principale*, inquit, *matière de ces decretales sont les accusations des eveques: il n'y en a presque aucune, qui n'en parle, et qui ne donne des regles pour les rendre difficiles. Aussi Isidore fait assez voir dans la preface, qu'il avoit cette matière fort à cœur; et idem similiter Van-Espenius *Comment. in quest. 7. caus. 2.*, ubi de Gratiano disserens, inquit: *Hic rursus adducit varia fragmenta fictarum decretalium, quæ præcipue ad eximendos Episcopos ab omni criminali judicio adornate apparent.* Sed vide lidem, et inconstantiam hominis, quem rapit in Sedem Apostolicam virus acerbissimæ suæ. Adversus hanc, quem noscit, veritatem inquit in *Jur. Eccl. univ. part. 3. t. 5. c. 4. n. 16.* Isidorianam collectionem pertinere præcipue ad amplificandam Sedis Apostolicæ auctoritatem. Falsitatem monumentorum, quæ Isidoriana collectio complectitur, præter Hincmarum, ceterosque antiquiores, agnoverunt etiam, atque indicarunt ex catholicis Antonius Contius, Antonius Augustinus. (N. S. Hic nempe, plura in Isidori opere inspiciens, ex Cod. Theod. et Ariano deprompta fragmenta, putridas, infectasque merces, olscit. V. *Dial. de Emend. Gratiani.*) Bellarminus item, Baronius, Perronius, Petrus de Marca, Cajetanus Cennius, aliique complures. Egregie rem hanc universam persequuntur Fratres Ballerini, Blascus *loc. cit.*, et Franciscus Antonius Zaccaria *Anti-Febonio tom. 2. dissert. 3.* Ceterum, ut ipse fatetur David Blondellus, his decretalibus infensissimus, omnes fere ex usu eorum temporum, atque ex veris posteriorum, aliorumque Scriptorum operibus excerptæ sunt, atque in eo fuit fraus Isi-*

dori, quod ipse eas sententias iis auctoribus adscripsit, quorum revera non sunt, et recentiorum disciplinam antiquis Patribus attribuit, quasi eadem quoque antea viginisset, quod recte etiam observant, atque demonstrant Fratres Ballerini loc. cit. §. 5. num. 41. pag. 221. et de potest. Eccl. Summor. Pontif. et Conc. gener. in vind. auct. Pontific. cap. 5. §. 2. p. 195. et seq. ed. Aug. Vindel. 1770. Ex quibus intelligitur, quam injustæ, vanæque sint querimonæ Van-Espenii, Febronii, Eybelii, ceterorum generis ejusdem, qui per Isidorianas decretales fractos putant ecclesiasticæ disciplinæ nervos, jus novum inductum, perturbata Episcoporum, et provincialium conciliorum jura, novamque in Sedem Apostolicam collatam potestatem. Quis non intelligit, quam injusta reprehensio sit, cum Isidorus suis decretalibus comprehenderit jus ab aliis constitutum, aut jam suæ ætatis more, et consuetudine receptum? Quare perperam, et minus recte Cavallarius eorum, quorum nunc memini, aliorumque vestigiis insistens in *Institutionibus Juris Canonici*, quas non multis ab hinc annis Neapoli evulgavit, in proleg. c. 6., ita partitus est rem canonicam, ut ab Isidoriana collectione novi juris initium repetat. Si novum non est jus Isidorianum, quid illa partitione ineptius dicit, finisque potest? Vera totius rei partitio est, ut *jus antiquum* conficiant collectiones, quæ nunc antiquatæ sunt, *novum* collectiones, quibus in scholis, et in foro utimur, *novissimum* recentiores leges ecclesiasticæ, quæ post illas editas collectiones prodierunt.

72. Plures deinde sequutæ sunt collectiones, quarum non eadem methodus omnium fuit. Principio collectio occurrit cum titulo *Canonum Pœnitentialium*, cujus incertus est auctor, quæque tametsi illam præferat inscriptionem, tamen rem totam Ecclesiasticam complectitur. (1). Sunt etiam memoratu dignæ collectiones Reginonis, Monachi Benedictini, qui opus edidit *de Ecclesiastica Disciplina, et Religione Christiana* (2); Burchardi Vormatiensis, cujus in manibus hominum versatur *Magnum decretorum volumen* (3); Anselmi Lucensis, cui tribuitur *authenticæ, et compendiosa collectio Regularum, et sententiarum SS. Patrum, et authorabilium Conciliorum*, ac præterea opusculum ex pluribus SS. Patrum operibus excerptum (4); denique Ivo Carnotensis, qui et *Exceptiones Ecclesiasticarum regularum, et Panormiam, vel Pannormiam* evulgavit (5). Sunt et alii, qui suam in colligendis canonibus operam, studiumque posuerunt; sed de omnibus dicere longum esset, et jam nos ad se vocant collectiones, quibus nunc, antiquatis vetustioribus, corpus juris canonici conficitur.

(1) Codicem hunc, quem pridem manu scriptum inspexerat Joannes Morinus, primus in lucem emisit Lucas Daeherus *Spicil. Veter. Script. tom. 1. pag. 510. et seq. ed. Paris 1723*. Est autem divisus in libros tres, quorum primo agitur *de Pœnitentibus, et de Pœnitentiis*, altero *de judiciis*, tertio *de ordinationibus, gradibus, et officiis Clericorum, atque Episcoporum*. Sunt et aliæ collectiones, quæ *Canonum Pœnitentialium* titulo inscribua-

tur, ac de quibus agunt Fratres Ballerini, qui integro tom. 3. *Append. ad oper. S. Leonis M.* vetustas collectiones omnium diligentissime persequuntur.

(2) Regino, Præmonstratensis Monasterii Abbas, jussu Radbodi, Trevirensis Archiepiscopi, anno, ut creditur, 906. suam collectionem absolvit tributam in libros duos, quorum primus *de personis* agit, *rebusque ecclesiasticis*, alter *de laicis*. In ea conficienda usus est collectione Dionysiana, Hispanica, et forte etiam Isidori Mercatoris, decretis Summorum Pontificum, conciliorum, et sententiis SS. Patrum, quibus etiam civiles leges adjunxit, petitas eum ex codice Theodosiano, tum ex capitularibus Regum Francorum. Collectionem hanc an. 1671. primus Parisiis edidit, notisque illustravit Stephanus Baluzius.

(3) Prodiit hæc collectio initio sæculi XI., divisaque est in libros viginti, et vulgo *decretum* appellatur. Multa ex Reginone desumpsit Burchardus, neque ejus tamen mentionem fecit, ut observat Baluzius in *præfat. ad Reginon.* Reginonis autem erratis sua etiam addidit, præsertim ex falsis Isidori decretalibus; quædam etiam ex veteri, novoque Testamento, atque ex libris pœnitentialibus accepit.

(4) Primum illud opus Anselmo tribuendum non esse suspicantur Antonius Augustinus, Natalis Alexander, Baluzius, ceteri, qui alterum eidem opus adscribunt.

(5) Utraque hæc collectio pertinet ad exitum sæculi XI., aut ad initium sæculi XII. *Exceptiones Ecclesiasticarum regularum* nunc vulgus appellat *decretum*, quod divisum est in libros septemdecim; *Panormia*, quæ dividitur in libros octo, veluti ejus compendium est, atque ita dicitur quasi omnes comprehendat normas vitæ, ac disciplinæ ecclesiasticæ. Bellarminus *de script. eccl. tom. 7. oper. pag. 351. ed. Venet. an. 1728*; Ant. Augustinus *de quibusd. collect. canon. cap. 50. p. 241. et 242. tom. 3. ed. Luc. Nat. Alex. Hist. Eccl. sæc. 1. append. ad dissert. 20. n. 9. pag. 201. tom. 5. ed. Ven. an. 1776.*; Jo. Baptista Bartolus *Inst. jur. canon. cap. 52.*; Joannes Molinæus, qui primum Lovanii an. 1561. decretum edidit, in *præf.*, aliique complures disputant, num Ivo Panormiæ auctor revera sit. Burchardi, et Ivois fidem sequutus Gratianus, in iisdem erratis hæsit, in quæ ipsi pridem inciderant.

N. S. Nullam prædictarum Collectionum exceperit Hispania.

AD CAPUT V.

APPENDIX.

De Hispanici, Collectionibus.

N. S. Hispaniensem Ecclesiam ab ipso sæculo IV propriam Canonum Codicem efformare cœpisse, comperimus. Quis enim credat Sanctissimos Episcopos, clarissimum præcipue Ossium, Illiberitanos Conones, Nicænos, Sardicenses, cujus præsertim opera conditi sunt, profundæ tradituros esse oblivioni? Quis dubitet eundem Cordubensem Episcopum ipsos Illiberitanos Canones Nicæne Synodo celebrandæ attulisse, ac Cano-

nem 27 Illiberitanum uti exemplar Canonis 3 Nicæno constituen- do obtulisse? Quis neget Illiberitanos Canones in Synodo Are- latensi I, et II recitados esse, quum iisdem condendis Canoni- bus exemplum videantur fuisse Illiberitani? Quis ignoret Syn- odum Toletanam I Nicænam tanquam normam ordinationibus celebrandis agnovisse? Insuper vero simile est, Episcopos Cas- tillonensem, Cæsaraugustanum, Emeritensem, Cordubensem, Barcinonensem, qui Concilio Sardicensi interfuere, ipsius Ca- nones in patriam redeuntibus attulisse, præsertim quum Syn. Va- lentina Can. 6 ad Canonem 19 Sardicensem, et Bracarensem I cap. 20, alias Canone 38, ad Canonem 13 ejusdem Sardicensis respexisse videantur. Inde pronò alveo fluit, Hispaniarum Ec- clesiam habuisse jam sæculo IV Canones Nicænos, Illiberitanos Sardicensis. An essent seorsim positi, vel una tria hæc collecta Concilia, non moramur.

Huic nascenti Codici accessisse videntur sæculo VI Galli Ca- nones, quos memorat Syn. Tarraconensis Can. 11; atque inter hos Synodi Regiensis, cujus numero 5 retulit Synodus Valenti- na, Can. 2, et Agathensis, cujus numero 26, et Aurelianensis I, cujus numero 9 retulit quoque Synodus Ilerdensis Can. 3. Adji- ciebantur fortassis semel ac condebantur et Hispani; nam eadem Synodus Ilerdensis Can. 16 non ad alium videtur respicere Ca- nonem, quam ad 12 Tarraconensem; ac nisi fallamur, adjuncti quoque sunt Constantinop., Ephesina, et Chalcedonensis: Canones quippe ejusdem Chalcedonensis, quæ postremo celebrata est, renovavit Synod. Barcinonensis an. 540 Can. 10. *De monachis id observari præcipimus, quæ Synodus Chalcedonensis constituit.*

Hucusque ex conjecturis, at non levibus, Canonum Codi- cem in Hispania deprehendimus; verum medium jam sæcu- lum VI ingressis, nullam nobis relinquit hæsitacionem Syn. Bra- carensis I, in qua quidem post Canonem 17, agente Metropolita Lucretio, *relecti sunt ex Codice coram Concilio, tam generalium Synodorum Canones, quam Localium;* quorum observantia indic- ta est capite 22, alias Can. 41. *Item placuit ut quæcumque præ- cepta antiquorum Canonum modo in Concilio recitata sunt, nullus audeat præterire.*

Itaque per id temporis exstabat in Hispania Codex ex qua- tuor Conciliis generalibus, Nicæno, Constantinop., Ephesino, Chalcedonensi, ac Provincialibus conflatus. Id apertius indicat Syn. Bracarensem II in præf. §. 3: *Sancti enim Patres, ac præ- decessores nostri, aut Generales Synodos undique collecti pro unita-*

te rectæ fidei fecerunt, sicut in Nicæna contra Arium, et Constan- tinopoli contra Macedonium, et in Epheso contra Nestorium, et in Chalcedonensi contra Eutychem, ac certe speciales Synodos per suas unusquisque Provincias pro secundis contentionibus..... per singulas quoque definitas Canonum sententias, mediante inter eos Dei spiritu conscripserunt, quas oportet nos legere, intelligere, et tenere.

Quænam autem forent Localia Concilia hæc, quibus Hispan- nus constaret Codex, comperta res est; nam præter Gallica, de quibus jam supra, adjecta quoque erant Græca ante Chalcedo- nense habita, Africana item, et Hispana quamplura. Parentes enim nostri, quibus solemne erat, antiquatas improbitate homi- num sanctiones iterata firmare constitutione, ut colligitur ex Synodo Toletana II in exordio, quum in Synodis per id temporis coactis (ipsa præsertim Bracarense I), ad priora Canonum statuta nos provocant, non ad alia videntur respicere, quam ad qua- tuor Generalia, ad Orientalia Chalcedonensi antiquiora, ad Afri- cana, et Hispana; quod ut pateat, visum est, hanc subjee- re tabellam.

Synodus Bracar. I an. 563.

- Capite 8. ad Valentinum Can. 6.
- Capite 13. ad Laodicænum Can. 44.
- Capite 15. ad Nicænum Can. 5.
- Capite 19. ad Carthagin. II Can. 3.
- et Toletanum I Can. 20.
- Capite 20. ad Sardicense Can. 13.

Syn. Bracar. II an. 572.

- Canon 2. ad Tarraconense Can. 8.
- Canon 3. ad Aurelianum II Can. 3.
- et Turonen. I Can. 38.

Syn. Toletana III an. 589.

- Canon 2. ad Constantinop. in Symb. Fidei.
- Canon 3. ad Carthag. IV Can. 32.
- et Agathense Can. 7.
- Canon 6. ad Agathense Can. 7.
- Canon 11. ad Illiberit. Can. 3, 7, et 47.
- Canon 11. ad Nicænum Can. 11.

Canon 19 . . . ad Carthag. IV Can. 31.

Syn. Hispalen. I an. 390.

Canon 4 . . . ad Agathense Can. 33.

Canon 1 et 2 . . . ad Toletanum III Can. 3.

Et sane Martinus Bracarensis, qui labente eodem sæculo VI Collectionem concinnavit, Africanos simul et Gallicanos Canones in Hispaniam inductos invenisse videtur, ac græcos quoque, tametsi corruptos, ut in ipsa indicat Præfatione. Quo pacto advecti fuerint in Hispaniam Gallicani Canones, nemo inquirat, qui Hispanos Episcopos celebrando Concilio Arelatensi II concessos aspiciat. Græcos autem suspicamur missos esse ad Galliarum Episcopos à Leone M. quum eosdem de gestis Concilii Chalcedonensis, in quo adprobati sunt, certiores reddidit. *Epist. novo ord. 103*, atque inde in Hispaniam advectos; id quod innuere videtur Idatius in *Chron. Olimpiad. 307*. 3 Africanos demum Donatus forsàn una cum Monachorum regula in Hispaniam adduxit, uti colligitur ex S. Ildephonso *de Viris Illustrib. cap. 10*.

Interea Martinus è Pannonia, quæ nunc Ungaria dicitur, oriundus, ex Oriente, quo se jam dudum diverterat, in Hispaniam profectus, Gallæciam venit, ibique primùm Dumienis à se erecti Monasterii, dein vero Bracarensis Episcopus renuntiatus est. Hic, ut erat græci sermonis peritissimus, græcos Canones græcæ fidei reddere, et puriore latinitate donare cupiens, propriam ex his, et Africanis, Gallis, ac Hispaniensibus Conciliis Collectionem edidit an. circiter 570, per materias digestam, et in 84 Capitula tributam, quorum 19 priora Episcopos, 49 quæ sequuntur Clericos, 16 reliqua Populum spectant. Eam Nitigesio, et universò Concilio Lucensi obtulit, quod aliquod fuisse ex haberi solitis in eadem Civitate non negat Florezius *Hispan. Sacre tom. 4 tract. 3 cap. 3 num. 77*. Non omnes omnium Conciliorum Canones ad suam efformandam Collectionem adsumsit, sed eos duntaxat, qui sibi visi sunt utiliores; et græcos non stricta, et verbo verbo respondente versione transtulit, sed libera, qua non voces, sed sententias exciperet, eadem ferme ratione, qua in latinis transcribendis se gessit.

Verum mirari subest, quam acriter in Martinum Berardus in Præfat. *ad Grat. Canon. Observ. 5*, et ex eo fortassis Selva-

gius invehantur. Ajunt 1 in contrariam detorsisse sententiam Canonem 9 Concilii Ancyran, ex quo caput 39 suæ Collectionis confecit. At si hujusmodi Canon transcriptus fuisset à Martino prout in vulgata versione exstat, turbas excitasset apud Latinos, ubi contraria semper viguit disciplina: prudenti igitur consilio græcum Canonem latinum fecit, sive ad Hispanæ consuetudinis indolem jure optimo adcomodavit. Adhæc: Quis adserere audeat vulgatam Canonis Ancyran versionem adcuratio-rem esse Martini versione, in qua Canones sibi duxit ad pristinam lectionem revocare? Quis Martini inquam, qui utriusque idiomatis peritissimus audiebat, et teste Gregorio Turonen. *Hist. Franc. lib. 4 cap. 38*, nulli secundus suo tempore habebatur? Profecto non omnes hujus Canonis lectiones cum Martini versione pugnant.

Ajunt 2 quod plures ex diversis Conciliis Canones simul adnexerit, videlicet Canonem 3 ex Nicæno, 4 ex Toletano I, et 15 ex Bracarensi I, et ex his caput 32 suæ Collectionis efformaverit; sed perperam; quantumcumque quippe est præfatum caput 32, ex solo Canone Nicæno desumptum videtur; si quod autem vocabulum Collector addidit, non ex aliis binis Canonibus, sed ex propria addidit sententia ad planiorem Canonis enuntiationem. Quod vero sit juxta sententias etiam Toletani, et Bracarensis; quid? Omnia ferme terrarum orbis Concilia eandem plus minus disciplinam tradidere ac Nicænum Canonem 6. Quæ quum ita sint, non est cur condonemus Berardo, quod dixerit: *Ego meliores simplicioresve interpretes tutius exoptaverim. Gloriarer quidem Martinum Bracarensis institutorem rerum sacrarum habere, non autem uterer eo tamquam Canonum Collectore, in quo non tantum doctrina spectanda est, quam simplicitas, et probata fides.* Quis putaret unquam prudentissimi alioqui ingenii virum tam acriter, tamque extra æquitatis limites in præclarum Martini nomen invecturum, quasi in insigne Canonum artificem? At temperantius videtur egisse cum eo in *Institution. Juris Eccles. Patr. 1 Tit. 9 § 6*.

Itaque binæ aderant in Hispania Collectiones; brevis alia Martini, velut epitome ad expeditiorem causarum discussionem, et qua nonnunquam etiam utebatur Ecclesia, ut videre est in fragm. Codicis Wigiliani: *De ordine celebrandi Concilii*, quod suæ inseruit *Collet. Max. tom. 4 part. 3. Appar. Card. de Aguirre*; fusior alia, quæ omnes amplecteretur Canones, nullis demtis, vel inmutatis vocibus, quæ quidem à singulis quibus-

que Conciliis pedetentim exerescebat. Unde Syn. Tolet. IX in Præf. id communi deliberatione decrevit; ut capitula, quæ in prisca Canonibus minime habeantur inserta, pari promulgarentur sententia, et antiquis jungerentur Regulis, perenni jugitate mansura, et omni reverentia observanda.

Hic Codex ille fortassis est, cujus meminit Reccaredus, qui quum Synodi Toletanæ III sanctiones, quantum in se esset, ratas habere decerneret, ad eas sed refert sicut plenius in Canone, hoc est in Codice continebantur: ille inquam Codex, cui se conferunt Patres Syn. Hispalens. I, qui quum Canonum statuta consulissent, quid tunc esset decernendum, in Canone compererunt, desumpto ex Concilio Agathen. Can. 33; atque ille demum, quem profert Synodus Toletana IV, quæ methodum habendis Conciliis præscribens Can. 4, post plures recensitas cæremonias, hæc subdit: *Diaconus Alba inductus, Codicem Canonum in medio proferens, capitula de Conciliis agendis pronuntiet.*

Porro Hispanus iste Codex sæculo VII non potuit non jam esse prægrandis, quippe qui permultos in se comprehenderet eo usque in Hispania constitutos Canones; id quod testatur Synodus Toletana VII, in cujus Exordio: *Nam licet tantæ, ait, Constitutiones Canonum exstent, quæ ad omnem possent correptionem sufficere, si quis eas dignetur libenter attendere, tamen quia luminis claritas tanto amplius emicat, quanto fuerit studiosius sæpissime contrectata, non parum proficit ad emendationem multorum, si dum ea, quæ constituta sunt, per fraternam collationem ad memoriam reducantur, et illa magis adjiciantur, quæ aut deesse videntur, aut omnino constituenda competenter existimantur.*

Profecto Hispanus iste Codex idem videtur esse, aut saltem non absimilis illi, quem in Ecclesia Urgellensi exstare ait Aguirius tom. 1. *dissert. 2. Escurs. 1. §. 43*, qui præfert Concilia quatuor generalia, Orientalia usque ad Chalcedonense, Africana, et Hispana. Sed ineditum hunc Codicem, sicut et germanam S. Isidori Hispalensis Collectionem, quam in Archivis delitescere ajunt, nobis datum non est vel aspicere.

Nec vero Conciliorum tantum Canonibus constata erat Collectio hæc, sed continebat quoque Synodicas Romanorum Pontificum Epistolas, eas vel maxime, quæ ad Hispaniarum Episcopos mittebantur. Id innuit Synodus Toletana III Can. 1: *Permaneant in suo vigore Conciliorum omnium constituta, simul et Synodicæ Sanctorum Præsulum Romanorum Epistolæ.* Inter quas si

Canonis sententias perpendimus, recensendæ sunt, Epistola Siricii ad Hincmarum Tarraconensem, binæ Hilarii ad Tarraconenses, et altera Hormisdæ ad Episcopos per Hispaniam. Continebat forsitan et alias Epistolas, videlicet Vigili Pap. ad Profuturum Bracaren., cujus meminit Synodus Bracar. I post Canonem 17, Innocentii I ad Exuperium Tolosanum, et Decretum Gelasii de Canonicis Sacræ Scripturæ libris, quibus sibi adhæreret duxit Synodus Toletana IV Canon. 17 alias 16. Epistolam itidem Leonis M. ad Rusticum Narbonensem, cujus auctoritate nixa Synodus Toletana VI Canonem 8 condidit. Epistolam etiam ejusdem Leonis nunc 108, ad cujus caput 4 respexit Synodus Toletana XI Canone 12. Alteram Gelasii ad universos Episcopos per Lucan., ad cujus caput 7 videtur intendere Synodus Hispalensis II Canone 6, aliasque complures.

Hujus amplissimæ Collectionis index, vel si mavis *Repertorium* sæculo fortassis VII labente confectum, et in libros duodecim tributum, quod suo præfixit Tom. 4 *Collectionis* Card. de Aguirre, et Tom. 1 de *Antiquitat. Ecclesiæ Hispanæ* Cajetanus Cennius, plane demonstrat Codicem tunc in Hispania viguisse ex Conciliis generalibus, Orientalibus ante Chalcedonense, Africanis, Gallis, et Hispanis, atque ex Epistolis Romanorum Pontificum à Damaso usque ad Gregorium M. conflatum, uti evincitur ex analysi Indicis ejusdem, quam præfatus Cennius tradidit *ibid.* in Præfat. à §. 12.

Quisnam vero fuerit hujus Collectionis auctor, haud facile erit demonstrare. Idem Cennius S. Isidoro Hispalensi adjudicandam acerrime contendit; nos tamen vero simile tantum putamus, eoque verosimilius quo leviora adparent momenta, quæ in contrarium obijciuntur. Et revera nihil nos movet, quod Braulio; et Ildephonsus, qui ejus operum censum intexuerunt, nullius ab Isidoro compacti Codicis meminerint; non enim hi cuncta S. Doctoris opera recensere sibi in animum induxerunt: non Ildephonsus; siquidem aliquorum meminit Braulio, quæ ille prætermisit; non Braulio, quippe qui, enumeratis aliquot Egregii Doctoris libris, hæc subdit: *Sunt et alia ejus Viri multa opuscula, et in Ecclesia Dei multo cum ornamento inscripta:* quibus sub verbis nemo non novit Collectionis opus comprehendere potuisse. Quod autem noluerit illud nominatim exprimere, id potuit esse in causa, vel quia Isidorus Collectionem non invenit, sed confectam vel auxit, vel expolivit, seu quia usitatum, immo frequentissimum fuit, ut Episcopi peculiarem Canonum Codi-

cem efformarent. Reponunt non pauci: recensentur ibi Concilia Toletana à 5 ad 16, S. Isidori ævo posteriora: esto; sed Collectio secundas operas post S. Doctoris obitum persensit. eique successu temporis aliæ atque aliæ manus accessere.

Inde colligere est, minime fuisse hanc Dionysianam Collectionem, quum in hac tot distinguantur capita quot Canones, non ita in nostra, quæ in tot tribuitur capita quot Concilia. Immo neque in animum inducere possumus, ut credamus, Dionysii Collectionem in Hispania viguisse, maxime tempore Concilii Bracarenensis an. 563. Id excogitatum primo videtur à Natali Alexandro, *Sæculo I. Dissert. 21*; qui hanc Synodum secundam vocans, in errorem à rerum Ecclesiasticarum Dissertatore alienum impexit; siquidem Synodus Bracarenensis, quam primam forsitan putat Natalis, et quam ex abditis nescimus quibus scriniis eruisse se, mentitus est Britus, inter apertas nebulonum fabellas jure merito enumeratur. A Natali simul cum errore hoc, sententiam illam exorbnit Selvagius, ea motus de causa, quod utraque Synodus Bracarenensis, et Toletana IV eandem servaverint methodum, quam in sua Collectione Dionysius. Verum nos, qui in hac investiganda adfinitate otii nonnihil impedimus, non potuimus parem utriusque Synodi cum Dionysiana Collectione methodum expiscari.

Adhæc quatuor sunt adhuc, quæ Selvagii opinioni adhærere non sinunt. 1 Si Hispani usi essent Dionysiana Collectione in Synodo Bracarenensi laudata, hæc profecto non latuisset Martinum, quippe qui eidem qua Episcopus Dumiensis interfuit; at illam neque conspexisse ex eo colligitur, quod Martinus græcos Canones repererit subobscuros, et non legitime conversos, quia *difficile est, ut ipse ait in Præfatione, ut simplicius aliquid ex alia lingua transferatur in alteram.* Nunc igitur. Quis sibi persuasum habebit græcos Canones vitiose translatos esse à Dionysio, Abbate Scythæ, qui teste Cassiodoro, *Divinarum Lectionum cap. 23 tantæ Latinitatis, et Græcitatatis perilia fungebatur, ut quoscumque libros Græcos in manibus acciperet, Latine sine offensione transeurreret, iterumque Latinos Attico sermone legeret?* 2 Si eandem Hispani Collectionem excepissent, vero simile expecturos esse quoque Eram Christianam, qua tamen usitati non sumus nisi post annum 1000. 3 Ex eo etiam evincitur ignotam fuisse apud nos Collectionem hanc, quod Canones ita dicti Apostolorum, quibus prima hujus Codicis inscribitur pagina, nunquam receptos, probatos nunquam, nunquam recensitos inve-

niamus. 4. Quod Concilia nostra, quum ad præteritos se conferunt Canones, nunquam eos, nequidem Græcos, eisdem numeris designatos referant, quibus in Dionysia Collectione, sed eo tantum numerorum ordine notatos, quem primi eorundem Canonum conditores ipsis præscripsere, uti ad paret in Synodo Toletana XII Canone 4., et in fragmento Codicis Wigiliani supra memorati §. *Finita autem.*

(*) De ampla illa Collectione, quam sub D. Isidori auspiciis in lucem prodiiisse credimus, licet integram talis operis executionem Hispalensi Præsuli adscribere non audeamus, et quæ *Gothica* appellari solet, sat in præcedentibus §§. Selvag. Adnotatores. Memoratu quidem digna est alia Collectio, Arabico idiomate conscripta, quam Presbyter nomine *Vicentius*, ad usum nobilissimi ejusdem Episcopi, die 17 Octobris an. Dom. 1049, ut ipse consignavit, complevit, quo sub Maurico jugo oppressi nostrates Christiani, rectam et fidei et morum doctrinam retinerent; cujus unicum exemplar membranaceum, ephycis exaratum litteris, ipsa vetustate in quibusdam vel mutilum vel oblitteratum, foliis 433 constans, inter Escorialenses codices repletum, iis, quibus nunc utimur, verbis describit D. Franc. Anton. Gonzalez, publicæ Matritensis Bibliothecæ Præfectus, qui laudatam Gothicam Collectionem annis 1808—21 evulgavit.

Arabicam quoque typis mandare, rege Carolo IV, in mente erat; et cum hac de re ageretur, an. 1798 D. Petrus Ludovicus Blanco, ejusdem quoque Bibliothecæ Moderator, Legionensis postea Episcopus, opusculum edidit sub titulo: *Noticia de las antiguas colecciones canónicas inéditas de la Iglesia Española, que de orden del Rey N. S. se publicarán por su Real Biblioteca de Madrid*: unde quæ sequuntur transcribimus, et melius tum Arabicus codex, tum ille, qui *Repertorium* vel *Excerpta Canonum* audit, legentibus innotescant:

Dejemos al tiempo que descubra el autor, que se nos oculta, del *Excerpta Canonum*... Nos consta por lo dicho su antigüedad; y que con arreglo á ella se formó nuestro Código arábigo algun tiempo despues, ó algun latino, del que se trasladó al Arabe; aunque nos inclinamos mas á lo primero, fundados en que no se ha descubierto noticia, ni el menor indicio, de un solo códice, que pudiese haber servido de original para la version, y en que han llegado á nuestro tiempo muchos ejemplares de la *Instituta* (el *Excerpta Canonum*), todos acordes en su contenido, y en el método de indicar solamente los cánones correspondientes á cada título ó materia, sin insertarlos como se ven en nuestro códice Arabe. De aqui podemos conjeturar... que es obra original en ambos idiomas. Será mas fácil persuadirse á este juicio,

si se observa que todos los ejemplares que conocemos de la Instituta, se hallan al principio de algun código de la coleccion grande de Concilios y Epistolas; y como en estos están integros los cánones que aquella indica, seria inútil el doble trabajo de incluirlos en ella, teniéndolos en el cuerpo de la obra, en el Concilio ó decretal á que correspondian; pero tratándose de trasladar al Arabe la Instituta, era preciso insertar á la letra los cánones ó capitulos que en ella se citan; pues de otro modo, seria infructuosa la version para aquellos en cuyo obsequio se hacia, y seria darles en Arabe el indice de una obra latina que, si la entendian, estaba de mas la version de aquel, y sinó la entendian, les era del todo inútil... (Pag. 144-46.)

«Concluimos que el *Excerpta Canonum*, que es como indice ó prontuario del código Arabe, se compuso despues del Concilio XVII de Toledo, (al cual hace referencias) pero antes del siglo IX (porque se hallaba ya á lo menos desde principios de este siglo en todos nuestros códigos góticos): que este mismo código (el Arabe) es en su clase original...; que el presbitero Vicente fué autor de la coleccion Arabe, y que probablemente fué de la Bética... La falta del Prólogo de nuestro Código nos obliga á recurrir á conjeturas... (Pag. 147-48).

«El código Arabe está compuesto de diez libros con sus respectivos títulos, que en el orden y materia corresponden á los mismos de la citada Instituta, con las pequeñas variaciones que tambien se advierten en esta, cotejada la de unos códigos con otros, y se reducen á posponer y anteponer algun título de un propio libro, y algunos cánones ó capitulos dentro de un mismo título; y tal vez á citar mas ó menos cánones en una materia... (Pag. 109).»

(N. S. Ad hanc ipsam epocham, originis nempe Juris Ecclesiastici Hispani, adscribendæ sunt Imperatorum leges, Codicis scilicet Theodosiani, qui Tolosæ promulgatus est an. 506. Non enim dedignabatur Ecclesia nostra suos sæcularium Principum legibus Canones adcomodare, earumque non semel auctoritate confirmatos statuere. Id perspice in sequenti tabella:

- Syn. Bracar. I Cap. 18. respicit ad Leg. 4 Tit. 17 Lib. 9 Cod. Theodos.
- Syn. Hispal. II Can. 1. ad Leg. 2 Tit. 5 Lib. 5 Cod. Theodos.
- Eadem Synodus Can. 3. ad Leg. 1 Tit. 9 Lib. 5 Cod. Theodos.
- Syn. Tolet. IV Can. 34. ad Leg. unic. Tit. 8 Lib. 2 Novell.
- Eadem Syn. Can. 46. . ad Leg. unic. Tit. 5 Lib. 2 Novell.

Verum peracta à Reccesvintho, anno II Imperii Leovigildi, Reccaredi, Sisebuti, Sisenandi, Chindasvindi, et ab ipso latarum legum compilatione, uti colligitur ex *Leg. 5 tit. 1. lib. 2. Fori Judic.* quæ quidem in peculiarem exiit juris dicendi regulam, et cujus *reverendis Sanctionibus*, ut verbis utamur Synodi Toletanæ IX Can. 13, nedum populus, sed et Clerus etiam cogebatur *Leg. 2. tit. 1. lib. 2. Fori Judic.*, abofitis, prorsus Romanis

constitutionibus, *Leg. 8. tit. 1. lib. 2. ejusdem*, jam tunc Hispaniarum Patres suos secundum Gotthorum Leges, Canones constituere cœperunt. Id factum est in Syn. Tolet. IX, Can. 13, in quo ad *Leges lib. 3. tit. 1. Fori Judicium* respexerunt; in Toletana XII, in qua Canone 7 *Legem Wambani Regis*, ab Ervigio temperatam, et Canone 9 ab ipso Ervigio contra Judæos editam confirmarunt; et insuper in Toletana XIII Canone 4, in quo ad *Leges lib. 9. tit. 1. ejusdem* intenderunt.

In Hispania igitur, præter Cathalauniæ Regnum, in quo modificatæ sunt Gotthorum leges, et aliæ suffectæ in Synodo Barcinonensi an. 1064 sub Hugone Legato, Forum Judicium obtinebat, et usque ad *Forum Regale* obtinuit. At non deerant privati alii Codices, videlicet *Septempublicensis*, ac *Vetus Castellæ* à Sanctio Garcia traditi, alique vulgo *Chartæ Populationum* appellatæ, quibus recens expugnatis urbibus nonnulla indulgebantur privilegia, scilicet *Vetus Legionis*, ab Alphonso V datus in Syn. Legionensi an. 1020, et in Cojacensi an. 1030 Canone 13 à Ferdinando I confirmatus; *Supravienensis* item an. 1030, et *Jacensis*, quibus Aragonum, et Navarrae populi regebantur.

Opinio eorum, qui Veterem Castellæ Codicem, de quo hic sermo, Sanctio Garcia adscribunt, ejusdem Præfationi, sub Petro I adpositæ, adversari videtur; ut et veritati consonum, quod ista de re asserit Auctor operis: «Historia de la Legislacion Española, desde los tiempos mas remotos hasta la época presente, Matrit. 1849, cap. 9: videlicet: *El Fuero Viejo de Castilla* es obra de los ricos-homes y hijos-dalgo del siglo XIII, que lo escribieron por mandado del Monarca D. Alonso VIII. La opinion que atribuye su origen á los condes de Castilla, es enteramente gratuita y errónea, como ha demostrado con sólidas razones el Sr. Marina; y tambien es equivocada la de este escritor cuando lo supone formado por los comunes ó concejos de los pueblos castellanos.»

CAPUT VI.

DE RECENTIORIBUS JURIS CANONICI COLLECTIONIBUS.

- 73. GRATIANI DECRETUM.— 74. EJUS METHODUS.—75. DECRETI LAUDES.—76. VITIÆ.—77. EORUM EMENDATIO.—78. DE NOMINE PALEÆ.—79. DECRETI AUCTORITAS.—80. COLLECTIO BERNARDI CIRCA.—81. COLLECTIONES GILBERTI, ALANI, JOANNIS GALENSIS.—82. COLLECTIONES DECRETALIU INNOCENTI III.—83. DECRETALES HONORII III.—84. COLLECTIO GREGORII IX.—85. CUR DECRETALIU NOMINE APPELLETUR?—86. EJUS FONTES.—87. DIVISIO.—88. COLLECTIO BONIFACII VIII.—89. CLEMENTINÆ.—90. EXTRAVAGANTES.—91. GLOSSÆ.

Transgredimur nunc ad recentiores Juris [Canonici collectio-

si se observa que todos los ejemplares que conocemos de la Instituta, se hallan al principio de algun código de la coleccion grande de Concilios y Epistolas; y como en estos están integros los cánones que aquella indica, seria inútil el doble trabajo de incluirlos en ella, teniéndolos en el cuerpo de la obra, en el Concilio ó decretal á que correspondian; pero tratándose de trasladar al Arabe la Instituta, era preciso insertar á la letra los cánones ó capitulos que en ella se citan; pues de otro modo, seria infructuosa la version para aquellos en cuyo obsequio se hacia, y seria darles en Arabe el indice de una obra latina que, si la entendian, estaba de mas la version de aquel, y sinó la entendian, les era del todo inútil... (Pag. 144-46.)

«Concluimos que el *Excerpta Canonum*, que es como indice ó prontuario del código Arabe, se compuso despues del Concilio XVII de Toledo, (al cual hace referencias) pero antes del siglo IX (porque se hallaba ya á lo menos desde principios de este siglo en todos nuestros códigos góticos): que este mismo código (el Arabe) es en su clase original...; que el presbitero Vicente fué autor de la coleccion Arabe, y que probablemente fué de la Bética... La falta del Prólogo de nuestro Código nos obliga á recurrir á conjeturas... (Pag. 147-48).

«El código Arabe está compuesto de diez libros con sus respectivos títulos, que en el orden y materia corresponden á los mismos de la citada Instituta, con las pequeñas variaciones que tambien se advierten en esta, cotejada la de unos códigos con otros, y se reducen á posponer y anteponer algun título de un propio libro, y algunos cánones ó capitulos dentro de un mismo título; y tal vez á citar mas ó menos cánones en una materia... (Pag. 109).»

(N. S. Ad hanc ipsam epocham, originis nempe Juris Ecclesiastici Hispani, adscribendæ sunt Imperatorum leges, Codicis scilicet Theodosiani, qui Tolosæ promulgatus est an. 506. Non enim dedignabatur Ecclesia nostra suos sæcularium Principum legibus Canones adcomodare, earumque non semel auctoritate confirmatos statuere. Id perspice in sequenti tabella:

- Syn. Bracar. I Cap. 18. respicit ad Leg. 4 Tit. 17 Lib. 9 Cod. Theodos.
- Syn. Hispal. II Can. 1. ad Leg. 2 Tit. 5 Lib. 5 Cod. Theodos.
- Eadem Synodus Can. 3. ad Leg. 1 Tit. 9 Lib. 5 Cod. Theodos.
- Syn. Tolet. IV Can. 34. ad Leg. unic. Tit. 8 Lib. 2 Novell.
- Eadem Syn. Can. 46. . ad Leg. unic. Tit. 5 Lib. 2 Novell.

Verum peracta à Reccesvintho, anno II Imperii Leovigildi, Reccaredi, Sisebuti, Sisenandi, Chindasvindi, et ab ipso latarum legum compilatione, uti colligitur ex *Leg. 5 tit. 1. lib. 2. Fori Judic.* quæ quidem in peculiarem exiit juris dicendi regulam, et cujus *reverendis Sanctionibus*, ut verbis utamur Synodi Toletanæ IX Can. 13, nedum populus, sed et Clerus etiam cogebatur *Leg. 2. tit. 1. lib. 2. Fori Judic.*, abofitis, prorsus Romanis

constitutionibus, *Leg. 8. tit. 1. lib. 2. ejusdem*, jam tunc Hispaniarum Patres suos secundum Gotthorum Leges, Canones constituere cœperunt. Id factum est in Syn. Tolet. IX, Can. 13, in quo ad *Leges lib. 3. tit. 1. Fori Judicium* respexerunt; in Toletana XII, in qua Canone 7 *Legem Wambani Regis*, ab Ervigio temperatam, et Canone 9 ab ipso Ervigio contra Judæos editam confirmarunt; et insuper in Toletana XIII Canone 4, in quo ad *Leges lib. 9. tit. 1. ejusdem* intenderunt.

In Hispania igitur, præter Cathalauniæ Regnum, in quo modificatæ sunt Gotthorum leges, et aliæ suffectæ in Synodo Barcinonensi an. 1064 sub Hugone Legato, Forum Judicium obtinebat, et usque ad *Forum Regale* obtinuit. At non deerant privati alii Codices, videlicet *Septempublicensis*, ac *Vetus Castellæ* à Sanctio Garcia traditi, alique vulgo *Chartæ Populationum* appellatæ, quibus recens expugnatis urbibus nonnulla indulgebantur privilegia, scilicet *Vetus Legionis*, ab Alphonso V datus in Syn. Legionensi an. 1020, et in Cojacensi an. 1030 Canone 13 à Ferdinando I confirmatus; *Supravienensis* item an. 1030, et *Jacensis*, quibus Aragonum, et Navarrae populi regebantur.

Opinio eorum, qui Veterem Castellæ Codicem, de quo hic sermo, Sanctio Garcia adscribunt, ejusdem Præfationi, sub Petro I adpositæ, adversari videtur; ut et veritati consonum, quod ista de re asserit Auctor operis: «Historia de la Legislacion Española, desde los tiempos mas remotos hasta la época presente, Matrit. 1849, cap. 9: videlicet: *El Fuero Viejo de Castilla* es obra de los ricos-homes y fijos-dalgo del siglo XIII, que lo escribieron por mandado del Monarca D. Alonso VIII. La opinion que atribuye su origen á los condes de Castilla, es enteramente gratuita y errónea, como ha demostrado con sólidas razones el Sr. Marina; y tambien es equivocada la de este escritor cuando lo supone formado por los comunes ó concejos de los pueblos castellanos.»

CAPUT VI.

DE RECENTIORIBUS JURIS CANONICI COLLECTIONIBUS.

- 73. GRATIANI DECRETUM.— 74. EJUS METHODUS.—75. DECRETI LAUDES.—76. VITIÆ.—77. EORUM EMENDATIO.—78. DE NOMINE PALEÆ.—79. DECRETI AUCTORITAS.—80. COLLECTIO BERNARDI CIRCA.—81. COLLECTIONES GILBERTI, ALANI, JOANNIS GALENSIS.—82. COLLECTIONES DECRETALIU INNOCENTI III.—83. DECRETALES HONORII III.—84. COLLECTIO GREGORII IX.—85. CUR DECRETALIU NOMINE APPELLETUR?—86. EJUS FONTES.—87. DIVISIO.—88. COLLECTIO BONIFACII VIII.—89. CLEMENTINÆ.—90. EXTRAVAGANTES.—91. GLOSSÆ.

Transgredimur nunc ad recentiores Juris [Canonici collectio-

nes; et primum quidem occurrit Gratianus, Monachus Benedictinus Clusii natus, qui medio sæculo XII. scripsit *Concordantiam discordantium canonum*, quam nunc *Decretum* vocamus (1). Tota hæc collectio conflata est ex locis S. Scripturæ, ex canonibus quinquaginta Apostolorum, ex conciliis generalibus, ac particularibus, ex decretalibus summorum Pontificum, ex operibus Patrum, Scriptorumque Ecclesiasticorum, ex libris Juris Civilis Romanorum, Capitularibus Regum Francorum, et rescriptis aliquot imperatorum, denique ex historia ecclesiastica, gestisque summorum Pontificum plerumque desumptis ex libro diurno, atque ex ordine Romano.

(1) *Decreti* nomen, quo nunc Gratianeam collectionem appellamus, in eam quadrare nulla ratione posse, cum non unum, sed plura decreta referantur, jamdiu observarunt viri docti, præsertim Antonius Demochares, Antonius Augustinus, Romani Correctores. Sed usus fori, et scholarum fecit, ut nunc ab omnibus eo nomine Gratiani collectio appelletur. Vide Ant. Augustinum *de emend. Gratian. lib. 1. dial. 1.*, et notas in eundem locum *lit. B. pag. 17. tom. 5. ed. Luc. an. 1767.*

74. Dividitur autem universa collectio in partes tres, quarum prima de *personis* præsertim agit, continent *distinctiones* 401, et sub qualibet distinctione plures *canones*, qui ita allegantur, ex *gr. can. omnes dist. 1.* hoc est *can.* qui incipit *omnes dist. 1.* vel per numerum canonis, ex *gr. can. 3. dist. 1.* Pars altera *judicia* persequitur, eaque divisa est in causas, quæ sunt numero 36. sub unaquaque causa sunt plures *quæstiones*, et sub *quæstionibus* plures *canones*. In altera hæc parte laudantur *numerus, causæ et quæstiones*, præterea *numerus*, vel priora canonis verba, ex *gr. can. 2. caus. 8. quæst. 2.*, vel *can. nemo caus. 11. quæst. 3.* Extat in hac decreti parte, hoc est in *caus. 33. quæst. 3.*, tractatus de *pœnitentia* in septem distinctiones tributus. Cum indicantur *canones*, qui in hoc tractatu referuntur, ne cum canonibus primæ partis confundantur (eodem enim modo procedunt) additur de *pœnitentia*, et causa nequaquam ditatur ex *gr. Can. quem pœnitet dist. 1. de pœnitent.* Denique *ad res* pertinet tertia pars, eaque complectitur tractatum de *consecratione* tributum in *quinque distinctiones*, quarum *canones* laudantur hoc modo *can. tabernaculum dist. 1. de consecr.*, vel *can. 1. de consecr. dist. 1.* Additur de *consecratione*, ut noscatur, canonem ad partem tertiam pertinere.

75. Dici vix potest, quantis plausibus, et quanta hominum

approbatione Gratiani collectio fuerit excepta, adeo ut in scholis publice legeretur, et in foro tamquam pars communis juris haberetur. Magna sane, et illustri laude merito celebratus est Gratianus, tum quia non ordinem sequutus temporum, ut plerique fecerant, sed sub certis titulis distribuit materiam universam, tum quia multo ceteris uberiores, atque ampliores dedit collectionem, qua complexus est quicquid fere pertinet ad rem ecclesiasticam, tum quia magno ingenii acumine, et diligentia, aptaque non scholis tantum, sed etiam forensi exercitationi methodo, omnia ad concordiam vocare conatus est, inter quæ pugna esse videbatur.

N. S. Non distulit Hispania nostra hanc ad se adducere Collectionem; quum enim primam aspexerit lucem an., circiter 1151., ea usus est Petrus Archiepiscopus Compostellanus, qui adversus Bracarensem disceptabat. Videtur Epistol. Innocent. III. ad eund. Petrum an. circiter 1199. apud Aguirre tom. 4. ad calcem *Synodi Emerit.* et apud Florezium *Hispan. Sacr. tom. 4. Tract. 5. Append. 2. §. 14.*

76. Verumtamen illud accidit perincomode, quod tanta viri sedulitate, tamen, quæ illius temporis conditio erat, neque satis fuit antiquitatum gnarus, et rivos sectatus, pleraque in opus suum derivavit, non ipsis ex fontibus, sed ex mendosis collectionibus Burchardi, Ivonis, ceterorum. Factum hinc est, ut sæpe falsa pro veris usurpet; fidem adjungat decretalibus Pontificum Sircio antiquiorum; confundat canones quini—sextæ in Trullo synodi cum canonibus sextæ synodi œcumenicæ, sententias Patrum cum decretis Pontificum romanorum, aut conciliorum, et Patrem unum, aut unum Concilium, atque Pontificem, cum alio Pontifice, Concilio, Patre; corrumpat auctorum nomina et loca, atque iis sententiam adscribat, quam nunquam animo conceperunt (1).

(1) Verissimum hoc est de Gratiano judicium, quod tradidit Antonius Augustinus *lib. dialog. 1. de emend. Gratian. tom. 5. pag. 21. ed. Lucen.*

77. Cum hæc animadvertissent Antonius Contius, et Antonius Demochares, de Gratiani emendatione sedulo cogitare cœperunt. Primum itaque canones omnes per numeros distinxerunt, ut facilius inveniri laudarique possent, deinde plures decreto notas, atque emendationes addiderunt. Sed cum multa adhuc essent emendanda, Pius IV., et S. Pius V. selectis quibusdam viris, quos *Romanos correctores* vocamus, Decreti emendationem commisserunt, quæ demum Gregorio XIII. Pontifice fuit absolu-

ta. Antonius etiam Augustinus, Tarraconensis Archiepiscopus, eruditum vulgavit opus de Gratiani emendatione (1).

(1) Quod comprehenditur duobus dialogorum libris, qui extant t. 2. *ejus operum ed. Luc. an. 1767.* Novissime de Gratiani emendatione summo studio, ac diligentia laboravit Sebastianus Berardus, qui rem totam absolvit quatuor voluminibus, quorum est titulus: *Gratiani canones genuini ab apocryphis discreti; corrupti ad emendationum codicum fidem exacti; difficiliore commoda interpretatione illustrati.* Suam quoque in Gratiani decreto emendando, aut explicando operam, et industriam posuerunt Pitheus, Van-Espenius, Diomedes Brava, Boehmerus, Paulus, et I. A. de Riegger. Paucis ab hinc annis Le Platius disputatione Lovanii edita plane commentitios, ac nullius auctoritatis esse inquit canones, quos Gratianus ex Concilio Cartaginiensi 4. descripsit. Certe hujus Concilii nulla mentio est in Codice Canonum Ecclesiae Africanae, nulla item apud Ferrandum Diaconum, Dionysium Exiguum, ceterosque antiquos collectores. Hinc Justellus in *praef. ad Cod. Eccl. African. tom. 1. Biblioth. Jur. Canon. p. 317.* Concilium hoc Carthaginense 4. repudiandum putat. Verum multi ex eo canones laudantur ab Egherto Eboracensi, Reginone, Burchardo, Anselmo Lucensi, atque aliis; et ritus, qui ad ordinationes pertinent, totidem verbis exhibet Sacramentarium Romanum, quod ex Bibliotheca Reginae Christianae edidit Thomasius, qui illud in Gallia saeculo VII. scriptum putat. Emmanuel Schelestratus *dissert. 5. de Eccl. Afric.* priores canones de ritu ordinationum agentes in Synodo Carthaginensi an. 598. constitutos putat; ceteros autem canones non in ea synodo conditos, sed a privato homine partim ex orientabilibus, partim ex occidentalibus Canonibus collectos fuisse arbitratur. Tillemontius *art. 125. et not. 29. in Augustini vit. tom. 15. pag. 521. et 932. edit. Ven. 1732.* Synodum hanc defendere, atque objectis difficultatibus satisfacere conatur. Late etiam, et graviter de hujus Carthaginensis Concilii auctoritate disputat Geilherus *Histoire generale des auteurs sacr. et eccl. etc. tom. 10. pag. 686. et 687.* Sed utut vera habeatur sententia eorum, qui ad Concilium Carthaginense IV. an. 598. pertinere negant canones illos 101. qui eidem Concilio adscribuntur; equidem valde dissentio ab iis, qui eosdem canones plane repudiandos, ac despiciendos existimant. Constat enim hos canones ante VI. saeculum laudari consuevisse, fuisseque agnitam eorum auctoritatem, uti ostendunt Fratres Ballerini in *append. ad opp. S. Leonis M. tom. 3. part. 2. c. 5. §. 4. pag. 83. seqq.* Quare omnis, si qui est, Gratiani error consistit in titulo, sive inscriptione, quia nimirum Concilio Carthaginensi IV. canones adscripsit, qui ejus revera non sunt; sed tamen hos canones tanquam commentitios, ac nullius auctoritatis despici, et repudiari posse, vehementer nego.

Existis, quas *Romanos Correctores* vocat Auctor, uti moos fert, novem Hispani erant; scilicet: Joan. Marsa, Franc. Leon, Joan. Rodrigo, Achilles, Stacio, Melchior Cornelio, Franc. Peña, Joan. B. Cardona, Petrus Chacon, et Michael Tomas. Quantum vero hi ad talem emendationem contulerint, observat X. Lampillas opere: *Ensayo historico-apologético de la Literatura Española,* t. 4. ed. Matrit., pag. 151. et seqq.

78. In scriptionibus capitum, quae in Decreto referuntur, saepe occurrit nomen hoc *Palea*, quod unde sit desumptum, certo

statui non potest. Quidam ea capita hoc nomine designari putant, quod sub illis incerta, ac nullius pretii, vel antiquata, aut etiam repetita contineantur; sed horum opinio vera esse non potest, cum non semper his capitibus vilia, antiqua, iterata comprehendantur. Similior forte veri est opinio illorum, qui statuunt, *Paleam* nomen esse auctoris, à quo canones utilitate, atque auctoritate praestantes adjecti sint, qui canones initio in margine appositi, deinceps in libri contextum irrepererint (1).

(1) Observant Romani Correctores, in vetustissimis codicibus paucissima esse capita, quae *Palea* nomen praeserunt; atque eadem in uno codice valde emendato in margine reperiri, in recentioribus autem Decreti exemplaribus plura numero esse, quam in antiquis codicibus reperiantur. Ex quo concludunt, eadem capita deinceps addita fuisse, cum antea in decreto non haberentur. Non tamen unus fuisse videtur eorum omnium capitum auctor, neque omnia eodem tempore scripta sunt; et ideo vetustiores codices minorem habent capitum illorum numerum, quam habeant recentiores. Si *Paleam* auctoris nomen esse volumus, cum ipse primus haec capita addere ceperit, mirum non est, quod ceteri, qui eum sequuti sunt, suis quoque additionibus nomen ipsum inscripserint. Neque despicienda est conjectura eorum, qui putant, Decreti studiosos illas in margine scripsisse additiones cum verbis *post alia*, sive *P. alia*, ut significarent, ea capita esse collocanda post ea, quae Gratianus scripserat; errore autem librarium ex iis verbis deinceps factum esse *palea* nomen. Vide Ant. Augustin. *de emend. Gratian. lib. 1. dialog. 2. pag. 26.*, et notas in eundem locum, ubi *lit. a.* Romanorum Correctorum ea de re judicium describitur.

79. De auctoritate Decreti sic habendum est; omnia, quae in eo referuntur, vim eandem habere, ac si seorsim à Decreto spectentur. Itaque loca Sac. Scripturae, decreta Summorum Pontificum, et generalium Conciliorum, quam sua indole, et natura vim habent, eandem in Decreto retinent; cetera vero auctoritatem, qua per se carent, in Decretum translata non consequuntur. Sunt qui Decretum ab Eugenio III. probatum, et publica auctoritate donatum putant; sed haec opinio nullum habet idoneum fundamentum, quo niti posse videatur (1). Neque enim unquam à Sede Apostolica Decretum approbatum est (2); quin etiam Gregorius XIII. huius operi emendando licet primum à Pio IV., et V. praepositas fuisset, ei tamen Pontificiam auctoritatem tribuere noluit, cum illud se Pontifice absolutum in manus hominum pervenisset.

(1) Dedit quidem Eugenius III. facultatem, ut Gratiani collectio publice posset legi, et explicari; uti habet Calendarium Gymnasii Bononiensis ad an. 1152. Kal. Novembr. apud Alexandrum Machiavellium in *not. ad Sigo-*

nium *Histor. Bonon.*; sed neque id fieri præcepit, neque auctoritate sua decretum confirmavit.

(2) Vid. Ant. Augustinum lib. 1. dial. 5. de emend. *Gratian. tom. 5. pag. 26. et 27. ed. cit.*

80. Post editum Graciani decretum plures prodierunt Summorum Pontificum Decretales, quibus magnus Canonice Jurisprudentiæ cumulus accedebat. Itaque Bernardus Circa, Præpositus Papiensis, ac postea Faventinus Episcopus, an 1190 evulgavit *Breviarium Extravagantium*, hoc est decretorum, quæ extra Gratiani decretum vagabantur. Nam hæc collectio non tantum continet antiquorum Pontificum decretales, canonesque Conciliorum, et Patrum sententias, quæ Gratiani diligentiam effugerant, sed et in primis constitutiones Summorum Pontificum post Gratianum editas, nimirum Alexandri III., Lucii III., Urbani III., Clementis III., præterea canones Concilii Lateranensis III. Collectio hæc *Prima Collectio* appellatur.

81. Bernardum Papiensem sequuli sunt Gilbertus Abbas, et Alanus Episcopus Antissiodorensis, qui omissas à Bernardo constitutiones collegerunt; sed horum collectiones brevi intereiderunt. Quare ex iis novam confecit anno 1202, Joannes Galensis, seu Vallensis, qui ea complexus est tum eorundem Pontificum, de quibus diximus, tum Cælestini III. constitutiones Atque hæc *Secunda Collectio* dicitur.

82. Tum Bernardus Major, Compostellanus Archidiaconus, ex decretalibus, quas prioribus annis duodecim Innocentius III. ediderat, aliam collectionem absolvit, quæ tamen usu recepta non est. Nam ipse Innocentius, opera Petri Diaconi Beneventani, decretales suas unum in corpus redigendas curavit. Atque hæc collectio, quæ prima ab ipso Innocentio publica auctoritate donata est, *Tertia Collectio* fuit appellata. Hanc vero brevi consequuta est collectio, quæ *Quarta* dicitur quæque incertum habet auctorem, et comprehendit posteriores Innocentii III. decretales, et canones Concilii Lateranensis IV., quod eo Pontifice habitum est.

83. Honorius etiam III., qui post Innocentium Pontifex creatus est, suas decretales colligendas curavit, atque hæc *Quinta* decretalium collectio vocata est. Utraque illa Innocentii, et hæc Honorii collectio Sedis Apostolicæ auctoritate evulgata est. Atque hæc sunt quinque veteres Decretalium collectiones, quarum priores quatuor Antonius Augustinus, postremam Innocentius Cironius ediderunt, notisque illustrarunt (1).

(1) Duas etiam Alexandri III. collectiones post Bochemerum memorat Philippus Hedderichius *elem. jur. canon. par. 4. tit. 7. §. 92.*

84. Denique Gregorius IX, qui post Honorium Pontificatum obtinuit, suam confecit collectionem, per quam obsoleverunt quinque ille vetustiores, quarum nunc facta mentio est. Prodiit hæc collectio, quam *Decretales* dicimus, anno 1234 (1), studio, atque opera S. Raymundi de Pennafort, ex Ordine Prædicatorum. Quod Justinianus in Jure Civili præstiterat, ut ex Codicibus Gregoriano, Hermogeniano, Theodosiano, atque ex Novellis Constitutionibus, quæ deinceps prodierant, illis etiam additis, quas ipse emiserat, novum codicem absolveret, id in Jure Canonico Gregorius præstitit. Justiniani rationem in eo quoque ipse est imitatus, quod ex decretalibus superiorum Pontificum ea sustulit, quæ inutilia erant, quæque inter se pugnare videbantur.

(1) Romam venit Raymundus an. 1250, in eaque Urbe, jussus à Summo Pontifice, trium annorum spatio operam dedit colligendis decretalibus; atque hanc collectionem in manus hominum pervenisse an. 1254. ostendit exemplum à Bremondio editum epistolæ Gregorii IX, quæ ante ipsas decretales descripta est, dataque nonis Septembris an. 1254.—Vide *Præfationem §. 3. num. 12. pag. 7. et notas 8. et 9. in vitam S. Raymundi pag. 52.* quæ omnia præmissa sunt *Summæ S. Raymundi de Pennafort ed. Veronæ an. 1744.*

De S. Raymundo, qui Hispanus fuit, v. laudatum opus Xav. Lampillas, t. 2. a. pag. 175.

85. *Decretalium* nomine collectio hæc appellatur, quod decretales epistolas Summorum Pontificum præsertim complectitur. Sunt autem Decretales epistolæ, quæ etiam absolute *Decretales* et *decretalia responsa* vocantur, Pontificiæ literæ, quibus consulenti rescribitur, et quæ Decretales dicuntur, propterea quod iis aliquod generalium vim habiturum, re diligenter expensa, decernitur.

86. Depromptæ sunt Gregorianæ Decretales non tam ex constitutionibus Pontificum Romanorum à S. Gregorio I usque ad Gregorium IX, quam etiam ex locis quibusdam Sac. Scripturæ, canonibus Apostolorum, decretis conciliorum ab Antiocheno usque ad Lateranense IV, denique ex Patrum, aliorumque Auctorum operibus. Ex quo conjiciet fortasse aliquis, huic collectioni minus recte adscriptum fuisse nomen *Decretalium*, cum in ea non tantum Pontificiæ constitutiones, sed et alia permulta referantur. Verum cum maxima pars ejusdem collectionis conflata sit ex Pontificum decretalibus, additis præterea canonibus generalium

conciliorum Lateranensium III, et IV, quorum auctores Alexander, et Innocentius III, facile intelligitur, quam apte in eam quadret Decretalium nomen.

87. Dividitur Gregoriana collectio in quinque libros, quorum ordinem, et res, de quibus agitur in unoquoque eorum, exhibet hic versiculus:

Judex, Judicius, Clerus, Connubia, Crimen.

Libri autem divisi sunt in plures titulos, quorum singuli plura capita continent, et capita, cum longiora sunt, in paragraphos tribuantur. Ex his quoties aliquid laudandum est, indicantur prima verba capituli, vel numerus, vel utrumque simul, hoc modo ex gr. *cap. venerabilem de elect., cap. 1 de Cleric. conjug., cap. tua nos 26 de sponsal. et matrim.* (1)

(1) In allegandis hujus collectionis capitibus interjici à quibusdam solet verbum *extra*, hoc modo *cap. 7. extra de elect.*, ut nimirum pateat, caput illud extra Gratiani decretum reperiri. Sed hæc minus frequens est allegandi ratio.

N. S. Anno 1254, edita est Gregorii IX. Compilatio; atque an. 1256, quo elucubrari cepit *Partitarum* Codex, proculdubio nota illa erat in Hispania, siquidem totam fere *Partitarum* primam à Gregorianis Decretalibus Alphonsus mutuavit, quorum quidem titulorum normam prima annulata est Synodus Vallis-oletana an. 1522.

88. Gregorianæ collectioni deesse aliquid videbatur, cum novæ deinceps prodissent Summorum Pontificum constitutiones, dignæ sane, quæ in unum corpus redigerentur, partemque communis juris constituerent. Itaque Bonifacius VIII, anno quarto postquam Pontifex creatus fuerat, usus opera Guillelmi Archiepiscopi Ebredunensis, Berengarii Episcopi Bitterensis, et Riccardi de Senis, qui omnes postea Cardinales facti sunt, collegit canones duorum generalium Conciliorum Lugdunensium, et Decretales Pontificum Romanorum, quæ post editam Gregorii IX collectionem fuerant evulgatæ, atque ex iis, suis etiam comprehensis constitutionibus, confecit *sextum Decretalium*. Quare hæc collectio Gregorianæ est supplementi loco, ac totidem, quot ea, libris constat. Ejus capita cum laudantur, in fine additur *in sexto*, ut à capitibus Gregorianæ collectionis distinguantur, hoc modo ex gr. *cap. Concertationi de appellat. in 6.*

(N. S. Eodem anno quo Collectio hæc in lucem prodit, si prodit an. 1298, vel proxime sequenti, si an. 1297, missa est à Bonifacio ipso, ut in publica Salmaticensi Academia legeretur, si fides adhibenda est Aguirrio in *Notitia Conciliorum*. Eam quoque aperte laudat Synodus Penna-fidelensis an. 1502 *Canone 6. V. Mendo de Jur. Acad. lib. 1. quæst. 7.*)

89. Paulo post Bonifacium VIII Clemens V, qui Pontifex renunciatus est initio sæculi XIV, collectionem fieri jussit quamplurimum constitutionum, quas ipse emisserat in Concilio Viennensi. Sed cum morte occupatus, eam in vulgus edere non potuisset, id perfecit Joannes XXII, qui illam in quinque libros divisam sexto Decretalium adjecit. *Clementina* hæc collectio appellatur ab auctore suo Clemente V, et constitutiones ea comprehensæ citantur hoc modo, ex gr. *Clement. si furiosi de relig. domib.*

Clementinarum Collectio an. 1317 in lucem prodit; et in præfatæ Vallisol. Syn. an. 1522 laudatur, capp. 42, et 24.

90. Post Clementinas prodire *Extravagantes*, quæ hoc nomine appellatæ sunt, quia vagabantur extra corpus Juris Canonici, atque extra collectiones, quibus tunc Jus ipsum constabat (1). Duplex earum genus est. Aliæ nimirum sunt Joannis XXII, aliæ communes dicuntur, quod non unius Pontificis, quemadmodum. Extravagantes Joannis XXII, sed complurium continent decretales, ab Urbano IV (2) usque ad Sixtum IV, quo Pontifice hæc collectio privato studio perfecta est (3). Ea vero dividitur in libros 5, sicut Gregoriana, et ejus loca sic laudantur: *Extrav. rem non novam de dol. et contumac. inter commun.* At vero Extravagantes Joannis XXII omnes uno comprehensæ sunt libro, atque ita ejus loca indicantur: *Extrav. cum inter nonnullos Joan. XXII de verb. signif.*

(1) Pontificiæ omnes constitutiones post Decretum editæ olim Extravagantes dicebantur, quod extra volumen illud vagarentur; et ideo primam earum collectionem Bernardus Papiensis *Breviarium extravagantium* appellavit. Sed posteaquam in manus hominum pervenit collectio Gregorii IX, cum Decretales in ea comprehensæ non amplius vagarentur, et tamen extra primum Juris corpus consistent, Doctores ejus temporis hanc collectionem indicantes solum vocabulum *extra* retinuerunt.

(2) Antiquissima decretalis, quæ occurrit in Extravagantibus, est Urbani IV, si vera est inscriptio *in cap. 1 de Simon.*

(3) Decretalis omnium novissima extat *in cap. 2 de reliqu. et venerat. Sanct.*, eaque à Sixto IV an. 1483 vulgata fuit.

N. S. Extravagantes Joan. XXII memorat Guido, Helenens. Episcopus, *in Constitutionibus Synodalibus* an. 1535.

91. Atque hi sunt libri illi, videlicet *Decretum, Decretales, Sextus Decretalium, Clementinæ, Extravagantes*, quibus in scholis, atque in foro utimur, et quibus corpus Juris Canonici conflatum est. Sunt in libris singulis *Glossæ*, hoc est commentarii, qui multorum quidem opera exarati sunt, et qui non majorem habent auctoritatem, quam privati Doctoris opinio habere potest in legibus explanandis. Corpus integrum Juris Canonici Gregorio XIII Pontifice editum Romæ est, diligenterque emendatum.

(N. S. Denique non hic fas est, silentio premere complures, quæ per id temporis Synodi in Hispania celebratæ sunt, tum ob communem Reipublicæ tranquillitatem, tum Ecclesiarum, aut Monasteriorum dedicationis causa, tum etiam ad reparandam collapsam Ecclesiæ disciplinam; præsertim Legionensem an. 1091, in qua præter alia, id statutum esse traditur, ut secundum B. Isidori Regulam Ecclesiastica Officia regerentur; et alias, quas quidem numero quindecim, confirmavit Synodus Compostellana an. 1114 secundum Aguirrii Chronologiam, quam nos in toto nostro opere sequi deprecavimus.

Verum celebriora sunt Concilia deinceps celebrata. Ovetense an. 1115, in quo pœnæ constitutæ sunt in Ecclesiarum immunitatis violatores in Decreto, cui subscripserunt Regina Domina Urraca, et ejus Fratres, Ingeniique Viri Castellæ, et Legionis.

Palentinum an. 1129, sub Alphonso VII, in quo duodeviginti stabilita sunt Decreta ad Ecclesiæ disciplinam, communeque totius Regni bonum spectantia.

Ilerdense an. 1229, sub Joanne Episcopo Sabinensi, Apostolicæ Sedis Legato, cujus Decreta Asparragus Barea Gallus promulgavit in Conc. an. 1250, ac dein Collectioni Tarraconensi, de qua infra, inserta sunt.

Tarraconense an. 1242, cui interfuit Decretalium Compiler Raymundus Pennafortius, adversus Waldenses, ubi forma præscripta est eos perquirendi, et puniendi, ac revertentes reconciliandi.

Penna-fidelense an. 1302, sub Ægidio, Archiepiscopo Toletano. In eo quindecim condita sunt Capita, et præter alia pœnæ in Clericos Horas Canonicas omittentes, in infringentes Confessionis sigillum, ac in Concubinos, indictæ sunt, et sollemnis S. Ildephonso constitutus est dies.

Vallis-oletanum an. 1522, sub Guillelmo Apostolicæ Sedis Legato, in quo duodeviginti essormati sunt Canones, purissimam spirantes Ecclesiasticam, et Monasticam disciplinam.

Tum plures et Diocesanæ, et Provinciales Synodi Toletanæ ab an. 1525 ad 1555. Tum etiam Casaraugustanæ bene multæ ab an. 1528 ad an. 1495, nedum Diocesanæ, sed etiam Provinciales, quarum Collectionem Cardinalis de Aguirre his dono acceptam, bisque amissam edere non potuit: exstat tamen in lucem edita ab Alphonso de Aragonia, perpetuo ejusdem Ecclesiæ Administratore, an. 1542; Salmanticensis quoque Prov. Compostellanæ an. 1555, in qua, inter alia, id statutum est, ut SS. Isidori, et Ildephonsi perpetuo colerentur festivitates.

Qui hic sine piaculo prætereamus præclarissimas Ecclesiæ Helenensis Constitutiones Synodales? Profecto Guilo Episcopus quatuor edidit an. 1555, sex an. 1557, duas an. 1558, unam an. 1559, duasque an. 1510, in

quarum secunda Immaculatæ Conceptionis B. M. V. Mysterio festum duplex constitutum est, eoque celebrando adsignatus est dies 8 Decembris. Petrus octo condidit an. 1575, Raymundus viginti quinque an. 1580.

Adhæc quatuor habita sunt Concilia, et quidem præstantissima, nempe Palentinum totius Castellæ Joannis I subjectæ ditioni, an. 1588, sub Petro de Luna, Apostolicæ Sedis Legato pro Antipapa Clemente VII. Neque proinde contemnenda sunt, quæ ad sartam tectam servandam Cleri disciplinam septem Capitibus sunt constituta.

Dertusanum totius Prov. Tarracon. an. 1429, sub Petro Car. de Fuxo, Martini V Legato, ubi extincto funesto, et diuturno schismate, quod adhuc in his partibus perdurabat, ac jurata Martino V obedientia, viginti Capita ad Ecclesiastici ordinis promovendam dignitatem admodum utilia stabilita sunt, quæ deinceps Collectioni Tarraconensi inserta sunt, de quo infra.

Arandense ad Durium, Prov. Toletanæ, sub Archiepiscopo Alphonso Carrillo, an. 1475, in quo undetriginta Capita exarata sunt, eaque selectissima, ad reformandos Cleri, populi mores.

Hispalense Prov. Bæticæ; sub Archiepiscopo Cl. Vir. Didaco Deza, an. 1512. In eo, præter sexaginta tria constituta Capita, Constitutiones à prædecessore Didaco Card. Hurtado de Mendoza elucubræ, adprobatæ sunt postremo capite.

Ad Hispaniæ insuper Tarraconensis gloriam adjicere oportet, plures per id temporis in hac Provincia habitas esse Synodos; nam, præter memoratas, jam,

Sub Petro Albalato octo habitæ sunt, scilicet an. 1259, 1240, 1242, 1245, 1244, 1246, 1247, et 1248.

Sub Benedicto Rocabertino tres, an. 1255, 1256, et 1266.

Sub Bernardo Olivella tres, an. 1275, 1277, et 1282.

Sub Roderico Tellio tres, an. 1291, 1292, et 1294.

Sub Joanne, Jacobi minoris filio, tres, an. 1529, 1521, et 1534.

Sub Sanctio Ajerbio quatuor, an. 1554, 1555, 1556, et 1557, iisdem quibus Pontificatum tenuit.

Sub Petro Clasquerino tres, an. 1564, 1567, et 1569.

Sub Enneco Valterra tres, an. 1591, 1595, et 1406.

Sub Petro Sagarriga una, an. 1414.

Sub Dalmatio Mur binæ, an. 1429, et 1451.

Sub Petro Cardona binæ, an. 1517, et 1529.

Sub Hieronymo ab Auria, Card., binæ, an. 1545, et 1556.

Quin et solertissimam impenderunt curam in his colligendis Conciliorum Canonibus. Hoc opus primo adgressus est præfatus Joannes ab Aragonia, Patriarcha Alexandrinus, Archiepiscopus Toletanus, et Tarraconensis Administrator, qui veterum Antistitum Decreta in unum redegit volumen in primo Concilio Provinciali an. 1529. Quod quidem quia temporum, non rerum ordinem servaret, Vicarii Auricæ Cardinalis ad Juris Pontificii titulos adcommodarunt in mox cit. Conc. an. 1556; eandem Collectionem ipse Hieronymus publici juris fecit, et ut ab omnibus Provinciæ Clericis emeretur, et legeretur præcepit.

Mexicanum itidem I in nova Hispania an. 1555, sub Alphonso de Montafar, quod nonaginta sex Capitibus, sermone vernaculo conscriptis, digestum est.

Ad eandem Juris Ecclesiastici Hispani epocham referendus est *Codox*, quem sub titulo *Libri Legum*, in quatuor libros tributum, edidit Alphonso Sapiens an. 1255, qui quidem deinceps *Forum Regium* generatim dictam

est. His quoque explicandis Legibus adjectæ sunt auctoritate ejusdem Alphonsi, Sanctii IV, et Ferdinandi IV Leges, quæ vocantur de *Stylo*.

Alphonsus idem, qui an. 1256 præclarissimum *Septem Partitarum* Corpus inchoaverat, edidit tandem an. 1265, totis septem annis, ut fertur, in eo concinnando insumtis. Quod quidem Alphonsus XI emendatum promulgavit, omnemque ei veræ legislationis rationem tribuit in Comitibus Complutensibus an. 1548, *Leg. 1. Cap. 28 Ordin. Complut.* In hoc Codice ex Decretalibus Epistolis Gregorii IX, et ex Romanis legibus congesto, sive ordinem, sive leges ipsas spectes, Imperatorem verè sapientem miraberis. Sed nostrum non est, de nostris judicare.

Ad eandem etiam adscribenda est illa Legum Compilatio, quam sub nomine *Regalis Ordinamenti* efformavit, et in lucem edidit Montalvus an. 1484. Tum et alia, quæ sub titulo *Legum Tauri* edita est à Ferdinando, et Joanna an. 1505.)

CAPUT VII.

DE JURE NOVISSIMO.

92. JUS NOVISSIMUM.—93 ET 94. SEPTIMUM DECRETALIUM.—95 BULLÆ.—96. EARUM SPECIES.—97. DISTINGUUNTUR À BREVIIBUS.—98 ET 99. EARUM COLLECTIO- NES.—100. REGULÆ CANCELLARIÆ.—101. EARUM AUCTORITAS.—102. CONCILIUM TRIDENTINUM.—103. DECLARATIONES SAC. CONGREGATIONUM CARDINALIUM.

92.

Verum editis libris illis, quos hæcenus recensuimus, novæ prodierunt, et quotidie in lucem prodeunt Summorum Pontificum constitutiones, absolutæ sunt etiam, atque ad eum perductæ statum, in quo nunc sunt, Regulæ Cancellariæ, habitum Concilium Tridentinum, quod non tantum Lutheri præsertim et Calvinii hæreses profligavit; sed multa quoque ecclesiasticæ disciplinæ capita constituit, denique plures etiam à Sacris Congregationibus Cardinalium, præsertim Concilii Tridentini Interpretum, declarationes emissæ sunt. Ex his omnibus conficitur Jus novissimum, videlicet, jus constitutum post evulgatos libros, quibus corpus Juri Canonici constare diximus.

93. Primus Gregorius XIII animum adiecit ad colligendas constitutiones Summorum Pontificum, quæ post Sixtum IV in lucem prodierant, atque in negotii dedit viris doctis, qui *Septimum Decretalium* emitterent. Sed eo mortuo, cum opus adhuc esset infectum, illud perficiendum curavit Sixtus V, quo etiam humanis rebus erepto, denique opus integrum absolutum, et typis excussum est Clemente VIII. Pontifice, qui cum Cardinalis esset, ex numero illorum fuerat, qui ea in re suam operam,

studiumque posuerant. Sedobortis eo in opere difficultatibus (1), visum est suppressere exemplaria, quæ nunc rarissima sunt, et gravi emenda pretio reperiri vix possunt.

(1) Vid. Fagnan. in cap. cum venissent, de judic. n. 61, qui rem totam diligenter enarrat.

94. Iisdem fere temporibus Petrus Matthæus, Jurisconsultus Lugdunensis, edidit *Septimum Decretalium* ab se privato studio exaratum; sed hoc opus publica auctoritate caret, multa in eo sunt vitia, et plura etiam desiderantur.

95. Sunt igitur extra corpus Juris Canonici, sed tamen ipsius Juris partem efficiunt, posteriores decretales Pontificum Romanorum, quæ *Bullæ* nuncupantur à *Bulla* aut *Sigillo*, vel plumbeo, vel aureo, quod una ex parte imagines exhibet SS. Apostolorum Petri, et Pauli, ex parte altera nomen Pontificis, pendetque ex funiculo, quod interdum sericum, interdum can-nabis est.

96. Bullæ aliæ consistoriales sunt, quæ expediuntur in Consistorio, adhibito consilio Cardinalium, à quibus subscribuntur, et hæc aliud præterea sigillum *ad formam crucis* habere solent. Aliæ vero sunt *non consistoriales*, quæ extra Consistorium nullis Cardinalium subscriptionibus emittuntur. Sunt etiam *Bullæ dimidiæ*, quæ tali hoc vocantur nomine, quod in sigillo impressum non habent nomen Pontificis, atque hæc feruntur à Pontifice, antequam censeantur.

97. Bullæ à Brevibus distinguuntur 1, quod hæc pro levioribus, illæ pro gravioribus plerumque negotiis dari solent; 2 quod hæc Latino eleganti caractere, illæ caractere Longobardico, aut Teutonico scribuntur; 3 Brevia per cardinalem à Secretis Brevium, Bullæ in Cancellaria Apostolica expediuntur; 4 Bullæ sigillum habent aureum, vel plumbeum pro ratione eorum, ad quos mittuntur; Brevia sigillum ceræ rubræ, in quo impressa est imago S. Petri piscationem exercentis, unde expediri dicuntur *sub annulo Piscatoris*; 5 denique pro Bullis subobscuræ, crassioresque membranæ, pro Brevibus albæ, et subtiles adhibentur (1).

(1) Vid. *Constit.* 145 Benedicti XIV p. 561 t. 1 *ejus Bullar. ed. Rome 1754.*

98. Bullas, sive Extravagantes Pontificum constitutiones à

est. His quoque explicandis Legibus adjectæ sunt auctoritate ejusdem Alphonsi, Sanctii IV, et Ferdinandi IV Leges, quæ vocantur de *Stylo*.

Alphonsus idem, qui an. 1256 præclarissimum *Septem Partitarum* Corpus inchoaverat, edidit tandem an. 1265, totis septem annis, ut fertur, in eo concinnando insumtis. Quod quidem Alphonsus XI emendatum promulgavit, omnemque ei veræ legislationis rationem tribuit in Comitibus Complutensibus an. 1548, *Leg. 1. Cap. 28 Ordin. Complut.* In hoc Codice ex Decretalibus Epistolis Gregorii IX, et ex Romanis legibus congesto, sive ordinem, sive leges ipsas spectes, Imperatorem verè sapientem miraberis. Sed nostrum non est, de nostris judicare.

Ad eandem etiam adscribenda est illa Legum Compilatio, quam sub nomine *Regalis Ordinamenti* efformavit, et in lucem edidit Montalvus an. 1484. Tum et alia, quæ sub titulo *Legum Tauri* edita est à Ferdinando, et Joanna an. 1505.)

CAPUT VII.

DE JURE NOVISSIMO.

92. JUS NOVISSIMUM.—93 ET 94. SEPTIMUM DECRETALIUM.—95 BULLÆ.—96. EARUM SPECIES.—97. DISTINGUUNTUR À BREVIIBUS.—98 ET 99. EARUM COLLECTIO- NES.—100. REGULÆ CANCELLARIÆ.—101. EARUM AUCTORITAS.—102. CONCILIUM TRIDENTINUM.—103. DECLARATIONES SAC. CONGREGATIONUM CARDINALIUM.

92.

Verum editis libris illis, quos hæcenus recensuimus, novæ prodierunt, et quotidie in lucem prodeunt Summorum Pontificum constitutiones, absolutæ sunt etiam, atque ad eum perductæ statum, in quo nunc sunt, Regulæ Cancellariæ, habitum Concilium Tridentinum, quod non tantum Lutheri præsertim et Calvinii hæreses profligavit; sed multa quoque ecclesiasticæ disciplinæ capita constituit, denique plures etiam à Sacris Congregationibus Cardinalium, præsertim Concilii Tridentini Interpretum, declarationes emissæ sunt. Ex his omnibus conficitur Jus novissimum, videlicet, jus constitutum post evulgatos libros, quibus corpus Juri Canonici constare diximus.

93. Primus Gregorius XIII animum adiecit ad colligendas constitutiones Summorum Pontificum, quæ post Sixtum IV in lucem prodierant, atque in negotii dedit viris doctis, qui *Septimum Decretalium* emitterent. Sed eo mortuo, cum opus adhuc esset infectum, illud perficiendum curavit Sixtus V, quo etiam humanis rebus erepto, denique opus integrum absolutum, et typis excussum est Clemente VIII. Pontifice, qui cum Cardinalis esset, ex numero illorum fuerat, qui ea in re suam operam,

studiumque posuerant. Sedobortis eo in opere difficultatibus (1), visum est suppressere exemplaria, quæ nunc rarissima sunt, et gravi emenda pretio reperiri vix possunt.

(1) Vid. Fagnan. in cap. cum venissent, de judic. n. 61, qui rem totam diligenter enarrat.

94. Iisdem fere temporibus Petrus Matthæus, Jurisconsultus Lugdunensis, edidit *Septimum Decretalium* ab se privato studio exaratum; sed hoc opus publica auctoritate caret, multa in eo sunt vitia, et plura etiam desiderantur.

95. Sunt igitur extra corpus Juris Canonici, sed tamen ipsius Juris partem efficiunt, posteriores decretales Pontificum Romanorum, quæ *Bullæ* nuncupantur à *Bulla* aut *Sigillo*, vel plumbeo, vel aureo, quod una ex parte imagines exhibet SS. Apostolorum Petri, et Pauli, ex parte altera nomen Pontificis, pendetque ex funiculo, quod interdum sericum, interdum can-nabis est.

96. Bullæ aliæ consistoriales sunt, quæ expediuntur in Consistorio, adhibito consilio Cardinalium, à quibus subscribuntur, et hæc aliud præterea sigillum *ad formam crucis* habere solent. Aliæ vero sunt *non consistoriales*, quæ extra Consistorium nullis Cardinalium subscriptionibus emittuntur. Sunt etiam *Bullæ dimidiæ*, quæ tali hoc vocantur nomine, quod in sigillo impressum non habent nomen Pontificis, atque hæc feruntur à Pontifice, antequam censeantur.

97. Bullæ à Brevibus distinguuntur 1, quod hæc pro levioribus, illæ pro gravioribus plerumque negotiis dari solent; 2 quod hæc Latino eleganti caractere, illæ caractere Longobardico, aut Teutonico scribuntur; 3 Brevia per cardinalem à Secretis Brevium, Bullæ in Cancellaria Apostolica expediuntur; 4 Bullæ sigillum habent aureum, vel plumbeum pro ratione eorum, ad quos mittuntur; Brevia sigillum ceræ rubræ, in quo impressa est imago S. Petri piscationem exercentis, unde expediri dicuntur *sub annulo Piscatoris*; 5 denique pro Bullis subobscuræ, crassioresque membranæ, pro Brevibus albæ, et subtiles adhibentur (1).

(1) Vid. *Constit.* 145 Benedicti XIV p. 561 t. 1 *ejus Bullar. ed. Rome 1754.*

98. Bullas, sive Extravagantes Pontificum constitutiones à

S. Leone M. usque ad Sixtum V primus collegit Laertius Cherubinus. IC Romanus, easque comprehendit uno volumine, quod *Bullarium* appellavit. Auxit deinceps suum hunc librum constitutionibus Pauli V, ac tertiam quoque parabat Bullarii editionem, qua etiam ceteræ constitutiones postea latæ continerentur. Sed cum re infecta è vita excessisset, susceptum à Patre opus absolvit Angelus Maria Cherubinus, qui Romæ edidit *magnum Bullarium Romanum* divisum in tomos quatuor, quibus complexus est omnes constitutiones, quas pater collegerat, et quas omiserat, atque illas in primis, quæ post ejus obitum prodierant, usque ad Innocentium X. Quatuor his libris quintum addiderunt Angelus à Lantusca, et Paulus à Roma, qui constitutiones collegerunt, quæ superiori tomo præmissæ, quæque usque ad Clementem X editæ in lucem fuerant.

99. Sed ceteris palmam præripuit *Bullarium Magnum*, quod non multis ab hac annis editum Romæ est à Hieronymo Mainardo, divisum in tomos 14, quodque omnes continet Bullas summorum Pontificum à S. Leone M. usque ad Clementem XII. Est etiam Bullarium Benedicti XIV, quod ejus Pontificis constitutiones comprehendit, quodque in 4 tomos divisum est; et sunt item Bullæ nondum uno libro comprehensæ, Clementis XIII, Clementis XIV, et Pii VI, quem diu Deus servet incolumem, et Ecclesiæ, et nostrum omnium bono. Neque desuerunt qui Bullarum summam, sive compendium conficerent, qua in re laborarunt Stephanus Quaranta, et Flavius Cherubinus, Laertii filius, et novissime Aloysius Guerra, à quo toms quatuor comprehensa est: *Pontificiarum Constitutionum in Bullario Magno, et Romano contentarum, et aliunde desumplarum epitome.*

De isto Bullario sic se habet *Tractatus de Principiis Juris Canonici*, Auct. Bened. Bouix (Paris. 1852), pag. 465: «Collectio autem, quæ *Bullarium Magnum Romanum* vocari solet, nulla Sanctæ Sedis publicatione fuit communita. Licet autem quatenus collectio auctoritatem non habeat, id non impedit quin unaquæque Constitutio in eo contenta legem faciat, si aliunde constet fuisse in legem universalem promulgatam, nec revocatam, aut desuetudine sublatam. Continuatur Romæ hujus tanti momenti collectio, at inscitia atque incuria vix credibili; à qua severa animadversione in eos, qui tali operi manus admovent, justitia, et rei ecclesiasticæ utilitas non sinit abstinere.»

Quod ad hujusce operis titulum, ipsiusque statum attinet, sequenti annotationi, septem abhinc annis ex periodico libello *Diario di Roma* transcriptæ, nihil addere possumus:

• Bullarii Romani continuatio, Summorum Pontificum Clementis XIII, Clementis XIV, Pii VI, Pii VII, Leonis XII, et Pii VIII, Constitutiones, Litteras in forma Brevis, Epistolas ad Principes viros, et alios, atque Alloqu-

tionones complectens; quas collegit Andreas Advocatus Barberi, Curie Capitolii Collateralis, additis summaris, adnotationibus, indicibus: opera, et studio Reinaldi Segreti, J. C.—Tomus octavus, continens Pontificatus Pii VI an. 15 ad 16—Tomus nonus, continens Pontificatus Pii VI an. 17 ad 21—Tomus decimus, continens Pontificatus Pii VI an. 22 ad 25.—Romæ, ex Typographia Rev. Cam. Apost.: 1844, 1845.»

100. Regulæ Cancellariæ originem repetunt ab Joanne XXII, qui primus scripto mandari voluit has leges, ut iis Apostolica Cancellaria regeretur. Nam antea non scriptis regulis, sed consuetudine, ac viva voce ejus negotia expediebantur. Consequentibus Pontifices, ac præsertim Nicolaus V, varie auxerunt has regulas, easque perduxerunt ad eum statum, in quo nunc sunt. Hodie Cancellariæ Regulæ numerantur 72, in quas, præter ceteros, commentarios scripsit omnium uberrimos, atque accuratissimos, et quatuor toms comprehensos, Joannes Baptista Rigantius.

101. Hæ regulæ vim obtinent, quandiu sospes est Pontifex, à quo editæ sunt, atque ut convalescant, probari, et confirmari debent, quod paulo post creationem ab unoquoque Pontifice fieri solet. His vero derogatum in multis est per pacta conventa inter Summos Pontifices, et potentissimos Europæ Principes; quæ pacta conventa, sive, ut vocant, *Concordata* nos in his Institutionibus suo loco indicabimus.

102. Concilium Tridentinum indictum est à Paulo III, quo Pontifice decem habitæ sunt sessiones, octo nimirum Tridenti, et duæ Bononiæ, quo venerant Concilii Patres fugientes contagionem, qua Tridentum premebatur. A Julio III Tridenti restitutum est, ac sex habitis sessionibus, propter bella intermissum. Denique redintegratum est à Pio IV, novemque celebratis sessionibus, an. 1563 absolutum. Constat sessionibus viginquinque; habet unaquæque fere sessio partes duas, quarum una comprehendit capita, et canones, quibus damnantur hæreses, et catholicum dogma constituitur, altera, quæ inscribitur *de reformatione*, habet decreta, quæ disciplinam respiciunt (1). Sessio 24, post editos canones de sacramento matrimonii, continet decretum *de reformatione matrimonii*, quod in decem capita tributum est, deinceps capita vigineti et unum decreti *de reformatione* generalim; sessio autem 25, præter alia *reformationis* capita, complectitur decretum *de Regularibus et Monialibus*, quod est divisum in capita vigineti duo.

(1) Hujus Concilii historiam docte, accurateque conscripsit Sfortia Palavicinus Cardinalis *Histor. Conc. Trident. contra Pætri Suavis narratio-*

nem. Ipsum vero Concilium legitimum, et œumenicum ab omnibus orthodoxis habendum, colendum, et suspiciendum esse, præter ceteros, ostendit Natalis Alexander *Histor. Eccles. tom. 9 dissert. 12 art. 16 pag. 566 edit. Venet. 1776.*

403. Denique ad Jus Canonicum pertinent etiam declarationes Sac. Congregationum Cardinalium. Sunt autem Congregationes cœtus Cardinalium, quibus à Summo Pontifice certa negotia noscenda, ac definienda commissa sunt. Plures hæ sunt; atque earum definitiones vim magnam habent, et cum consulto Pontifice feruatur, legem constituunt (1).

(1) VII. Bullam *Immensa* 117 *Sixti V in Bullar. Magn. tom. 4 par. 4 pag. 592.* De Congregationibus Cardinalium late agit Jacobus Cohelius *Notit. Cardinal.*

(N. S. Ad hanc juris epocham pertinent plura Hispaniensia Concilia, Synodi Tridentinæ promulgationis occasione celebrata, inter quæ Tarraconense an. 1564. sub Ferdinando de Loaces. Sex an. 1565; scilicet: Toletanum sub Christophoro Rojas Sandoval, Episcopo Conchensi, qui Sede Archiepiscopali vacante, reliquis Comprovincialibus antiquior erat; quod quidem tribus absolutum est Actionibus.

Valentinum sub Cl. Viro Martino Perez de Ayala, in quo quinque habitæ sunt Sessiones.

Compostellanum sub Gaspare de Zuñiga et Avellaneda, quod tribus digestum est Actionibus; 2. et 3. an. 1566. Actiones vero in Decreta tribuuntur. Cæsaraugustanum sub Alphonso de Aragon, in quo plura secundum Tridentini Decreta constituta esse, refert Aguirrius tom. 5. *Collect. Max.*

Granatense sub Petro de Guerrero, uti refert Aguirrius *ibidem.* Mexicanum H. sub eodem Alphonso de Montufar, et viginti octo Capitibus sermone etiam vulgari exaratis, constat.

Tarraconense aliud an. 1572 sub Gaspare de Cervantes, ejus et Ferdinandi de Loaces Constitutiones Antonius Augustinus, Archiepiscopus itidem Tarraconensis, ut erat immensæ eruditionis Vir, anteactæ Hieronymi ab Auria Collectioni inseruit. Videsis ejus Præfat. ad Conc. Tarrae. an. 1591.

Adhæc Toletanum aliud an. 1582 sub Gaspare Cardinali de Quiroga, ejus tres sunt Actiones, et Actionum Decreta.

Limanum I. in Regno Peruviano, sub S. Turibio, in quo quinque habitæ sunt Actiones, prima an. 1582, reliquæ an. 1585.

Tarraconense aliud an. 1587, sub Joanne Terès. Mexicanum III sub Petro Moya de Contreras an. 1585, quod quinque constat libris; librique in titulos, et tituli in paragraphos tribuuntur.

Limanum II, indictum an. 1591 sub eodem Joanne Terès. In hoc Concilio Collectionem Antonii Augustini Joannes editurus, antiquatos, ac fere non utiles Canones detraxit; pluresque à se sancitos, ac quasdam etiam Romanorum Pontificum Constitutiones adjecit.

Quantum habenda sit Collectio hæc, ad Gregorianæ Collectionis exemplum adornata, aliorum esto judicium. Nos, si ingenue fateamur, cumulatissi-

mam in ea reperimus fidei, et disciplinæ officinam, ita ut parem ex suo penu conflata Collectionem nulla Orbis terrarum Ecclesia vel habuerit unquam, vel habere aliquando posse videatur.

Complura denique Tarraconensia Concilia ad nostra usque tempora celebrata; scilicet:

- I. Sub eodem Joanne Terès, an. 1602.
- II. Sub Joanne Vich, et Manrique, an. circiter 1607.
- III. Sub Joanne de Moneada, an. 1615.
- IV. Sub eodem, an. 1618.
- V. Sub Joanne de Guzman, an. 1650.
- VI. Sub Antonio Perez, an. 1656.
- VII. Sub Francisco Rojas, an. 1654.
- VIII. Sub eodem, an. 1659.
- IX. Sub Emmanuele de Espinosa, an. 1664.
- X. Sub eodem, an. incerto.
- XI. Sub eod., an. incerto.
- XII. Sub Josepho Sanchez, an. 1685.
- XIII. Sub eodem, an. incerto.
- XIV. Sub Josepho Llinàs Montano, an. 1700.
- XV. Sub Petro Copons, an. 1751.
- XVI. Sub eodem, an. 1741.
- XVII. Sub Jacobo Cortada, an. 1757.

Nonnulla data opera prætermisimus, ne plus æquo morosi videamur. Hoc vero Conciliorum Hispaniæ specimen tradidisse libuit, ut nostræ ætatis adolescentes in obliteratum eorum studium excitentur.

Subsequentæ sunt Romanorum Pontificum Constitutiones à Pio IV, inter quas plurimi facienda Bulla *Apostolici Ministerii*, quam precibus Cardinalis de Belluga motus Innocentius XIII. edidit 15. Maii. an. 1723, in qua plura ad reformandam utriusque Cleri disciplinam vel confirmantur, vel constituuntur. Necnon novissima Clementis XIV, qua jus Asyl in Hispania ad unam, vel summum duas, si Civitas populosissima sit, restrinxit Ecclesias: 12. Septemb. an. 1772.— V. not. 10. ad leg. 15. tit. 1., et II. 4. 5. 6. cum suis notis, tit. 4., lib. 1. *Novis. Compil.*

Ad eadem Juris nostri Ecclesiastici tempora spectant Concordata, quæ Apostolicam Sedem inter et Catholicos Reges inita sunt an. 1735, 1757, 1755. Horum postremum celeberrimum profecto est, quippe quod diurnas extinxit similitates; quum Benedictus XIV. Ferdinando VI., et Successoribus concessit, ut deinceps Rex Catholicus nominaret ad omnia prorsus Beneficia, ad quæ eo usque Sedes Apostolica eligebat in Hispania; quinquaginta duobus duntaxat exceptis. Videsis leg. 1. tit. 18. lib. 1. ejusd. *Compilationis.*

Huc insuper accedit immensa antiquarum Legum Collectio, quæ primo proposita est peragenda in Comitibus Matritensibus an. 1554, ita ut non chronologicam legum conditarum, sed rerum per titulos seriem servaret. Munus hoc demandatum est primo Petro Lopezio de Alcocer, dein Escudero, tum Arrieta, postremo Bartholomæo Atienza, qui eam publicæ luci donavit an. 1567 sub titulo *Novæ. Recopilationis.* Ipsam Philippus II die 14. Martii ejusdem an., et Philippus III. die 29. Decembr. an. 1610, uti *Corpus Juris Hispani universalis* habendam decreverunt; quæ quidem non semel edita, una cum à Supremo Castellæ Senatu latis Sanctionibus, adjectis his, quæ ad annum usque 1745. constitutæ sunt, prælo demum donata est an. 1772 tribus prægrandis voluminibus, iterum an. 1775, ac demum, undecima Tomis tributa, an. 1777.)

Huicine Selvag. Adnotat. expositioni non abs re erit adiungere, ut alia omittamus, an. 1805 in lucem prodisse, opera præsertim Joan. de la Regnera Valdelomar, apud Granatensem Curiam Relatoris, Hispaniæ legum *Novissimam Compilationem*, in duodecim libros tributam, ubi Regiæ sanctiones, decreta, et reliquæ nostratis Juris Civilis dispositiones ad an. 1804, continentur.

Quod ad Canonicum Jus pertinet, silentio præterendum non est Breve datum die 26 Mart. an. 1771, cujus vi erectum Matriti fuit supremum pro istis ditionibus Ecclesiasticum tribunal, de quo alibi opportunius reddidit sermo.

Maximè vero ante oculos habenda hic est Conventio inter S. PP. Pium IX et Cathol. Reginam Elisabet II, finita die 16 Mart. an. 1851, quæ, traditis hinc inde convenientibus ratificationibus, tamquam Regni Lex 17 Octob. proximè sequentis fuit divulgata. Solemnis istius stipulationis articulos suis in locis, ex Rom. versione, adducere prosequemur. Nihil tamen minus, ut uno intuitu legentium mentibus occurrant novitates, quas in Hisp. Eccl. disciplinam induxit, et quæ abs dubio magni momenti sunt, libenter eas ex Apost. Litteris datis die 5 Sept. ejusd. an. 1851, quæ incipiunt: *Ad vicariam æterni Pastoris*, adumbratas sic exhibemus:

..... Equidem ejusmodi Conventio præ omnibus constitutum esse volumus, ut Religio Catholica, Apostolica, Romana, cum omnibus suis juribus, quibus ex divina sua institutione, et Sacrorum Canonum præscripto pollet, in toto Hispaniarum Regno, sicut antea, ita unice dominetur, et vigeat, ut nullum ei unquam detrimentum temporum injuria possit inferri, omnisque alius cultus amoveatur; ut in singulis Universitatibus, Collegiis, Seminariis, ac publicis privatisque scholis doctrina plane catholica tradatur; ut Ecclesiæ ac publicis spiritualibus præsertim ordinem pertinentia, integra, et inviolata serventur; ut Antistites, Sacrique Ministri, omnibus difficultatibus atque impedimentis remotis, plenam in episcopalis, sacrique ministerii munus obeundis habeant libertatem, pro custodienda potissimum fidei, ac morum doctrina, et ecclesiastica disciplina tuenda; ut Ecclesiasticæ auctoritati, ac dignitati debitus ab omnibus exhibetur honor, et observantia. Atque ut magis magisque amoveretur quicquid Ecclesiæ bono quavis ratione posset obstare, inter cætera sancitum est, ut ea omnia, quæ ad ecclesiasticas personas, et res spectant, de quibus nulla habetur in Conventio mentio, juxta Canonicam, et vigentem Ecclesiæ disciplinam plane exigantur, administrantur; et omnes Leges, Ordinationes, Decreta quæcumque eidem Conventio adversantia, penitus extincta, ac de medio sublata esse debeant.

Ut autem, Venerabiles Fratres, Hispaniarum Antistites ampliori fruere facultate in conferendis suarum Diocesium Beneficiis; dum Conventio nem à recolendæ memoriæ Benedicto XIV. Prædecessore Nostro, cum felici recordationis Ferdinando VI, Hispaniarum Rege Catholico, die vigesimo Februarii anno millesimo septingentesimo quinquagesimo tertio initam, confirmavimus, nonnulla adjecimus, quæ in ecclesiasticæ auctoritatis atque in eorumdem præsertim Antistitum favorem cedunt.

Cam vero Nobis expositum fuerit, spirituales illorum fidelium populorum utilitatem, necessitatemque omnino postulare, ut nova in Hispaniarum Regno peragatur Diocesium divisio, idcirco hanc rem suo tempore peragendam censuimus, quo animarum saluti, et indigentis majorem in modum consulatur. Hac sane de causa novæ in illo Regno constituentur Dioceses, dum aliquæ cum aliis erunt conjungendæ, quæ, uti confidimus, in pristinum statum aliquando restitui poterunt; cum in præcipuis Nostri, et hujus

Apostolicæ Sedis votis sit Diocesium numerum augeri, et amplificari. Verum cum nondum ea omnia parata sint, quæ ad hujusmodi statum Ecclesiarum in Hispania immutandum, atque ad singularum Diocesium fines juxta initam Conventio nem statuendos sunt necessaria, decernimus nihil interea esse innovandum, donec Conventio ipsa perfectæ executioni fuerit mandata, et alia Nostræ de hac nova Diocesium circumscriptione Apostolicæ Litteræ editæ fuerint. Quapropter loca omnia, quæ ex Conventio ne à Diocesium, ad quas in præsentia pertinent, erunt sejungenda, seu dismembranda, et cum aliis Diocesium conjungenda, ab actualibus eorum Ordinariis, ac si oportuerit, à Vicariis ab Apostolica hac Sede electis gubernabuntur, donec per commemoratas Nostras alias Apostolicas Litteras finibus præstitatis, novi Pastores illarum regionum regimen susceperint.

Quod vero attinet ad temporales Ecclesiarum Hispaniæ rationes, quæ merito atque optimo jure Nostras curas, ac sollicitudines sibi summo per vindicabant, haud omisimus juxta conditiones à Nobis præscriptas, et superius commemoratas, omnia Nostra in id studia intendere, ac summo per curare, ut meliori quo fieri posset modo Episcopi potissimum, Capitula, Seminaria, et Parochi congruos, stabilesque habeant redditus Ecclesiæ perpetuo addictos, et ab ea libere administrandos. Et quoniam ex fide dignis testimoniis accepimus, aliqua ex bonis nondum divenditis ita in deterius esse prolapsa, et administrationis incommodis obnoxia, ut evidens constet Ecclesiæ utilitas, si illorum pretium in publici aris alieni redditus nunquam quovis alio titulo transferendos convertantur, idcirco, propter hanc Ecclesiæ utilitatem Nobis expositam, eidem permutationi indulgendum esse existimavimus, ea tamen conditione, ut hæc permutatio nomine Ecclesiæ fiat, cui propterea bona illa nulla interposita mora sunt restituenda.

Ad Carissime vero in Christo Filia Nostræ Hispaniarum Regina Catholica postulationes, quibus ipsa inixe efflagitavit, ut sui Regni tranquillitati cooperari velimus, quæ non parum turbaretur, si ecclesiastica bona alienata essent repetenda; Nos, præ oculis habentes utilitatem, quæ in Ecclesiæ libertatem redundat ex articulis eapropter conventis, ac Prædecessorum Nostrorum exempla sectantes, atque confisi hujusmodi deplorandas Ecclesiæ honorum direptiones nunquam in posterum adventuras, declaramus, eos, qui Ecclesiæ bona alienata acquisiverunt, nullam molestiam habituros, neque à Nobis, neque à Romanis Pontificibus Successoribus Nostri; et consequenter proprietatem eorumdem honorum, redditus, et jura iis inhærentia immutabilia penes ipsos erunt, atque ab ipsis causam habentes. Dum autem id declaramus, cautum est, ut sedulo adimpleantur onera, quæ divenditis bonis erant adjuncta.

Inter cætera cum idem Gubernium à Nobis postulaverit, ut in exigendis, administrandisque Bullæ Cruciatæ redditibus aliquam immutationem permittere vellemus, ejusmodi petitioni annuendum duximus. Verumtamen etiamsi hi redditus destinati fuerint ad Ecclesiæ dotem aliqua ex parte constituendam, tamen omnibus notum esse volumus, nulla idcirco Nos, et Successores Nostros obligatione obstringi quoad ejusdem Bullæ prorogationem; atque id absque ullo constitutæ ecclesiasticæ dotis detrimento.....

LIBER I.

TITULUS I.

DE JURE PERSONARUM, DEQUE LAICIS, ET CLERICIS GENERATIM.

1. PERSONARUM DIVISIO.—2. BAPTIZATI ECCLESIE IMPERIO SUBJICIUNTUR.—3. CATECHUMENI.—4. HIERARCHIA ORDINIS, ET JURISDICTIONIS.—5. CLERICORUM JURISDICTIONIS.—6. AD 8. EORUM JURA, ET PRIVILEGIA.—9. VITA, ET HONESTAS.—10. HABITUS.—11. ET 12. TONSURA.

Ut Civile, ita etiam Jus Canonicum pertinet ad *Personas, Res et judicia*. Personarum causa reliqua constituta sunt; itaque ad personis exordiemur. Summa personarum divisio est, ut alii hominum Laici, alii Clerici sint (1). Qui divino cultui, et Ecclesiae ministerio ab Episcopo in eorum ordinatione, seu consecratione addicti sunt, Clerici (2), reliqui fideles Laici appellantur. Clerici dicuntur à græco quodam verbo, quod latine *sors* est, quoniam peculiari modo pertinent ad sortem, atque hereditatem Domini (3); *Laici* à græco verbo quod latine *populum* significat, quoniam populum, et plebem Ecclesiae constituunt. Est et quoddam tertium genus personarum, quas *Ecclesiasticas* vocamus, cujusmodi sunt Monachi ordinibus non initiati, Moniales, et si qui sunt alii, qui quamquam inter clericos relati non sint, fruuntur tamen privilegiis clericorum, ob peculiare vitæ genus, quod profitentur.

(1) *Can. 7. caus. 12. q. 1.* Negligit nunc Jus Canonicum summam illam personarum divisionem, quam proponit Tribonianus §. 1. *Instit. de jur. personar.*, quod nimirum omnes homines aut liberi sunt, aut servi; sed olim suos Ecclesia servos habuit, quorum mentio est in Concilio Agathensi *can. 7.* apud Labbæum *collect. concil. tom. 5. col. 522.*, Aurelianensi IV. *can. 9. col. 1565.*, Emeritensi *can. 20. col. 522. tom. 7.*, locisque aliis, et in Decretalibus *cap. 5. et 4. de rer. permut.* Ecclesiae servos manumitte-

bat Prælati, tanquam procurator, non tanquam dominus; quoniam dæmnum Ecclesiae erat proprium, eaque ideo *manumittens* dicitur in *cap. 4. de serv. non ordin.*, quia nimirum ejus auctoritate manumissio fiebat licet actus ipse manumissionis ab Episcopo perageretur. Justa autem causa opus erat, ut recte Ecclesiae servi manumitterentur, et sine hac causa manumissi in servitute revocabantur, ne quid Ecclesia caperet detrimenti. Concilium Hispalense I. *cap. 1. et 2. tom. 6. concil. collect. Labbei col. 4515.*, et Emeritense *can. 20. col. 522. tom. 7.* Ecclesiae servi debebant operas, atque obsequium Ecclesiae, à qua manumissi fuerant, uti quilibet libertus patrono suo, et huc referendum est Concilium Aurelianense IV. *col. 4565. tom. 5. cit.* et Emeritense *can. 20. col. 522. cit. tom. 7.*, cum hi liberti ab Ecclesiae patrocinio, aut officio discedere prohibentur. Quin illud peculiare erat in Ecclesiae servis, ut non modo ipsi, qui manumissi fuerant, sed etiam eorum liberi sub Ecclesiae patrocinio esse deberent. Concilium Toletanum III. *can. 6.* apud Baluzium *loc. cit. col. 400.*, et Emeritense *cit. can. 20.* Ante ætatem Caroli M. triplex erat manumittendi modus, aut coram Principe *per denarium*, aut in Ecclesia *per chartam*, seu *tabulam*, aut etiam *per privatam epistolam*. Manumissio *per denarium* in eo erat posita, ut servus manu teneret denarium, quem Princeps jactabat, atque excutiebat, uti habet vetus hujusce manumissionis formula apud Pithoeum *Formul. antiq. in Cod. canon. vet. Eccles. Roman. num. 4. pag. 457. ed. Paris. 1687.* et in *Gloss. Leg. Salic. tit. 28. post Baluzium Capitular. Reg. Franc. tom. 2. col. 477. ed. Venet. 1775.*, et Bignonium ad Marculfum *cod. loc. col. 614.*, atque uti constat ex Marculfo *Formular. lib. 1. cap. 22. et in appendic. cap. 24.* apud eundem Baluzium *loc. cit. col. 264. et 500.* ubi præceptum, et charta denariæ occurrunt. Genus hoc manumissionis ex lege Ripuaria reperitur in Capit. Dagoberti Regis *num. 57.* apud Baluzium *Capitular. Reg. Franc. tom. 1. col. 23. ed. Venet. an. 1772.* ex Lege Salica à Marculfo *loc. cit.*, ex quo recte colligit Bignonius in *notis* ad illum Marculfi locum *col. 614.* manumissionem hanc ex *Lege Salica, Ripuaria, aut alterius adventitiæ gentis* processisse. Servi hoc modo manumissi *denariales* homines, et *denariales liberti* in Capitularibus Regum Francorum, atque in Legibus Longobardorum appellantur. Altera manumissio in Ecclesia fiebat *per chartam*, ut est in *capit. 6. Caroli M. an. 788.* apud Baluzium *tom. 1. col. 152. ed. cit.*, qui *per chartam in Ecclesia juxta altare dimissi sunt liberi*; eaque erat charta libertatis, quam dominus à se scriptam, aut subscriptam, atque in Ecclesia recitatum manumisso, tradebat, aut à se scriptam tradebat Archidiaconus, si dominus liberum esse servum ore pronunciarat. Atque hæc illa ipsa est manumissio, quam in Sacrosanctis Ecclesiis fieri dixit Tribonianus §. *multis Instit. de Libertin.*, quamque memorat Constantinus M. in *L. 1. et 2. C. de bis, qui in Eccles. manumitt.*, et qui eo modo liberi fiebant, secundum legem romanam manumitti dicebantur, atque hanc pertinet *capit. 58.* Legis Ripuariorum apud Baluzium *loc. cit. tom. 1. col. 28.* Denique manumittebantur etiam servi *per privatam epistolam*, aut *chartulam*, et hinc Gregorius Turonensis *histor. lib. 9. cap. 26. col. 450. ed. Ruinarti Paris. 1669.* narrat, quod Ingoberga, Chariberti Regis Vidua, *subitanea ægritudine fatigata, migravit à seculo, multos per chartulas liberos derelinquens.* Servi manumissi per chartulam, aut tabulam, sive ea privatim esset conscripta, sive publice in Ecclesia recitata, *chartularii, et tabularii* dicebantur, quos *Capitulare 24. Caroli M. anni 805. num. 8. et 9.* apud Baluzium *loc. cit. col. 231. tom. 4. et cap. 7. Pippini ibid. col. 569.* distinguit à *denarialibus*, quorum supra

est facta mentio. Manumissi in Ecclesia patronam habebant ipsam Ecclesiam, manumissi coram Principe ipsum Principem; qui vero per epistolam ita manumittebantur, ut nullum obsequium manumissor retineret, defensionem Ecclesie, aut Principis, aut etiam alterius potentis impetrabant, ut esset qui eorum libertatem tueretur, et ab omni injuria eos vindicaret. Manumissi in Ecclesia ingenui fiebant; ac Romana civitate donabantur ex Constitutione Imperatoris Constantini *L. 1. Cod. Theod. de Manumiss. in Eccl.*, Sozomenus *Histor. lib. 1. cap. 9. pag. 21. et Valesii Cantabrigiæ 1720*; sed et manumissi extra Ecclesiam ingenuitatis jura consequiebantur, cum ea lege à domino libertatem obtinuerant, ut patet ex *Leg. Ripuar. cap. 57. et ex Leg. Salica cap. 28. apud Baluzium Capitular. Reg. Franc. tom. 1. col. 28. et col. 213. atque ex Marculfo Formul. lib. 2. cap. 32. et in appendic. cap. 48. col. 290 et 303. apud eundem Baluzium tom. 2. Nam ea res à domini arbitrio pendebat, et forte, uti putat Bignonius ad Marculfum lib. 2. cap. 32. col. 659. apud Baluzium *loc. cit. tom. 5.* ea tempestate libertinorum, et ingenuorum discrimen sublatum fuerat. Extincta inter Christianos servitute summa hæc liberorum, et servorum divisio non amplius obinet: sunt tamen in Decretalibus Gregorii IV, tituli *de conjugio servorum; de servis non ordinandis.**

(2) *Can. 1. dist. 21.* Eleganter Constantinus M. *L. 41. C. Theodos. de Episc. et cleric.* describit Clericos: *qui addicti divino cultui, ministeria religionis impendunt.*

(3) Ad rem Hieronymus *ep. 52. ad Nepot. n. 5. tom. 1. col. 206. ed. Vallarsii Veronæ, Ministri Dei*, inquit, *propterea vocantur clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia Dominus sors, id est, pars Clericorum est.* Multa, et præclara de origine nominum clericorum, et laicorum habet doctissimus Mamachus *orig. et antiquit. christian. lib. 4. cap. 1. §. 7. tom. 4. pag. 15. et seq.* Vide etiam Petrum de Marca *dissert. de discrim. cler. et laicor.*

N. S. Laici etiam sæculares dicuntur. *Syn. Tolet. IV. can. 22. alias 21.* Vocantur quoque *idiotæ*, id est, homines vilam in Ecclesia privatam agentes. *Chrysost. Hom. 5. in Lazar., et 55. in 1. Corinth.*

2. Spectant Laici ad jus civile, ejusque legibus tamquam reipublicæ cives subjiciuntur (1); sed ad Ecclesiam quoque pertinent, quia Baptismo donati, inter ejus filios cooptati sunt. Itaque in eos in rebus spiritualibus imperium exercet Ecclesia, sique gaudent bonis omnibus, quæ ex christianæ communionis vinculo proficiunt. Quinimo merito plectuntur pœna et bonis privantur suis; si fidem deserant baptismo susceptam, seque conferant ad castra infidelium; si hæretici fiant, et sequantur errores ab Ecclesia damnatos, neque moniti resipiscant; si tamquam schismatici Ecclesie, et ejus capiti Romano Pontifici parere recusent, si ab Ecclesie sinu fuerint ejecti, et excommunicati. In hos omnes Ecclesia suo utitur imperio, et potestate, tamquam extorres filios, et criminosos.

(N. S. Hispaniarum Concilia obedientiam erga sæculi Principes à fidelibus sub anathemate deferendam præcipiunt.

3. Qui inter Ecclesie filios recepti non sunt, si nullo modo ad Ecclesiam pertinent, nisi forte Baptismum petierint, et fiant quasi candidati Christianæ Religionis, uti sunt ii, quos Catechumenos appellamus (1). Hos rei Christianæ elementa docet Ecclesia, tradit symbolum, et signum crucis, instituit ad Baptismi gratiam recipiendam. De laicis non nisi pro re nata, et pro relatione, quam habent ad res sacras, agendum nobis est.

(1) *Quod signum crucis*, inquit Augustinus *tract. 11 in Jo. e. 3. tom. 3. part. 2. col. 576. ed. Maur. Venet. 1750. habent in fronte catechumeni, jam de domo magna sunt; sed fiant ex servis filii. Non enim nihil sunt, qui jam ad domum magnam pertinent.* Interdum catechumeni christiani dicuntur, quo multi referunt canonem 59. Concilii Eliberitani; licet Gabriel Albaspinæus *in notis ad hunc canonem pag. 175. ed. Neapol. 1770.* eum longe aliter explicandum putet. De catechumenis alius erit agendi locus lib. 2., cum de Baptismo disputabimus.

4. Omnis igitur sit tractatio de clericis, ex quibus efficitur hierarchia (1), quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, et Ministris (2), quæque Divina Lege instituta est, ut haberet Ecclesia, qui ea præstarent, quæ sunt ordinis, sive sacri ministerii; et quæ sunt regiminis, sive jurisdictionis. Quare universa clericorum potestas vel ad ordinem, vel ad jurisdictionem pertinet, et alia est hierarchia, quæ ordinis, alia, quæ jurisdictionis, seu regiminis appellatur. Singulos nos persequemur ecclesiasticæ hierarchiæ gradus, atque omnem ordinis, et jurisdictionis potestatem explicabimus. Sed antequam de singulis dicere aggrediamur, noscenda sunt, quæ universos clericos generatim attingunt.

(1) *Hierarchia* apte definitur: potestas à Christo suis Apostolis, eorumque legitimis successoribus tributa, ut Ecclesiam regant, et divina religionis mysteria in ea celebrent, atque distribuunt. S. Dionysius Areopagita, sive potius auctor operis, quod ejus nomine circumfertur *de Cælesti Hierarchia c. 3. pag. 41. tom. 1. opp. ed. Antverpiæ 1654. est Hierarchia*, inquit, *meo quidem judicio sacer ordo, et scientia, et actio, quæ ad Deiformitatem, quantum fas est, accedit, atque insitis sibi divinitus illustrationibus, proportionem quadam Dei subvehitur imitatione.* Ac S. Maximus initio scholiar. *in cælest. Dionys. Hierarc. pag. 6. Quandoquidem*, inquit, *hierarchiæ nomen inscribitur huic operi, solet appellare Dionysius Hierarchas Episcopos.* Sciendum est igitur, hierarchiam quidem esse principatum, ac velut curam ordinandorum sacrorum, Hierarcham vero, qui sacris præest, eaque curat, ac moderatur. Confer, præter Pe-

tavium, et Hallerium, qui de *Ecclesiastica Hierarchia* peculiaria opera ediderunt, Cl. Mamachium orig. et antiq. Christian. lib. 4. part. 1. c. 5. §. 4. tom. 4 pag. 278.

(2) Si quis dixerit, inquit, Conc. Trident. sess. 25. can. 6. de sacr. ordin., in Ecclesia catholica non esse hierarchiam; divina ordinatione institutam, quæ constat ex Episcopis, Presbyteris, et Ministris; anathema sit.

5. Principio soli clerici ecclesiasticam jurisdictionem habere possunt, sacrumque imperium, quo fruuntur erga illos, quos sibi jure subjectos habent. Hujus potestatis, quam spiritualem jurisdictionem vocamus, plura sunt capita, de quibus suis locis disseremus, cum de jure personarum ecclesiasticarum, deque sacris Magistratibus agentes, videmus, quæ sacri imperii pars quibusdam clericis, quæ aliis sit attributa.

6. Deinde certis fruuntur clerici privilegiis, quorum quædam personas ipsas, et quædam res eorum attingunt. Quæ ad personas pertinent, ea vel honoris sunt, aut juris, vel personalem exemptionem, et reliqua personalia clericorum commoda respiciunt. Honoris, ac juris privilegia eo spectant, ut clerici nobiliorem occupent in templo locum, et præsent collegiis, atque corporibus laicorum, ut soli ecclesiasticas Dignitates, et Beneficia, ex iisque pensiones habere possint, et soli jus habeant utendi, fruendi redditibus rerum Ecclesiasticarum, et Beneficiorum.

7. Jura exemptionis in eo sunt posita, ut neque publicis fungi muneribus (1), neque ad laicos judices venire compellantur, sed solum ecclesiastico Magistratui subesse debeant (2). Reliqua privilegia eo fere redeunt omnia, ut in jus vocati à creditoribus, in id solum, quod est supra decentem eorum tuitionem, condemnentur (3); ut clerici filii familias plenum habeant dominium bonorum adventitiorum (4); ut qui in clericum violentas manus injecit, statim expers ecclesiasticæ communionis, sive excommunicatus evadat (5).

(1) Vide Cod. Theodos. tot. fere tit. de Episc. et Cler. ubi clerici immunes confirmantur ab omnibus publicis numeribus, atque ab iis etiam, quæ honorifica habebantur. Eadem probatur immunitas à sordidis muneribus in tit. de extraord., sive de sordid. muner., et in L. 15 eod. tit. sordida hæc munera enumerantur. Idemque sancitum est in Capitularibus Regum Francorum lib. 7 c. 185 apud Baluzium tom. 1 col. 711 ed Venet. an. 1772.

(2) Cap. 1 de for. compet. et tot. caus. 11 q. 1 Vide etiam Capitularia Regum Francorum lib. 5 cap. 578 et 590. et lib. 7 cap. 547 456 apud Baluz. tom. 1 col. 604, 606, 755, 750, et locis aliis compluribus.

(3) Cap. Odoardus de solut.

(4) Aulh. Presbyteros Cod. de Episc. et Cleric.

(5) Can. si quis suadente, caus. 17 q. 4.

N. S. Personalem Clericis immunitatem pro Hispano Regno firmarunt, Alphonsus Sapiens leg. 50, tit. 6, Part. 1., et Henricus II leg. 5 tit. 1. Lib. 2, Novis. Compil.

Apud nos Clerici exempti sunt ab onere excipiendi apud se transgredientes quoslibet, nisi forsitan pertranscat Rex, aut alius ex Regia stirpe, et datus Clerici ea sit, qua nulla in populo aptior ad eum excipiendum inveniri possit. Quantum ad milites tamen excipiendos, impletis tantummodo cunctis incolarum ædibus, requiri possunt Clerici, non compelli: Leg. 3, tit. 9. lib. 1. Novis. Compil., leg. 10 tit. 19; lib. 6 ib.

Hæc tamen clericorum privilegia sustulere, reg. decret. 19 Mart. 1857, et reg. alia dispos. 5 ejusd. mensis an. 1858, ut observant recentissimi Selvaggi Adnotatores DD. Phil. Verges et Th. Sivilla, edit. Barcinonens. 1847, t. 1. pag. 155.

N. S. Illud etiam observandum, apud nos Clericos nec admitti debere ad honorifica munera exercenda Leg. 5, tit. 9, lib. 1 Novis. Comp., leg. 5. tit. 14. ib. Regio Decreto 5 Novembr. an. 1770, Sanct. 29. tit. 4, lib. 6. Autos Acordados, inter eos juvenes, ex quibus per sortes deducuntur aliqui ad militiam, computari non possunt Tonsurati, vel in Minoribus constituti, dummodo qualitates habeant, quæ adsignantur Leg. 6. tit. 10, lib. 1 Novis. Compil., et ad unguem observetur Philippi II Instructio ad calcem ejusdem Tit. adposita. Ex lege tamen 2 Nov. 1857, solummodo à milit. servitio exempti clerici in sacr. ordinib. constituti.

N. S. Ab Angariis, ceterisque publicis servitiis immunes voluere Clericos, Reccaredus in Syn. Toletan. III Can. 21, Sisenandus in Tolet. IV Canone 47, alias 46, et Alphonsus Sap. Leg. 51. tit. 6 Partit. 1. Consonat quoque lex 6, tit. 6, lib. 1. Novis. Compilal. Quæ posterioribus aliis Reg. sanctionibus confirmatur.

8. Ad res Clericorum pertinent realis exemptionis jura. Propterea clericorum bona, quemadmodum et bona Ecclesiarum, immunia sunt ab oneribus, atque à vectigalibus, quæ à laicis imponuntur (1). Quam recte, quamque merito hæc sibi clerici privilegia vindicent, non semel Principes declararunt; eaque probarunt suis etiam legibus, et constitutionibus (2). Equum enim est, esse in civitate gratiosos, uti et apud ethnicos erant, qui sacris in rebus versantur; ac præterea compensanda sunt onera, quibus in sacris explendis officiis, et ministeriis afficiuntur.

(1) Cap. 4 et 7 de immunit. Eccles. cap. 1. 5 et 4 eod. tit. in 6.

(2) Quod videre est præsertim in titulo Cod. Theodos. de Episc. et Cler. et in tit. de extraord. et sordid. muner.

N. S. Ad Hispaniam quantum attinet, Joannes I Leg. 6, tit. 9. Lib. 1 Novis. Compil., et Catholici Reges Ferdinandus, et Elisabetha Leg. 8 ejusd. tit. bona Ecclesiarum, et Clericorum à tributis, realibusve præstationibus, iis exceptis, quæ ad commune bonum respiciunt, exempta judicarunt. At ne

plus æquo privilegium extenderetur, Joannes I eam immunitatem de bonis tantum intelligendam sanxit, quæ aliquo onere reali subjecta non essent: Ferdinandus vero, et Elisabetha à Clericis tributa exigenda esse de bonis per negotiationem adquisitis decrevere. *V. præcipue, *leg. 7 tit. 40 lib. 1. Novis. Compil.*

Verum in Concordato an. 1737, articulo 8, (*Leg. 14, tit. 5. lib. 1, Novis. Compil.*) statuitur, ut bona à quocumque Capitulo Ecclesiarum, quocumque Monasterio, quocumque Congregatione, vel Pio loco, qualibet via comparata, præter ea, quæ adpellantur *primæ fundationis*, subjecta sint eisdem præstationibus, quibus reliqua aliorum civium bona, dummodo hæc gravata non sint aliqua impositione, ex his, quas Apostolica Sedes concedere consuevit Regibus, ut à Clericis solvantur. Ad hanc tamen solutionem cautum est, ne per ministros Tribunalium laicorum cogantur.

Et quidem suo sunt pensationum genera, quæ ex Apostolica dispensatione Reges nostri exigunt à Clericis. I Gratia *Subsidii*, ad quinquennium primo concessa à Pio IV die 2 Martii an. 1561, vi cuius ab omnibus simul Hispaniæ Clericis exsolvenda est quotannis viginti millium ducatorum summa. 2 Gratia *Millionum*, ad sexennium concessa à Gregorio XIV die 16 Augusti an. 1591, vi cuius ab omni simul Clero Sæculari, et Regulari Regnum Castellæ, et Legionis, exolvitur summa decem et novem millionum cum dimidio.

Has, ita vocatas, Grantias, quas Apostolica Sedes pluries prorogavit, petentibus Philippo III, IV, et V, ac Ferdinando VI tandem Benedictus XIV in perpetuum extendit 6 Septemb. an. 1757.

Insuper idem Benedictus eodem die, ac anno Ferdinando VI ejusque Successoribus indulxit ut quæ, libet bona nedom Clericorum quocumque, vel Episcopali Dignitate, fulgentium, verum et Ecclesiarum, Monasteriorum, omniumque Piorum locorum, et Beneficiorum; et uno verbo, omnia, quæ ab Ecclesiis, vel ab Ecclesiasticis possidentur, in *Catastrum* referantur, et *Unicæ Contributioni* subiaceant; ea adjecta conditione, quod ut servetur illorum immunitas, inter eos singulis annis dividatur duorum millionum et octingentorum millium regalium summa; ita tamen, quod vigente *Castro*, cessent præfata et alia impositionum genera. Concessit etiam ut possit Rex seligere personam, in Ecclesiastica Dignitate constitutam, quæ censuris, et pœnis temporalibus possit Ecclesiæ, et Ecclesiasticos ad solutionem compellere, salva semper Constit. Clementis V circa Ornamentorum obligationem, et alienationem. Non tamen conveniens visum est adhuc Regibus nostris *Unicam* stabilire *Contributionem*.

En quomodo rem istam efficiunt supra laudati Barcinonens. Selvagii Adnotatores (pag. 167 ejusdem tom. 1): «Si à nobis quæretur, num ecclesiastica realis immunitas Hispanico jura abolita sit; candidè fatemur, nostra sententia, abolitionem, neque ex art. 539 Constitut. an 1812 repeti posse, neque ex art. 6 Constitut. an 1845. Et certe, quod ad priorem attinet, jam à longo tempore abrogatus fuit; quod vero ad secundum, nullatenus concedimus, privilegia pluribus legibus ab utraque Potestate sancita, et per annos innumeros observata, generali dispositione, quæ de privilegio non loquitur, posse labefactari. Nihilominus, si verum, ut supponimus, narrat Eseriche, *Diccionario razonado de Jurisprudencia*, t. 1. p. 573, ex Brevi Pontif., sancito die 15 April. 1817..., dubium nullum superesset quod immunitas, de qua hic sermo, in caducitatem abierit. Verum quidquid de hoc sit, et data adhuc immunitate, post statutam *unicam*, uti loquuntur, *contributionem*, habito respectu ad bona, quæ ecclesiæ possidere desierunt, summa duorum millio-

rum et octingentorum millium regalium, proportionè servata, de novo esset regulanda.

9. Tenentur prætærea Clerici peculiaribus quibusdam legibus, cujusmodi sunt, ut in primis morum integritate, sanctitate vitæ, doctrina ceteris exemplo sint (1); ut parce, et frugaliter vivant, atque ut opes conferant ad pauperum levamen, non ad inanes sumptus; ut corporis cultu utantur, qui luxu simul careat, et sordibus, ne contemptum, aut invidiam pariant (2); ut non modo sceleris puri sint, sed omnem etiam aliorum offensio-nem, suspicionemque declinent; ut se absteineant à secularibus negotiis, atque muneribus (3); à sœminis secum in una, et eadem domo retinendis, nisi arcta cognatio omnem suspicionem excludat (4), ab omni turpi lucro, et quæstiosa negotiatione (5), à choreis, comœdiis, aliisque spectaculis (6), à laudis alearum (7), à venationibus (8), à sæculari militia (9), à nutrienda nimis elegantè coma (10), ab armis deferendis (11), atque à ceteris ejusdem generis, de quibus agitur in titulo *de vita, et honestate clericorum*. Nam eos servare oportet diligenter leges omnes, quæ pro eorum moribus, et disciplina Ecclesiasticis canonibus latæ sunt, quæque aut in corpore Decretalium extant, aut in Bullis Summorum Pontificum, aut in decretis Concilii Tridentini, quæ dicuntur *de reformatione*, aut in provincialibus, diœcesanisque constitutionibus.

(1) Vide S. Jo. Chrysostom. *de Sacerd. lib. 5 cap. 5 p. 416, et lib. 6 cap. 4 pag. 425 tom. 1 ed. Montfauconii Paris. an. 1718.*

(N. S. Ad rem Patres Synodi Toletani IV Can. 22 alias 21: *Conscientiam puram apud Deum nos habere oportet, apud homines famam optimam eustodire, ut juxta præceptum Apostolicum, non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus vitæ sanctæ testimonium habeamus. Excludatur omnis nefanda suspicio, ne detur sæcularibus obtreclandi locus.*

In privatis congressibus, et colloquiis Clericos doctrinam, prudentiam, et fidelitatem præferre oportet, ut ab hominum, quibuscum colloquantur, animis vel ignorantie calliginem dispellant, vel errores avertant, vel vitia removeant. Neque enim ad voluptatem, sed ad utilitatem æquum est Clericos cum laicis conversari. Atque adeo tanto præ ceteris decet eos honestate pollere, quanto à vulgari populo segregati. Dei sunt in sortem adsumti, ut morum compositionis, et honestatis ceteris de se præbeant speculum, et exemplum. Syn. Detursana an. 1419, cap. 1. Hac ratione Augustinum innumeros æque hæreticos ad veritatem, ac scelestos homines ad meliorem frugem reduxisse, testis est Posidius in *ejus vita, cap. 9*.)

(2) *Cap. 5 de vit. et honest. cler. S. Hieronymus ep. 52 ad Nepotian. tom. 1 col. 262 ed. Vallarsi Veron.* ita admonerat Nepotianum: *vestes pulles æque devita, ut candidas. Ornatus ut sordes pari modo fugiendæ sunt, quia alterum delicias, alteram gloriam redolet.* Concilium Latera-

nense II. habitum Innocentio II. Pontifice *can. 4 apud Labbæum col. 1500 tom. 12* habet hæc: *nec in superfluitate, scissura, aut colore vestium; nec in tonsura, intuentium, quorum forma, et exemplum esse debent, offendant aspectum.*

(N. S. Extrema luxus, et abjectionis à Clericis in vestitu vitanda semper optavit Ecclesia. Ad rem Syn. Narbon. *Can. 1: Nullus Clericorum vestimenta purpurea induat, quæ ad jactantiam pertinent mundialem, non ad religiosam dignitatem, ut sicut est devotio in mente, ita et ostendatur in corpore.* Perhelle Syn. Valentina an. 1565, Sess. 5 tit. 5 cap. 15: *Talem in Ecclesiasticis viris amictum cupit Sancta Synodus, ut neque pannosi, aut laceri sint, neque vestibus exquisita arte confectis utantur, sed ea indumenta, quæ animi quietem, aut modestiam promittant.* Unde Synod. Arandensis an. 1475 *cap. 3.* vetuit Clericis, vilibus, et luctuosis vestibus indui; et Compostellana an 1056 *cap. 2* deferre vestes sæculares.)

(5) Tot. Tit. *ne cleric., aut monach. sæcul. negot. se immisc.* — *Syn. Compostell. an. 1114 *cap. 21,* et Collect. Tarracon. an. 1591, *cap. 10 de vita et honest. cleric.*

(N. S. Jure Hispano arcentur Clerici à munere Judicis in civilibus: *Leg. 5, tit. 9, lib. 1. Novis. Compil. 2.* Advocati apud Judicem laicum, exceptis causis propriis, consanguineorum, Ecclesiarum, et personarum miserabilium: *Leg. 5, tit. 22, lib. 5 ibid. 3* Ab exercitio Tabellionis seu Scribæ: *Leg. 5, tit. 14, lib. 2 ib.* pro Curia etiam Ecclesiastica, nisi ad causas Clericorum, ad quas unus tantum deputandus est, et in Sacris Ordinibus constitutus, reliqui debent esse laici: *Pragmat. Sanct. 18 Januarii an. 1770. Leg. 6, tit. 14, lib. 2. cit.* Pro rebus etiam spiritalibus interdictum est Clericis in Aragoniæ Regno scribas agere: *Reg. Decret. an. 1765. 4* Ab officio Procuratoris litium, aliarumve rerum temporalium: *Leg. 5 tit. 5, et 2 tit. 6 Partit. 5,* etiam Regulares, nisi pro eorum Ecclesiis, vel Monasteriis: *Pragmat. Sanct. 25 Novemb. an. 1764. leg. 2, tit. 27, lib. 1 Novis. Comp. 5* Ab honoribus Præpositorum, vel Rectorum urbium; *Cap. 5 Ne Clerici, vel Monachi, et Leg. 5 Tit. 1, et 8, tit. 10 ibid. 6* A fidejussorum obligatione pro laicis: *Leg. 45 tit. 6 Partit. 1, et Leg. 1, tit. 10 lib. 10, Novis. 7.* Clericis arma deferentes fori privilegium amittunt: *Leg. 49 Titul. 6 Partit. 1. 3* Postremo absque clericali veste incidentes, à judice sæculari comprehendi debent, et ad Ecclesiasticum remitti: *Leg. 4, tit. 9, lib. 1. Novis.* à quo secundum delicti qualitatem puniendi sunt: *Constit. Apostolici Ministerii §. 8.*)

(N. S. Illud hic non abs re observandum, Clericis, quippe qui ab publicis muneribus exempti, jure feudali vetitum esse in feuda succedere, nec feuda ante Clericatum adquisita retinere, quum illa conditionis mutatio, quæ à servitorum præstatione eos efficit immunes, Domino obesse nequeat; feuda tamen acquirere per concessionem eis vetitum non est. Namque feuda qui eis concedunt, vel servitia remittere videntur, vel, ut per substitutos ea exerceant, patiuntur: *Juris Feud. Lib. 2 Tit. 56.* Qua de re nonnulli, etiam in nostro Regno Neapolitano, Episcopi, Abbates, Abbatissæ, Præpositi feuda possident suis Ecclesiis annexa: quod et in Hispania in usu esse constat).

Hucusque Selvagijs, et ejus Adnotat. Revera plures nostrates Episcopos Dominorum aut comitum titulos in quædam propriarum diocesium loca, adhuc retinere, norunt omnes: ita ex. gr. Ovetensis, *Conde de Noreña,* Legionensis, *Conde de Colle, señor de las Arrinadas y de Vegamian,* appellantur. Notandum hæc de re quod Urgellensis Prælati *Principe y Señor*

temporal de los valles de Andorra denominetur; ejus ditionis solemniter, ad eam Ecclesiam advenientes, possessionem capiunt.

Quod vero præteritum tempus spectat, Compostellanus Archiepiscopus insignibus privilegiis, quæ Principibus eum exæquabant, potitus est. Transcribere nunc placet quod *Historiæ Compostellanæ* scriptores de talibus prærogativis exponunt, videlicet:

Quicumque igitur usque ad tempus prædicti Episcopi (D. Didaci Gelmi-
rez, sæc. 12) in Ecclesia B. Jacobi cathedræ pontificali præfuerant, non tantum Episcopi, sed quasi Principes fuerant... Ex quo namque corpus B. Jacobi, ibidem revelatum, magnis immunerisque miraculis claruit, Hispaniarum Reges Ecclesiam B. Jacobi præ cæteris, ob amorem sancti Apostoli, honorabilem fecere, et Regii juris potestatem prædicto Apostolo circumquaque concessere. Quippe ut quæ tanti Apostoli præsentia cæteris apud Hispanos præcelleret Ecclesiis Ecclesia, eadem prædiorum, hæreditatum, et cæterorum, quæ fuerant Regii juris, præcelleret et potestate: tanto igitur honoris culmine Pontifices in Ecclesia B. Jacobi prædicti præ cæteris Episcopis Hispaniæ, regiam potentiam à Regibus habebant. Cum Rex Hispanorum, ad extirpandam perfidorum Ismaelitarum gentem, cum exercitu suo irrueret, Episcopus Ecclesie B. Jacobi, cum toto sui Regni exercitu, nullatenus se absentabat. Deum, ut verum plenius enucleemus, Pontifices Eccl. B. Jacobi soliti fuerant, militaribus armis protecti, ad bella incedere, et Saracenorum audaciam durius retundere unde apud Gallæcos proverbium hoc inolevit: *Episcopus S. Jacobi, baculu. et ballista.* V. opus M. Fr. Henrici Florez, *España Sagrada,* t. 20. p. 255.

(4) *Cap. 9 de cohabit. cler. et mulier.* Quin etiam removendæ sunt et femina cognata, quæ pravos habent mores, et in quas aliqua cadit suspitio: *Cap. 5 de cohabit. cleric. et mulier.* De clericis qui secum domi mulieres retinere prohibentur, est etiam notatione dignus canon 5. Concilii Nicæni *col. 45 tom. 2 collect. Labbæi ed. Ven.* ubi statuitur, nemini, qui in clero est, licere subintroductam, hoc est extraneam habere mulierem, secundum Dionysii Exigui interpretationem. Quo quidem canone fretus S. Basilius *ep. 55 pag. 149 tom. 5 opp. ed Maurin. Paris. 1750,* Paregorium Presbyterum, quamquam ipse vir esset septuaginta annos natus, ejicere jussit mulierem, quam secum domi retinebat, minatusque est, si non pareret, depositionis, et excommunicationis penam.

(N. S. In avertendis obsequioris sexus consortio Clericis, nullum non movit lapidem Hispaniarum Ecclesia. Synodus Illiberit. *Can. 27* decrevit, ut Clericus sororem, aut filiam virginem, dicatam Deo, tantum secum habeat. Tolet. 1 *Can. 6* à Lecturibus nec videndas patitur puellas Dei, nisi soror consanguinea sit, vel uterina. Tarraconens. *Can. 1* eam voluit à Clericis in consanguinearum adhibere cautionem, quod ceteri se salutatione expedirent, et testem secum adducerent, *fide et ætate probatum.* Gerund. *Can. 7* rem familiarem Clerici per nullum, nisi per matrem, aut sororem, aut puerum, aut amicum regendam constituit. Tolet. II *Can. 3* indulgit Clericis apud se habere tantum propinquam, extraneam vero in vicina domo, omni ablata occasione ad Clerici ades introeundi, et transgressores à Clericatus officio retrahi, *Ecclesie foribus pelli, et à tota Catholicorum communione privari,* decrevit. Quin et in concubinarios Clericos complura Hispaniarum Concilia penas indixere, præsertim Tolet. VIII *Can. 5* perpetuam scilicet in Monasterio reclusionem, Reges quoque nostri plures in concubinariis Clericos tulerunt leges. Reccesvintus *Lege 13, tit. 14 Lib. 3 Fori Judi*

cum. Alphonsus Sapiens *Leg. 45 tit. 6 Partit. 1.* et in pellices ipsas Clericorum Joannes I *Leg. 3, tit. 26, lib. 12 Novis. Comp.* quæ deprompta videtur ex Synodo Hispalensi I *Can. 3.*)

(5) *Can. 9 dist. 38, can. 1 e. 14 q. 4; cap. 6 ne cleric., vel Monach. Clem. I. §. adversus, de vita, et honest. cleric., Concil. Nicænum can. 16 tom. 2 col. 59. Concil. Alerat. I can. 12 tom. 1 col. 1452 collect. Labbæi ed. Venet., Concil. Trident. sess. 22 de reform. cap. 1.* Quædam tamen sunt negociationes, quibus clerici non interdicuntur, et quas diligenter expendunt Teophilus Reynaudus *in discept. de Relig. Negoc.;* Gonzalez *in Cap. 6 ne cler., vel monach. n. 6,* aliique Decretalium interpretes *in eundem titulum.* Ita licet clerico labore manuum suarum, et honesto artificio sibi victum comparare, præterea vendere res collectas ex propriis prædiis, et carius etiam vendere res, quæ supersunt, quasque ipsi emerunt pro se, et familia sua, modo se intra lines justî pretii contineant. Prohibentur tamen clerici etiam sub alieni nominis involuero *cambia,* uti vocant, *activa* contrahere, et similes quæstuosas negociationes exercere: Benedictus XIV. *Constit. Apostolicæ 13 tom. 1 ejus Bullarû pag. 19 edit. Rom. an. 1754.* Pertinent etiam ad eandem materiam Encyclicæ Litteræ *Cum primum Clementis XIII. datæ die 17 Septembr. 1759 ad Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, et Episcopos,* quibus statuitur, ne clerici, et sacerdotes ministri, aut procuratores laicorum sint, ipsique præterea ab omni quæstuosæ negociationis genere repelluntur. Consule Giraldum *Exposit. Jur. Pontif. part. 1 sect. 524 tom. 1 pag. 222 et part. 2 tom. 2 sect. 75 pag. 915 seqq.*

(N. S. Syn. Tarracon. *Can. 2* ita statuit: *Quicumque in Clero esse voluerit, emendi vilius, vel vendendi carius studio non utatur. Si voluerit hæc exercere, cohibeatur à Clero.* Eadem habent recentiora Concilia: Hispalen. an. 1512. *Cap. 23, Collect. Tarracon. an. 1591, lib. 5 tit. 52 cap. 5.* Quin et Syn. Valentina anni 1565, *Sess. 3 tit. 5, cap. 17* Sacris initiatis Ordinibus interdicit, ut *proventuum etiam Ecclesiasticorum conductores, qui Arrendatarii dicuntur, existant, sub viginti librarum pœna; aut quindecim dierum incarcerationis.* Reges quoque nostri negociationem Clericis vetuerunt sub pœna amissionis immunitatis à Tributis: *legg. 12 et 14 tit. 9 lib. 1 Novis. Compilat.*

Quod ad usuras spectat, ita stabuit Syn. Illiberit. *Can. 20; Si quis Clericorum detectus fuerit usuras accipere, placuit degradari, et abstinere.*)

(6) *Can. 37 dist. 5 de consecr. can. 19 dist. 34* Vide S. Carolum Borromeum *in Conc. Provincial. I. part. 2 act. Eccles. Mediol. part. 1 pag. 49, decreta Concilii Burdigalensis t. 21, Bituricensis t. 25 can. 6. Aquensis tit. de vit. et honest. cleric. apud Harduinum tom. 10 col. 1359, 1486, 1545.*

(7) Canon. Apostolor. 35 apud Cotelierum *PP. Apostol. tom. 1 pag. 448 ed. Amstelædami 1724. Episcopus, Presbyter, vel Diaconus aleis, et ebrietatibus vacans, vel desinat, vel deponatur; Subdiaconus, aut lector, aut cantor similia faciens, vel desinat, vel segregetur.*

(N. S. De ludis alearum, v. Syn. Lateran. IV. *can. 16; Trident. Ses. 22. Ref. c. 1; Nov. 125 Justinian. c. 10; et Caroli III leg. 15 tit. 25 lib. 12 Novis. Compilat.* Quinimmo etiam laicis sub pœna segregationis à communione Ecclesiæ, aliquando fuere interdicti: concil. Illiber. *can. 79.*

Præterea; Syn. Hispalens. an. 1512, *cap. 25,* clericum ebriam pœna suspensionis ab officio et beneficio coercendum decrevit.)

(8) Vide Benedictum XIV. *de Synod. Diœces. lib. 11 cap. 10 §. 6 et*

seqq. ubi etiam quæritur, num Clerici quodlibet venationis genus exercere prohibeantur. Certe duplex venatio est, altera scilicet clamorosa, seu sal-tuosa, quæ fit cum mago tumultu, strepituque armorum, et canum ad œ-cidendos apros, cervos, majoresque feras; altera quieta, quæ nimirum exer-cetur solis laqueis, retibus, aut etiam cum armis, sed paucis adhibitis cani-bus, sine ullo strepitu ad capiendas volucres, minoresque belluas non feroces. Communior sententia est, tantum clamorosam venationem clericis esse vetitam; sed magis est consentanea Juri opinio illorum, qui utrumque genus venationis interdictum putant.

(N. S. Ex Hisp. canonibus, non licent Clerici silvaticæ venationes: *Cap. 2 de Clerico venat. neque spectaculis interesse: Collect. Martini Brac. cap. 60, neque saltare, vel canere cantiones sæculares: Synod. Hispalens., an. 1512, cap. 25.* Demum nec Taurorum spectare agitationes: Synod. Toletan. an. 1565; *Action. 3 Ref. cap. 206, et Leg. 42 Tit. 5 Partit. 1,* constituta ab ead. Syn. Hispal. pœna pecuniaria, et excommunicationis à Pio V., quam tamen abstulit Clemens VIII. De componendis Clericorum moribus videsis Synod. Tolet. præf. *Act. 5, Valent. ejusd. an. Sess. 5 Tit. 5 cap. 17, et 18, et Collect. Tarracon. an. 1591, Tit. de Vita, et honestate Clericorum.*)

(9) Canon. Aposto. 74 apud Cotelierum *loc. citad. pag. 455.*
(10) *Can. 25 dist. 25 cap. 4 de vit. et 5 honest. clericor.* Hinc Concilium Agathense. *can. 20 apud Labbæum Concil. tom. col. 524 ed. Venet;* jubet Archidiaconum, clericos comam nutriendos, *etiamsi noluerint, invitos detondere.*

(11) *Cap. 2 de vit. et honest. Cler.* Verum clericis iter facientibus, ob necessariam defensionem, ex consuetudine armorum gestatio permittitur. Confer Giraldum *Exposit. Jur. Pontific. part. 1 sect. 311 pag. 214,* ubi plures ea de re Summorum Pontificum Constitutiones describuntur.

De hoc quoque videsis *Diction Jur. Canonie.,* aut. can. hon. *Andres,* edit. Matrit., 1847, sub auspiciis Emni. Card. Archiep. Hispal.; art. *Armas.*

(N. S. Illud hic opportune quæri posset, num librorum gentilium, et hæreticorum lectio fuerit Clericis antiquitus permessa? Ac primo libros hære-ticorum quod spectat, non nisi pro necessitate, et tempore, eorum lectio Epis-copis permissa: Concil. Carthag. IV. *Can. 16.* Quod vero ad gentilium libros attinet, illud quorundam Clericorum institutum semper in Ecclesia damna-tum est, qui neglectis Scripturis, aliisque utilioribus libris, vel delectationis tantum causa illos legerent, vel ut linguam suam poltiori, atque elegantio-ri dialecto adsuæfacerent, quod simplex Sacræ Scripturæ stylus ipsis non adideret; nec deerant ex Clericis, qui, ut artem sophisticam ad imponendum imperitoribus addicerent, suum tempus generatim in Ethnicis Scriptoribus perlegendis insumebant. Profecto his de causis instituta Auctorum gentilium lectio semper in Ecclesia, et quidem jure optimo, prohibita. Ceterum ubi de confirmanda doctrinæ Christianæ veritate, vel de gentilium detegendis, con-futandisque erroribus ageretur, profanos Auctores legere nunquam non per-missum, quinimmo et aliquando summopere commendatum. Quis enim in-ficiatur, plerosque veterum Patrum in gentilium eruditione multum fuisse versatos, ac eorundem lectionem plurimum ipsis profuisse, tum ex una parte ad Sacras Scripturas felicius, et facilius interpretandas, tum ex altera ad hostium fidei detegendas, profligandasque fallacias? Nemo unus, Quin et ipsi Apostoli non sunt dignati ipsorum sententias sacris suis inserere libris: *1 ad Corint. Cap. 15 v. 33., Act. Apostolor. Cap. 17 v. 23.* Profecto divi-nas Scripturas, antiquosque Canones vix; aut ne vix quidem interpretabitur,

qui linguas originales, veterem historiam, chronologiam, geographiam, criticam, artemque oratoriam non calleat. His præsidii destituti non fuere veterum Patrum illustriores, Origenes, Hieronymus, Augustinus etc.

Postremo de Jure civili, ac de Medicina pauca hic supersunt observanda. Ac primo veteres quidem clericos ab hisce studiis fuisse alienos, patet ex Ambrosio *Lib. 1 de Abraham*. Hieron. *Epist. ad Ocean.*, aliisque. At contra sequitis temporibus, adeo toti profanis hisce scientiis sese derunt, ut sacrarum litterarum, canonumque studia omnino neglecta viderentur: uti graviter conqueritur S. Petrus Damiani *Lib. 1 Epist. 15*. Illud vero summo-pere mirandum, Monachos etiam, licet alioquin ex proprio instituto solitudine adstrictos, profanis hisce studiis, præsertim Medicinæ, adeo vacasse, ut celebriores medici essent medici Cassinenses. Porro Honorius III *Cap. 10 Ne clerici, vel Monachi*. Monachos exeuntes ad audiendas Leges, vel Physicam, sive Medicinam, sub pœna excommunicationis, jubet ad claustra quam-citius redire. Hac prohibitione, quam antea etiam in Syn. Turonens. Alexander III ediderat, ad Theologiæ studium ampliandum, Clericos quoque in dignitate constitutos adstringi, idem Honorius *ibid.* præcepit. Ceterum quod in Jus Canonicum novum plura ex Jure Civili irreperint, hic factum est, ut nisi utriusque studium conjungatur, fere nullum in Jure Canonico quis fecerit progressum. Igitur tamdiu in Jus Civile incumbendum, quamdiu Juri Canonico novo recte intelligendo satis erit. Dàmndanda prorsus Clericorum quorundam conditio, qui neglectis ecclesiasticis studiis, Juri Civili, forensibusque negotiis, ad turpe lucrum quærendum, unice danto peram. Meminerint istiusmodi Clerici ordinatione sese ultro divino ministerio, ac proximorum saluti procurandæ unice addixisse.

In Hispania non prohibentur Clerici Juri Civili incumbere; immo Salmantinæ Universitatis *Constit. 27*, Beneficiariis triennium Juris Civilis studium permittitur, ut perfectiores in Canonico evadant; Medicinam vero et Chirurgiam nec addiscere eis licet; *Leg. 28 Tit. 4 Partit. 1, et Leg. 2 Tit. 9 ejusdem Partite*.

40. Tonsi item clerici esse debent, vestemque ferre clericalem, quæ duo in illis Ecclesiæ primordiis minime servabantur (1). Clerici, æque ac laici tunicam, togamque Romanam gestabant, neque usus erat ullus tonsuræ clericalis (2); sed postea, sæculo præsertim sexto, laici vestimentum illud brevius à Barbaris in Italiam illatum usurpare cœperunt, clerici autem vestem illam retinere oblongiorem, propriamque Romanorum.

(1) De vestibus clericorum plerique sic statuunt, nullum initio inter clericos, interque laicos fuisse discrimen, atque hoc deinceps induci cœpisse sexto præsertim sæculo, posteaquam Barbari, qui Italiam occupaverant, vestimentum illud brevius intulerunt. Nam ad sextum sæculum pertinet Gregorius Turonensis, qui in *Historiæ Franc. lib. 5 cap. 14 col. 214 ed. Ruinart. Paris. 1690* hæc scribit: *Merovechus, cum in custodia à Patre retineretur, tonsuratus est, mutataque veste, qua clericis uti mos est, Presbyter ordinatur*. Gregorius M. *Dial. lib. 4 cap. 40 col. 444 tom. 2 et homil. 4 in Evang. lib. 1 n. 5 col. 1449 tom. 1 ed. Maurin. Paris. 1705*. Concilium Agatheuse *can. 20 apud Labbæum conc. tomil. 5 col. 524 ed.*

Venet. Matisconense I. can. 5 col. 659 tom. 6, Trullanum can. 27 col. 1559 tom. 7 ex quibus omnibus patet, alias ea tempestate fuisse clericorum, et alias laicorum vestes. Ego libenter do, et concedo, iisdem initio vestibus tum clericos, tum laicos usos fuisse, et facile etiam assentior iis, qui tantum post Barbarorum in Italiam adventum laicorum vestes à vestibus clericorum brevitate distingui cœpisse arbitrantur. Verum multo antea vestes ipsas clericorum, si non forma, et colore, materia certe, ac modestia distinctas fuisse arbitror. Concilium Carthaginense IV. habitum anno 398 *can. 45 loc. cit. col. 1441 tom. 2*. *Clericus professionem suam, inquit, et in habitu, et in incessu probet*. Hieronymus in *ep. 150 ad Demetriadem de virgin. servand. n. 5 col. 975 tom. 1 ed. Vallarsii*, quæ epistola scripta est an. 414, Demetriadem ipsam laudat, quod pro gemmis, et sericeo, et exquisitis epulis appetierit jejunium, laborem, asperitatem vestium; victus continentiam, et quod omnem corporis cultum, et habitum sæcularem quasi propositi sui impedimenta projecit, ut vili tunica indueretur, et viliori pallio tegetetur. Salvianus Scriptor V. sæculi *lib. 4 de gubern. c. 7 pag. 70 ed. Baluzii Pedeponti 1742* diserte distinguit habitum sæcularem, et *lib. 4 c. 1 pag. 282, quidam, ut arbitror, filiorum tuorum, inquit, sub religionis titulo à religione dissentiunt: et habitu magis sæculum reliquere, quam sensu. Nec mihi quis objiciat locum Cælestini Pontificis in epist. 4 ad Episc. provinc. Vienens. et Narbon. c. 1 apud Coustantium epist. Roman. Pontif. col. 1067, qui reprehendens Gallicanos Clericos, quod, pallio, et cingulo uterentur, habet hæc: discernendi à plebe vel ceteris sumus doctrina, non veste, conversatione, non habitu, mentis puritate, non cultu. Nam hic locus haud certe ostendit, clericales, laicasque vestes ea ætate aliquo modo dissimiles non fuisse; tantum conficit, fuisse contra ecclesiasticum morem palium illud, et cingulum, quo Gallicani clerici utebantur, credentes se scripturæ fidem non per spiritum, sed per literam completuros; itemque conficit clericos, quod nemo non intelligit, doctrina præsertim, ac pietate à laicis distinctos esse oportere. Satis igitur, ut mihi quidem videtur, compertum, exploratumque est, non solum sexto, sed etiam quinto, quartoque sæculo aliquod fuisse discrimen inter vestes, quibus laici, quibusque clerici utebantur.*

(N. S. In Hispania sæculo IV nonnihil distingui clericos in exteriori habitu, indicat Syn. Caesaraugust. an 531, can. 6.

Clericos quoque veste forma à laicorum veste distincta usos fuisse sæc. 6, infertur ex Syn. Narbonensi an. 589, can. 1, ac dein ex Tolet. 4, altero sæc. ineunte, can. 28 alias 27.

Verum nunquam destitit Ecclesia Clericos admonere, ut neque in distincta hac veste aut luxum quærerent, aut mollitiem adfectarent, sive in pannis, sive in colore, sive in fissuris multiplicibus, sed modestiam præferrent. Ad rem Syn. Valent. *Cap. 15 statuit, ut in sacris ordinibus constituti vestibus utantur talaribus, non rubei coloris, aut viridis, sed nigri, vel eorum, quos honestus Ecclesiasticorum usus admisit; scissis non utantur calceis, in subuculis collaria rugata minime deferant, nec additamenta illa sinuosa extremitati manicarum subuculæ adjungant.*

(2) Caput Clericorum desuper in modum spheræ radi jubet Anicetus apud Gratianum *can. 21 dist. 25*; sed hic canon pertinet ad falsas decretales Isidori Mercatoris. Credibile autem non est, clericos ea tempestate, qua se ethnicis ignotos esse cupiebant, sese illis tam perspicua nota patefacere voluisse, et nullus antiquus scriptor tonsuræ meminit, imo eam dissertissime excludunt Optatus Milevitan. *de schismat. Donatist. advers. Parme-*

nian lib. 2 cap. 25 pag. 46 ed. Antuerpiæ 1702, et Hieronymus in Ezech. lib. 15 cap. 44 t. 5 col. 547 cit. ed. Vallarsii.

41. Per idem forte tempus clericalis tonsura cœpit adhiberi. Triplex in ecclesiasticis monumentis occurrit tonsuræ genus, Pœnitentium, Monachorum, et Clericorum. Pœnitentium tonsura omnium antiquissima; eam sequuta est Monachorum, qui Pœnitentes imitari videbantur; postremo tonsura Clericorum (1); sed hæc longe distat à reliquis, eaque nunc accipiendis ordinibus tam pueri, quam adulti initiantur, non solum tonsis, et circumcisis capillis ad instar coronæ, sed etiam raso summo capitis vertice, ut à laicis discernantur (2). Est hæc tonsura illa clericalis, quæ hodie sumitur, antequam ordines suscipiantur, cuiusque ritus describuntur in *Pontificali Romano* (3).

(1) Pœnitentes primum crines tondere cœperunt, ut populo despectui essent, quem usum arripuerunt deinceps etiam Monachi, qui pœnitentium vitam imitabantur. Denique etiam Clerici, qui monasticæ vitæ perfectionem imitari cupiebant, tonsuram adhibere cœperunt; antea tantum brevioris capilli modestiam servare, non item caput radere jubebantur. Vide Thomasinum *Vet. et Nov. Eccl. disc. part. 1 lib. 2 cap. 57, et seq.* Quare cum antiquioribus ecclesiasticis monumentis clerici brevioribus, tonsisque capillis uti jubentur, id non ita est intelligendum, quasi summum verticem radere jubentur. Nam hoc postremum serius inductum est; verum illa capillorum brevitate semper clerici modestiæ causa usi sunt. Clericus, inquit Concilium Carthaginense IV. *can. 44* apud Labbæum *Conc. tom. 2 col. 1441 ed. Venet. nec comam nutriat, nec barbam.* Recte Hieronymus in illud Ezechielis: *caput suum non radent, neque comam nutriant, sed tondentes attondebunt capita sua,* inquit lib. 15 in Ezechiel. t. 5 col. 547 cit. ed. Vallarsii: *Perspicue demonstratur, nec rasis capitibus, sicut sacerdotes, eultoresque Isis, atque Serapidis, nos esse debere, nec rursus comam dimittere, quod proprie luxuriosum est, barbarorumque, et militantium, sed ut honestus habitus Sacerdotum facie demonstretur; nec calvitium novacula esse faciendum, nec ita ad pressum tondendum caput, ut rasorum similes esse videamur, sed in tantum capillos demittendos, ut operla sit cutis.* Ergo Hieronymi ætate clerici non radebant caput, sed tantum brevioribus capillis utebantur. Hieronymo antiquior Optatus Milevitanus lib. 2 *cont. Parmen. pag. 54 ed. Paris anni 1676, Donatistas reprehendit, quod catholicis Sacerdotibus per vim capita rasissent: docete,* inquit, *ubi vobis mandatum sit radere capita Sacerdotibus, cum è contrario tot sint exempla proposita, fieri non debere.* Ex quibus intelligitur, olim clericos non rasum habuisse caput, quale nunc habent; sed tamen tonsos, ac breves gerebant crines, atque ita omnes amputata cæsarie inter clericos referebantur. Martinus Bracarenensis e. 66 apud Labbæum *collect. conc. tom. 6 col. 595 ed. Ven. Non oportet, inquit clericos comam nutrire, et sic ministrare, sed attonso capite, patentibus auribus, et secundum Aaron ialarem vestem induere.* Gregorius Turonensis tom. 1 *Hist. Franc. Script. Andr. Du Chesne Paris. 1656. pag. 302 tom. 11 Script. Rer. Gallic. Mart. Bouquet Paris. 1759 pag. 197, et sibi, inquit, propria manu capillos incidens,*

clericus factus est. Marcellus in præc. de cleric. form. lib. 1 n. 19 apud Baluzium *Cap. Reg. Franc. tom. 2 col. 265 ed. Venet. 1737. Veniens ille, inquit, ad nostram præsentiam, petiit serenitati nostræ, ut ei licentiam tribuere deberemus, qualiter comam capitis sui ad onus clericalis deponere deberet.* Quare clericorum tonsura olim consistebat in tonsis, brevibusque capillis, eaque est tonsura, quæ sæpe *corona* dicitur, cum ad instar coronæ tonsi essent crines, et clerici *coronati* vocantur in L. 33. *Cod. Theod. de Episc. et Cler. quemadmodum legem ipsam explicat Gothofredus lib. 16 tit. 2 Cod. Theod. pag. 65 tom. 6 part. 1 ed. Lipsiæ an. 1745. Hinc coronam pro clero, et clericali reverentia accipiunt Hieronymus ep. 142 col. 1060. tom. 1 ed. Vallarsii, Augustinus ep. 55 tom. 5 col. 65 tom. 2 ed. Maurin. Venet. an. 1729. Sinodius lib. 6 ep. 5 pag. 160 ed. Simon-di Paris. 1652. Ennodius lib. 4 ep. 22, et 29 ad Symmach. in Bibliot. PP. tom. 9 ed. Lugd. pag. 258, et 559. Mos radendi clericos à Monachis fortasse ortum habuit, uti putat Hallierus de sacr. elect. et ordin. pat. 3 sect. 8 cap. 9 num. 6. tom. 5 pag. 518 ed. Romæ 1740.*

(2) Joannes Morinus de ordin. part. 3 exerc. 15 cap. 5 putat nullos olim fuisse clericos, qui sola tonsura distinguebantur, eamque nonnisi cum ordine Lectoratus, aut Ostiariatus conferri solitam, neque ante septimum sæculum inductum morem, ut ea separatim tribueretur. Sed Morino adversatur Joannes Mabillonius *Acta SS. Ord. S. Bened. in præf. ad sæcul. 5 Bened. tom. 5 part. 1 §. 1 n. 19 pag. 6. ed. Venet. 1754, qui citius, quam ille putat, tonsuram separatim ab ordinibus conferri cœpisse arbitratur. Sane quæ supra descripsimus, præsertim ex Gregorio Turonensi, qui sexto sæculo vita functus est, evidenter ostendunt, ea ætate per solam tonsuram clericos fuisse factos, neque iis simul cum tonsura ordinem aliquem attributum. Accedit testimonium Pauli Emeritensis Diaconi qui lib. 1 de Patrib. Emerit. e. 5 pag. 22 edit. Antwerp. 1658 scribit, Paulum Allarum, Emeritensem Episcopum, sexto sæculo Fidelem puerum sororis suæ filium primum tonderi præcepisse; deinde per singulos gradus eum perduxisse, ac denique Diaconum ordinasse. Sed hæc, et alia, quæ Mabillonius collegit, monumenta ostendunt, in Ecclesiis quibusdam, non tamen ubique, citius tonsuram ab ordinibus fuisse sejunctam; ex quo intelligitur, non uno et eodem tempore à cunctis Ecclesiis eandem disciplinam receptam fuisse. Confer Hallierum, et Mabillonium *loc. cit.*, ubi plura de tonsura habes. Vide etiam Christianum Lupum in scholis ad can. 14. *Conc. Ecumen. 7 tom. 5 opp. pag. 199 ed. Venet. an. 1724, et Thomassinum vet. et nov. Eccl. discipl. part. 1 lib. 2 c. 56 et seqq.**

(3) N. S. Igitur VI ineunte sæculo Coronæ clericalis usus primum in Ecclesiam invecus videtur. Synodus enim Toletana II, *can. 1, de tonsura clericali loquitur; et Isidorus Hispalensis De Offic. Eccles. Lib. 2 cap. 4, et Gregorius Turon. de Glor. Martyrum Lib. 1 cap. 28* sua ipsorum ætate Coronam clericalem jam in Ecclesiam inductam produunt. Atque adeo Synodus Toletana IV an. 635. *Canone 41, Tonsuræ præceptum simul, et formam complectitur: Omnes Clerici, detonso superius capite toto, inferius solam circumilem coronam relinquunt.* Ea tamen subinde paulatim ita contracta est, ut Conc. Coloniense an. 1260 *Can. 4* summum verticem radi jubeat, quam vocat *Coronam.* Conc. Rothomag. an. 1702 *Can. 11* anathema ejaculatur in Clericos coronam gestare detractantes. Patentem esse debere sanxit Syn. Londinensis an. 1102, *Can. 12: Clerici patentem coronam habeant.* Ejus magnitudinem quatuor digitorum in diametro designavit Conc. Palentinum an. 1588, *Can. 5, et Arandense, Can. 14, in Minoribus constitutis.*

Ordinibus coronam adsignavit, quantum patebat *Regale*. Ut secundum uniuscujusque ordinem gestaretur, mandavit Senon. an. 1528, *Can. 24*. Postremo magnitudinem pro singulis ordinibus definiuit Mediolanense V an. 1579. Etenim, *Can. 4*, edixit, ut corona Presbyterorum quatuor haberet pollices in diametro, tres Diaconorum, à quibus non multum recederent Subdiaconi, duos vero corona minorum ordinum. Complures Diœcesanæ Synodi depictis circulis uniuscujusque ordinis coronam designant.

Coronæ clericalis significationes multæ sunt; nam 1 ex humilitatis professione, unde ortum habuit, retinenda à Clericis est; quo intuitu imitationem opprobriorum Christi significat. 2. Regiam Sacerdotis dignitatem indicat ex Isidoro Hispalensi *Lib. 2 de Offic. Eccles.*, cap. 4. 5 Temporalium curarum vacantiam, ex eodem Isidoro *ibidem*. 4. Denum, ex S. Thoma, ob circularem figuram, omnium perfectissimam Clericorum vitæ, sanctimonieque perfectionem.

Sicuti jubebantur quondam Clerici caput radere, ita et radere quoque barbam vetabantur. Syn. Carthag. IV, *Can. 44*, et Barcinonensis an. 540, *Can. 3*. Id quod obtinuisse videtur usque ad sæculum 11, quum Syn. Compostellana an. 1056, *Cap. 2*, inter alia præcipiat Canonicis, ut *abscissas habeant barbas*. Quod dein confirmarunt Concilia Tolet. an. 1525, *Can. 7*, Complutense an. 1525, *Can. 2*, Hispalense an. 1512 *Cap. 25*, ea adducta ratione à præf. Syn. Tolet., *ne sumendo Christi Sanguinem, aliquid indecens contingere possit.*

(5) *Part. 1 tit. de cler. facien. pag. 90 ed. Catalani Romanæ 1733.*

12. Clericalis tonsura nullam tonso tribuit potestatem ad sacrificium spectantem, neque ullum confert ministerii genus; sed tamen eum lata significatione clericum facit, hoc est, ita in ordinem refert clericorum, ut inter illos tonsus locum habeat in sacris conventibus, et linteatus divinis officiis intersit. Quo fit, ut privilegia, jura, immunitates clericorum tonsos etiam attingant, si vestes deferant clericales (1), eaque servant, quæ de vita, et honestate clericorum sancita sunt. Hæc ad Clericos universos generatim pertinent; nunc de singulis agendum est.

(1) Concilium Tridentinum *sess. 14 cap. 6 et sess. 22 cap. 1 de reform.* modestas esse jubet vestes clericorum, quæ procul absint ab habitu, et consuetudine sæcularium; verum omnes, quæ deinceps habitæ sunt, synodi eas oblongas, nigrique coloris esse volunt. Ita statuit S. Carolus Borromeus in Concilio Mediolanensi *1. part. 1 act. Eccl. Mediol. pag. 16 ed. Patavii 1754*, Concilium Mechliniense an. 1570 *tit. de vit. et honest. cler. cap. 5 tom. 21 col. 597*, Rhemense an. 1535 *tit. de cler. in gener. num. 8 col. 701 d. tom. 21*, Burdigalense an. 1585 *tit. 21 col. 771 eod. tom. 21 coll. Labbæi ed. Venet.* Extat etiam ea de re Sixti V. Constitutio *Cum sacrosanctam 141 tom. 5 part. 1 pag. 42 Bullar. Roman. ult. edit.*, qua omnes clerici, qui beneficia, aut pensiones habent, non modo tonsuram, sed etiam longas, sive talaris vestes gestare jubentur; pensionibusque, ac beneficiis privantur, qui huic legi non obtemperant; qua tamen eadem lege ipse Sixtus V. *Const. Pastoralis loc. cit. pag. 44* solvit eos, quorum pensiones anno quoque non superant aureos, sive ut vocant, ducatos de Camera 60, præterea

quosdam Summi Pontificis familiares. Accessit Benedicti XIII. *Constitutio Apostolicæ Eccles. 61 tom. 11 pag. 409 cit. Bullar.*, qua similiter constitutis penis provisum est, ne clerici laicorum vestes deferant. Quamquam autem Sixti V. Constitutio, et decreta Conciliorum, quorum paulo ante facta mentio est, clericos gestare velint longas, seu talaris vestes, nunc tamen usu receptum est, ut illi clericalibus quidem, non tamen ad talos productis, vestibus utantur, atque ut has postremas gerere debeant, cum Ecclesiam ingressuri sunt, sive ad Missarum mysteria celebranda, sive ad divina officia, et ecclesiastica munera obeunda. Nimirum cum Synodus Tridentina *sess. 14 cap. 6 de reform.*, Episcopis tribuat facultatem clericalis indumenti formam definiendi, tacito eorum consensu factum videtur, ut clerici per urbem incedentes breviores etiam vestes gerant. Confer Benedictum XIV. *de Synod. diœces. lib. 11 cap. 8, et Inst. Eccles. Inst. 34 et 71.*

(N. S. In Hispania ad talaris vestes quantum attinet, eas jam diu præscripserat Clericis Syn. Dertusana an. 1429, *Can. 1*, scilicet *nec nimia brevitate, nec longitudine* notandas. Ad colorem vero quod spectat, nigrum generatim admissum esse post sæculum XVI ex eo colligimus, quod Concilia nostra, præsertim Valentim. mox *laud. cap. 15*, nigri, vel fuscii coloris vestem, vel ejus quem honestus Ecclesiasticorum usus admisit, præscribit.

Quæret fortasse quispiam, quid fuerit, quod inductus sint in Clericorum vestibus color niger? Cui si conjecturis fidere est, à Regulari Clericorum vita originem duxisse, respondebimus. Quum enim Monachis post S. Benedictum vissum esset, *nigrum colorem magis humilitati, magis penitentiae, magis luctui convenire*, ut scribit Petrus Ven. ad S. Bernardum, omnes ut plurimum hunc colorem adsumserunt, *beatissimum Patrem Benedictum sectantes, qui nigro colore usus est*. Chron. Cassinien. *Lib. 4 cap. 145*. Clerici autem simul ac Canonicam vitam amplexi sunt, mutavere etiam exteriorem indumentorum formam, et quum à Monachis mutuaverint *Cappas cum cappellis*, sive *caputiis*, et *cilicia*, verosimile est, simul cum id genus vestimentorum colorem etiam nigrum mutasse. Profecto induebantur quondam Canonici Ciliciis, Cappis, et Caputiis Monachorum, uti hodiernus nobis complurium Hispaniæ Ecclesiarum usus indicat.

Verum quum deinceps cœperint Canonici à Canonica se avertere vivendi methodo, retenta in choro antiqua vestimentorum configuratione, et in profanis vestibus mutata, colorem tamen nigrum retinuisse, atque ita sensim in omnibus clericorum vestibus inductum fuisse, probabile saltem existimamus.

Adhæc in Hispania ex *Leg. 6 tit. 10 lib. 1 Novis. Compil.*, Clerici prima tonsura initiati fori privilegio non gaudent, nisi Beneficium Ecclesiasticum habeant, vel in aliqua Universitate Studiorum causa degant, vel de Episcopi scientia alicui Ecclesiæ sint addicti, Altarique inserviant, et Clericalem Tonsuram, habitumque simul Ecclesiasticum deferant, quod jam prius decreverat Syn. Trid. *Sess. 25 Ref. cap. 6*. Quin et Concordato an. 1757 *art. 9* constitutum est, neminem nec ad tonsuram admittendum, de quo spes non indubia sit, eum non alium sibi scopum, quam Deo sacris inserviendi proposuisse, uti jam diu constituerat Trid. *præf. Sess. 25 Ref. cap. 4.*

TITULUS II.

DE HIERARCHIA ORDINIS.

1. QUARE A CHRISTO INSTITUTA HIERARCHIA ORDINIS, ET JURISDICTIONIS?—2. UTRIUSQUE VIS, RATIO.—3. POTESTAS ORDINIS.—4. POTESTAS JURISDICTIONIS.—5. POTESTAS ORDINIS A JURISDICTIONIS POTESTATE SEJUNGI POTEST.—6. QUID REQUIRITUR, UT EPISCOPUS UTRAMQUE POTESTATEM HABEAT?—7. DE ORDINIS HIERARCHIA TRACTATIO SUSCIPITUR.

Duplicem esse diximus hierarchiam, et duplicem clericorum potestatem, ordinis et jurisdictionis, sive regiminis (1). Christus enim cum Ecclesiam constituit, leges dedit societati hominum, quos frui bonis spiritualibus, et quos optime regi voluit, ut deinceps aeternae felicitatis participes esse possent. Ut homines fruerentur bonis spiritualibus, creavit ordinis potestatem; ut optime regerentur, potestatem jurisdictionis instituit.

(1) *Duplex est, inquit, D. Thomas 22 quaest. 59 art. 5 in corp., spiritualis potestas, una quidem sacramentalis, alia jurisdictionalis. Sacramentalis quidem potestas est, quae per aliquam consecrationem confertur... et talis potestas secundum suam essentiam remanet in homine, qui per consecrationem eam est adeptus, quoad vivit, sive in schisma, sive in haeresim labatur. Tamen haeretici, et schismatici usum potestatis amittunt, ita scilicet, quod non liceat eis sua potestate uti. Si tamen usi fuerint, eorum potestas effectum habet in sacramentalibus... Potestas autem jurisdictionalis est, quae ex simplici injunctione hominis confertur. Et talis potestas non immobiliter adheret. Unde in schismaticis, et haeticis non manet, unde non possunt nec absolvere, nec excommunicare, nec Indulgentias facere, aut aliquid hujusmodi. Quod si fecerint, nihil est actum. Eandem potestatis divisionem pluribus aliis locis S. Thomas proponit, praesertim part. 5 quaest. 63 art. 2, et eandem etiam non obscure tradit Synodus Tridentina sess. 25 can. 7, ubi in Episcopis utrumque requiritur, scilicet legitima ordinatio, et legitima missio, quarum altera confert ordinis, altera jurisdictionis potestatem. Quid quod etiam extra Catholicam Ecclesiam haeretici, et schismatici, qui rite ordinati sunt, ordinis potestatem habere possunt; jurisdictionis autem, quia deest legitima missio, omnino non possunt? Ergo utraque potestas distincta est, neque sola ordinatio facit, ut simul utraque potestas et ordinis, et jurisdictionis acquiratur. Monenda haec esse volui, ut mature pateat error Canonici Georgei Sicardi, et aliorum generis ejusdem, qui notissimam hanc, receptissimamque potestatis distinctionem falso, et audacter improbant. Eos, praeter ceteros, solide refutavit Cl. Bolgenius diatrib. sulla giurisdizione ecclesiastica Romae edit. an. 1791.*

2. Ex quo intelligitur, quid sibi velit vis, et ratio utriusque potestatis, et hierarchiae. Scilicet potestas et hierarchia jurisdictionis omnis est posita in regendis, gubernandisque subdiis; ac jurisdictio, quae tota in hoc regimine, ac gubernio consistit, haberi non potest, nisi subditi sint, qui regantur, et gubernentur. Verum hierarchia, et potestas ordinis pertinet ad sacrum ministerium, atque ad spiritualia bona Christiano populo tribuenda, maxime Sacramenta, quae sunt hujus vincula societatis, eaque constat Episcopis Presbyteris, et Ministris.

3. Quod attinet ad hanc hierarchiam, unus et idem est ordo atque una, eademque potestas omnium Episcoporum, cum neque Metropolitae, neque Patriarchae, neque ipse summus Pontifex ordinem habeant ab Episcopatu distinctum. Nam in iis, quae ordinis sunt, in Episcopo inest plenitudo potestatis, quae à Deo ipso per sese, sive *immediate*, ut ajunt, ordinatione tribuitur. Quamquam enim sacramenta hominum ministerio peragantur, vis tamen eorum à Deo ipso procedit; et ideo, cum ab eo, qui habet potestatem, ordo rite confertur, nihil impedimento esse potest, quominus vis impressa sacramento consistat. Ex quo efficitur, ut qui semel accepit ordinis potestatem, is legitimo quidem ejus usu prohiberi multis de causis possit, sed vis ipsa potestatis semper hæreat, adeo ut nequeat auferri, coercerive ita, ut non efficiat, quod efficere divino instituto debet. Quare Episcopus excommunicatus, haereticus, schismaticus, cum rite confert ordinis, aut confirmationis sacramenta, impie quidem agit, sed rata firma confirmatio, ordinatioque est.

4. Verum hierarchiae, et potestatis jurisdictionis longe dispar est ratio. Cum enim ea pendeat ab imperio in subditos, neque hoc imperium in omnibus Episcopis unum, idemque sit, facile intelligitur, dispares eorum gradus esse oportere. Quare alia est jurisdictio Episcopi, qui unam diocesim regit, alia Metropolitae, qui provinciae, alia Patriarchae, qui pluribus provinciis praest, alia denique Summi Pontificis, quem Christus toti Ecclesiae praefecit, quemque esse voluit ejus caput, et centrum unitatis, à quo cuncta Ecclesiae membra copulentur (1).

(1) Consule, praeter ceteros, S. Leonem M. ep. 14 in fin. opp. tom. 1 col. 691 edit. Venet. 1755.

5. Potestas hæc, quae jurisdictionis dicitur, aut regiminis, non ita cohæret ordinis potestati, ut ab ea sejungi non possit. Quamquam enim Christus ad Ecclesiae regimen Episcopatum ins-

tituerit, non ex eo tamen efficitur, ut quisquis Episcopalem ordinationem accepit, hoc ipso regendi munus possit exercere. Ita hæreticus ab hæretico, schismaticus à schismatico ordinatus Episcopus habet ordinis potestatem, cum servata sunt omnia, quæ servare oportebat; sed cum nullos habeat subditos, quos jure regat, plane nullam habere potest regiminis, aut jurisdictionis potestatem. Similiter Episcopus è gradu dejectus, cum amiserit subditos, quos antea regebat, nullam amplius retinet jurisdictionem, quæ sine subditis esse nequit, uti nemo sine servis dominus, nemo sine filiis pater est (1).

(1) Atque adeo verum est, à nemine jurisdictionem per simplicem ordinationem, nisi etiam accedat legitima missio, exerceri posse, ut id etiam fateantur ii, qui proxime, sive *immediate* à Deo repetunt Episcopalem potestatem non tantum ordinis, sed etiam jurisdictionis. Nam Episcopi, inquit Thomasius *vet. et nov. Eccles. discipl. par. 2 lib. 4 cap. 45 num. 5. obtinent illi quidem immediate à Christo jurisdictionem suam, sed non ab illo immediate consecuti sunt territorium hoc suum, et peculiarem diæcesim: cum hæc partitio facta fuerit volventibus sæculis ab Ecclesia, nec fieri potuerit, aut perpetuari, nisi consensione Capituli, in quo est cardo, et centrum ecclesiasticæ unitatis.* Sic etiam Jueninius *de Sacram. disert. 9 de ordin. in spec. quest. 1 cap. 1 art. 5 ad object. 1 et 3.* et Natalis Alexander *histor. eccles. sæc. 1 dissert. 4 §. 4 num. 3 tom. 3 pag. 37 edit Venet. an. 1776.*

6. Itaque ut Episcopus et ordinis habeat, et jurisdictionis potestatem, utrumque habere debet, scilicet et ordinationem, et legitimam missionem, per quam ei certi assignentur subditi, in quos imperium exercent. Quæ subditorum assignatio non divini, sed humani juris est, fierique debet ab eo, cui subsunt Episcopi, et cujus potestas fertur in orbem universum. Quis autem, nisi Summus Pontifex, Ecclesiæ caput, et princeps, hanc habet in totum orbem à Christo acceptam potestatem? Quare aut ab ipso, aut eo saltem consentiente, et probante, unicuique Episcopo missio tribuenda est, nimirum certi sunt assignandi subditi, quos regat, atque ita omnes Episcopi jurisdictionis potestatem consequantur (1).

(1) Ea de re, uti sapienter animadvertit doctissimus Cardinalis Gerdil, auctor opusculorum ad hierarchicam Ecclesiæ constitutionem spectantium, *opusc. 5 pag. 152 edit. Parmæ 1789*, duo in primis ante oculos habenda sunt catholica dogmata à Tridentina Synodo definita *sess. 25 can. 7 et 8.* Alterum est: *si quis dixerit... eos, qui nec ab ecclesiastica, et canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi, et sacramentorum ministros, anathema sit.* Alterum autem est: *si*

quis dixerit, Episcopos, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos, et veros Episcopos, sed signum humanum, anathema sit. Itaque certum, exploratumque est, uti eadem Synodus *can. 4* discrete statuit, *eos, qui tantummodo à populo, aut sæculari Potestate ac Magistratu vocati, et instituti, ad hæc (ecclesiastica) ministeria exercenda ascendunt, et qui ea propria temeritate sibi sumunt, omnes non Ecclesiæ ministros, sed fures, et latrones per ostium non ingresses, habendos esse;* itemque certum, et compertum est, legitimos, ac veros Episcopos habendos, atque esse revera, qui à Summo Pontifice Episcopi constituuntur. Quæ generalis Concilii definitio plane nullis aut loci, aut temporis aretata finibus, illustre præbet argumentum præstantissimæ potestatis, quam in constituendis Episcopis Romanum Pontificem habere novit Synodus Tridentina, decretoque dogmatico confirmavit. Consule Hallierum *de sacr. elect. et ordinat. part. 3 sect. 5 cap. 4 §. 1 num. 18 tom. 3 pag. 44 et art. 5 §. 6 num. 45 et 55 pag. 94 et 102 edit. Romæ 1740.*

7. Jam ordinis hierarchiam nunc explicaturi, primum agemus de Episcopis; quorum in ea summus est gradus, postea de Presbyteris, et Ministris, atque ita hæc hierarchia uno in conspectu posita habebitur. De his autem agentes, explicabimus utramque potestatem, quæ in ipsis inest, ordinis scilicet, et jurisdictionis; ne, cum alterum persequemur genus ecclesiasticæ hierarchiæ, redire cogamur ad ea, de quibus superiori loco disseruerimus.

SECTIO I.

DE EPISCOPIS.

8. EPISCOPI OFFICIA.—9. VISITATIO DIOECESIS.—10 ET 11. ONUS IN EA RESIDENDI.—12. POTESTAS EPISCOPALIS, QUÆ RESPICIT VEL ORDINEM.—13 ET 14. VEL JURISDICTIONEM, FORI INTERNI, ET EXTERNI.—15. VEL LEGEM DIOECESANAM.—16. AD 17. POTESTAS DELEGATA EPISCOPI IN EXEMPTOS.

8.

Episcopus græca vox est, quæ latine *inspectorem* significat, et quæ munus designat Antistitis, ut populo sibi commisso præsit, ejusque mores speculetur (1). Hinc Episcopi esse debet curare divinum cultum, et Christianam defendere Religionem; preces indicere; videre, ne quid peccetur in rebus Fidei, in divinis celebrandis officiis, in Sacramentorum administratione; animadvertere in eos, qui turbas excitant in re Christiana; inquirere diligenter in libros, qui in lucem emittuntur, ne quis in iis

tituerit, non ex eo tamen efficitur, ut quisquis Episcopalem ordinationem accepit, hoc ipso regendi munus possit exercere. Ita hæreticus ab hæretico, schismaticus à schismatico ordinatus Episcopus habet ordinis potestatem, cum servata sunt omnia, quæ servare oportebat; sed cum nullos habeat subditos, quos jure regat, plane nullam habere potest regiminis, aut jurisdictionis potestatem. Similiter Episcopus è gradu dejectus, cum amiserit subditos, quos antea regebat, nullam amplius retinet jurisdictionem, quæ sine subditis esse nequit, uti nemo sine servis dominus, nemo sine filiis pater est (1).

(1) Atque adeo verum est, à nemine jurisdictionem per simplicem ordinationem, nisi etiam accedat legitima missio, exerceri posse, ut id etiam fateantur ii, qui proxime, sive immediate à Deo repetunt Episcopalem potestatem non tantum ordinis, sed etiam jurisdictionis. Nam Episcopi, inquit Thomasius *vet. et nov. Eccles. discipl. par. 2 lib. 4 cap. 45 num. 5. obtinent illi quidem immediate à Christo jurisdictionem suam, sed non ab illo immediate consecuti sunt territorium hoc suum, et peculiarem diocesim: cum hæc partitio facta fuerit volventibus sæculis ab Ecclesia, nec fieri potuerit, aut perpetuari, nisi consensione Capituli, in quo est cardo, et centrum ecclesiasticæ unitatis.* Sic etiam Jueninius *de Sacram. disert. 9 de ordin. in spec. quest. 1 cap. 1 art. 5 ad object. 1 et 3.* et Natalis Alexander *histor. eccles. sæc. 1 dissert. 4 §. 4 num. 3 tom. 3 pag. 37 edit Venet. an. 1776.*

6. Itaque ut Episcopus et ordinis habeat, et jurisdictionis potestatem, utrumque habere debet, scilicet et ordinationem, et legitimam missionem, per quam ei certi assignentur subditi, in quos imperium exercent. Quæ subditorum assignatio non divini, sed humani juris est, fierique debet ab eo, cui subsunt Episcopi, et cujus potestas fertur in orbem universum. Quis autem, nisi Summus Pontifex, Ecclesiæ caput, et princeps, hanc habet in totum orbem à Christo acceptam potestatem? Quare aut ab ipso, aut eo saltem consentiente, et probante, unicuique Episcopo missio tribuenda est, nimirum certi sunt assignandi subditi, quos regat, atque ita omnes Episcopi jurisdictionis potestatem consequantur (1).

(1) Ea de re, uti sapienter animadvertit doctissimus Cardinalis Gerdil, auctor opusculorum ad hierarchicam Ecclesiæ constitutionem spectantium, *opusc. 5 pag. 152 edit. Parmæ 1789*, duo in primis ante oculos habenda sunt catholica dogmata à Tridentina Synodo definita *sess. 25 can. 7 et 8.* Alterum est: *si quis dixerit... eos, qui nec ab ecclesiastica, et canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi, et sacramentorum ministros, anathema sit.* Alterum autem est: *si*

quis dixerit, Episcopos, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos, et veros Episcopos, sed signum humanum, anathema sit. Itaque certum, exploratumque est, uti eadem Synodus *can. 4* discrete statuit, *eos, qui tantummodo à populo, aut sæculari Potestate ac Magistratu vocati, et instituti, ad hæc (ecclesiastica) ministeria exercenda ascendunt, et qui ea propria temeritate sibi sumunt, omnes non Ecclesiæ ministros, sed fures, et latrones per ostium non ingresos, habendos esse;* itemque certum, et compertum est, legitimos, ac veros Episcopos habendos, atque esse revera, qui à Summo Pontifice Episcopi constituuntur. Quæ generalis Concilii definitio plane nullis aut loci, aut temporis aretata finibus, illustre præbet argumentum præstantissimæ potestatis, quam in constituendis Episcopis Romanum Pontificem habere novit Synodus Tridentina, decretoque dogmatico confirmavit. Consule Hallierum *de sacr. elect. et ordinat. part. 3 sect. 5 cap. 4 §. 1 num. 18 tom. 3 pag. 44 et art. 5 §. 6 num. 45 et 55 pag. 94 et 102 edit. Romæ 1740.*

7. Jam ordinis hierarchiam nunc explicaturi, primum agemus de Episcopis; quorum in ea summus est gradus, postea de Presbyteris, et Ministris, atque ita hæc hierarchia uno in conspectu posita habebitur. De his autem agentes, explicabimus utramque potestatem, quæ in ipsis inest, ordinis scilicet, et jurisdictionis; ne, cum alterum persequemur genus ecclesiasticæ hierarchiæ, redire cogamur ad ea, de quibus superiori loco disseruerimus.

SECTIO I.

DE EPISCOPIS.

8. EPISCOPI OFFICIA.—9. VISITATIO DIOECESIS.—10 ET 11. ONUS IN EA RESIDENDI.—12. POTESTAS EPISCOPALIS, QUÆ RESPICIT VEL ORDINEM.—13 ET 14. VEL JURISDICTIONEM, FORI INTERNI, ET EXTERNI.—15. VEL LEGEM DIOECESANAM.—16. AD 17. POTESTAS DELEGATA EPISCOPI IN EXEMPTOS.

8.

Episcopus græca vox est, quæ latine *inspectorem* significat, et quæ munus designat Antistitis, ut populo sibi commisso præsit, ejusque mores speculetur (1). Hinc Episcopi esse debet curare divinum cultum, et Christianam defendere Religionem; preces indicare; videre, ne quid peccetur in rebus Fidei, in divinis celebrandis officiis, in Sacramentorum administratione; animadvertere in eos, qui turbas excitant in re Christiana; inquirere diligenter in libros, qui in lucem emittuntur, ne quis in iis

obrepat error (2); sacras in templo conciones habere, quod munus ita proprium Episcopi est, ut illud ceteri clerici sine ejus venia, aut consensu exercere prohibeantur (3); fidei mysteria, et Sacrorum Bibliorum sensum secundum mentem Ecclesiae populo aperire, eumque in officio scripto, et sermone continere.

(N. S. Episcopi quoque est dissidentes Fidelium animos in concordiam revocare: Syn. Palentina an. 4129, *Cap. 41*, litesque ex bono, et aequo componere: id quod ex Apostoli verbis *1 ad Corinth. 6* nonnulli Patres, ac praesertim Augustinus, derivant. Item, apud Magistratus pro reis intercedere; id quod tum Patres Sardicenses *Can. 7*, et Tolet. VI *Can. 42* decreverunt veteres Episcopi haud raro praestiterunt: Patres praesertim Syn. Tolet. IV in *Epitogo*. In hac officii pastoralis parte eluxit Ambrosii, et Augustini charitas, qui saepius Magistratus ad veniam reis implorandam convenerunt.)

Episcopum specialiozem quarundam personarum curam gerere oportet; uti pauperum, orphanorum, viduarum, peregrinantium, oppressorum (Syn. Tolet. IV, *can. 22*, alias 21), virginum Deo Dicatarum, atque etiam Monachorum (ex Conc. Chalcedon. *can. 4 et 8*).

(1) Multa de variis, quibus Episcopi appellantur, nominibus habet Machius *orig. et antiquit. Christian. lib. 4 cap. 4 tom. 4 pag. 254 et seq.*

(N. S. Jam vero Episcopi nonnisi frequentioribus civitatibus praeficiendi: hinc Synodus Sardicensis *Can. 7* constituit: *Non licet simpliciter Episcopum constituere in aliquo pago, vel parva urbe, cui vel unus presbyter sufficit: non necesse est enim illic Episcopum constitui, ne Episcopi nomen, et auctoritas vilipendatur*. Eandem disciplinam, antiquis adductis Canonibus, confirmavit in Hispania Syn. Tolet. 12 *Can. 4*. Episcopi Sacramentorum administrationem; antiquitus per se procurarunt. Qua de re S. Ignatius Ep. ad Smyrn. num. 8., *Non licet, inquit, sine Episcopo, neque baptizare, neque agapem facere*. Verum temporis lapsu illam presbyteris, aucto fidelium numero, demandarunt: ita tamen, ut nunquam ex suo ipsorum arbitrio, atque adeo contra Episcopi voluntatem, sed tantummodo ex ejus mandato, illud munus obirent: ad rem Hyer. Dialogo contra Lucif. pag. 459. *Sine jussione Episcopi neque Presbyter, neque Diaconus jus habeant baptizandi*. Expressius Syn. Hispanensis II *Can. 7*.)

(2) Concil. Trident. *sess. 4* Leo X *Bulla Inter sollicitudines 15 tom. 5 part. 3 pag. 409 Bullar. ult. ed. Romanae*.

(N. S. In Hispania Ordinarii licentia necessaria non est, nisi ad edendos tantum libros, qui in *Leg. 3 tit. 16 et 1, tit. 18, lib. 8 Novis. Compil.* recensentur, scilicet, *Flos Sanctorum, Constitutiones Synodales, Grammatica Latina, Vocabularium*, et alii, qui ad comparandam linguam Latinae notitiam requiruntur, dummodo hi fuerint jam semel in nostro Regno typis mandati.

2. Pro libris agentibus de rebus sacris, praeter Ordinarii licentiam, quae

expediri non debet adposita voce: *Imprimatur*, vel alia quae auctoritatem sonet jurisdictionis, exigenda est quoque a Supr. Castellae Senatu ex *Pragmat. Sanct. 20 Aprilis an. 1775*.

5. Libri, vel folia ad Sanctum Inquisitionis Tribunal spectantia, de solius Inquisitoris Generalis, ejusque Regii Senatus mandato imprimuntur: *leg. 5 laud. n. 4*.

4. Bullae quaelibet, et quidquid ad Sanctam Cruciatam spectat, de Commissarii Generalis licentia praelo donantur: *ead. leg. 3*.

5. Missale, Breviarium, Martyrologium, Rituale, et id genus alia, quae publicam respiciunt Ecclesiae precationem, de ejusdem Commissarii mandato recognita imprimuntur: Videsis *Rescriptum* Gregorii XIII ad Philippum II die 10 Septembris anni 1585.

6. Libri a Regularibus concinnati, ut publicae mandentur luci, ultra licentiam Ordinarii, suorum etiam Superiorum adprobationem, ac dein Supr. Castellae Senatus facultatem habeant, necesse est: *Leg. 8, tit. 16, lib. 8. Novis. Compil.*

7. Pro reliquis edendis Libris a solo Castellae Senatu postulanda est licentia: *eadem Lege 3 proxime citatae*.)

Ex Regg. decretis, 10 April. 1344, tit. 14, art. 105, et 2 ejusd. mens. an. 1352, tit. 8, art. 100, typis mandari nequeunt quaelibet scripta fidem moresque spectantia, absque praecedenti Diocesani examine et approbatione; quae naturalis est limitatio politici illius juris, quod vulgo audit *libertad de imprenta*.

(3) Concil. Trident. *sess. 24 cap. 4 de reform.*; et vero praedicationis munus adeo sui proprium agnoverunt Apostoli, ut Paulus non dubitavit asserere, se non ad baptizandum, sed ad evangelizandum fuisse missum *1 ad Corinth. 1, 17*. In Oriente jam inde ab antiquis temporibus Presbyteros Episcoporum mandato divinum verbum praedicasse constat. Chrysostomus, cum adhuc Presbyter esset, plures Antiochiae orationes habuit; quod etiam Hierosolymis, et Caesarea in Palestina Originem praestitisse, scribit Eusebius *Histor. lib. 6 c. 27 p. 295 ed. Valesii Cantabrig. 1720*. Eodem quoque munere Atticum Constantinopoli, alios vero Presbyteros Caesareae in Cappadocia, atque in insula Cypro functos fuisse, tradit Socrates *Histor. lib. 2 cap. 22 pag. 297 cit. ed. Valesii*. Pertinet etiam ad hanc Orientalium consuetudinem id, quod memoriae prodidit ipse Socrates *loc. cit.*, ea tempestate, qua Arius Ecclesiam perturbavit, Presbyteris Alexandriae sacra praedicatione interdictum. In Occidente, ac praesertim in Africanis Ecclesiis, Episcopi ipsi divinum verbum populo nunciabant; et hinc apud Cyprianum crebro occurrit ea formula *tractante Episcopo*, ut videre est *ep. 52 p. 70, et ep. 56 p. 38 ed. Rigallii Paris*. Qua eandem formula utitur etiam Pontius Diaconus in *vita Cypriani n. 48 p. 187 Act. SS. Mart. Sincer. ed. Ruinartii Veron.* Primus Valerius Hipponensis Episcopus Augustino Presbytero dedit, etiam se praesente, divini verbi praedicandi facultatem, uti inquit Possidius in *vit. Augustini cap. 5 col. 260 tom. 10 opp. ejusdem Augustini ed. Venet. 1755*. Quod licet nonnulli Episcopi reprehenderent, tamen Valerius Orientalium Ecclesiarum consuetudine factum tuebatur suum, quod postea complures alii sequuti sunt: Possidius *loc. cit.*; ac praesertim Aurelius Carthagenensis, qua de re scripta ad eum ab Augustino, Alypioque *ep. 41 gratulationis plena col. 87 tom. 2 ed. Maurin. Venet. 1729*. Synodus Tridentina *sess. 5 cap. 2 de reform.* prohibuit Regularibus praedicare in ecclesiis non suorum Ordinum sine Episcopi approbatione, vel in ecclesiis suorum ordinum sine Episcopi benedictione: tum *sess. 24 cap. 4 de reform.* constituit;

nullus autem secularis, sive regularis etiam in Ecclesiis suorum ordinum, contradicente Episcopo prædicare præsumat.

(N. S. Hoc pro Hispan. Regno firmavit Clemens X, Constit. Superna 9 Jul. 1760.

Divini verbi enunciationem esse præcipuum Episcoporum munus, probe noverant Hispani Patres, quippe qui in Syn. Tolet. XI Can. 2 ita loquuntur: Nos.... qui officium prædicationis suscepimus, nullis curis à Divina lectione privemur: nam quorundam mentes Pontificum ita torporis otio à lectionis gratia secludantur, ut quid doctrinæ gregibus subditis exhibeat, non habeat præco mutus. Insistendum ergo semper erit Majoribus, ut quos sub regiminis sui cura tumentur, fame verbi Dei perire non sinant. Profecto revocandis in viam salutis improbis, et componendis Christianorum moribus plurimum confert Episcoporum prædicatio. Unde agebat Syn. Valentina Can. 1, Pontificum prædicatione audita, nonnullos ad Fidem adtractos evidenter scimus.)

9. Cumque Episcopale munus pertineat ad totam dioccesim, inducta est ejus visitatio, quam Episcopus altero quoque anno obire debet, aut per se ipsum, aut per alium, ubi justo impedimento tenetur (1). Quia in re Episcopus quidquid ad visitationem, aut ad morum correctionem perlinet, agere debet sine strepitu judicii (2), neque ulla appellatio suspendit vim eorum quæ mandata, aut decreta sunt (3). Verum si solemniter judicii ritus servare placuit, per appellationem vis editæ sententiæ suspenditur (4).

(1) Concilium Tridentinum sess. 24 cap. 5 de reform., Episcopi Dioccesim lustrantis munera describit his verbis: Visitacionum præcipuus sit scopus sanam, orthodoxamque doctrinam, expulsis hæresibus, inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populum cohortationibus, et admonitionibus ad religionem, pacem, innocentiamque accendere; cetera, prout locus, tempus, et occasio feret, ex visitantium prudentia ad fidelium fructum constituere. Hujusmodi sunt curare, ut reparentur Ecclesiæ, atque ut omnia fiant secundum ea, quæ sacris legibus sunt constituta. Ceterum visitationem hanc inter præcipua Episcopi numera recenset S. Joan. Chrysostomus Homil. 2 in ep. ad Titum tom. 11 pag. 757 ed. Montfauconii Paris 1754, et S. Augustinus ep. 56 et 209 tom. 2 col. 144 et 777 ed. Venet. an. 1729.

(N. S. Personalem totius dioceseos visitationem Episcopis jure divino incumbere, communiter tradunt Canonistæ: Fagn. ad cap. 25 de Cler. non resid. Et vetustissimum hunc esse Ecclesiæ morem, evincitur ex Syn. Tarracon. Can. 8: Decrevimus, ut antiquæ consuetudinis ordo servetur, ut annuis vicibus ab Episcopo dioceses visitentur.

De Episcopatum visitationum ratione ita sese habent vetera Hisp. Concilia: Ut exquirat Episcopus redditus Basilicarum, et Ministrorum vitam: Syn. Tolet. IV Can. 56. Ut si qua forte Basilica reperta fuerit destituta, ordinatione ejus reparetur: Syn. Tarracon. Can. 3 Ut Episcopi per Dioccesim ambulantes, discutiant Clericos, qualiter quæque officia in Ecclesia peragantur, et postquam suos Clericos discusserint, vel

d'ocuerint Episcopi, alia die, convocata plebe ipsius Ecclesiæ, doceant illos, ut fugiant diversa crimina, id est, homicidium, adulterium, perjurium, falsum testimonium, et reliqua peccata mortifera, aut quod nolunt sibi fieri, non faciant alteri; et sic postea Episcopus de Ecclesia illa proficiatur in aliam: Syn. Bracar. II Can. 1.—Reges etiam nostri plurimum commendarunt Episcopis Parochiarum visitationem: Leg. 4, tit. 22, Partitæ 1, et Leg. 5, Tit. 8 Lib. 1. Novis. Compil.

Quosnam autem oporteat esset Visitatores, constituit Syn. Hispalens. an. 1512 cap. 45, scilicet: Viri docti, conscientiæ integræ, et Deum timentes. Quale vero censeatur impedimentum sufficiens et Episcopi possint absque piaculo visitationis munus aliis demandare, perspicue declarat Synod. Toletana an. 1565 Actione 2. Ref., cap. 2: Visitent Episcopi per se, vel per alios proprias Dioceses, omnino servantes, quæ à Synodo Tridentina statuta sunt. ... neque excusentur ab hac personali visitatione, quovis impedimento, quod aliqui benigna quadam indulgentia solent admitti; sed eo tantum, quod necessitate quadam sic urgeat, ut nisi maximo cum detrimento vel publicæ, vel propriæ salutis spiritualis vel corporalis per se ipsos eam visitationem exsequi non valeant, apud hanc Provinciale Synodum de eo fidem facturi, ejusque judicium ea de re, ac censuram non qualemcumque præter divinam ultionem subituri.)

(2) Vide Fagnan. in cap. Dilectus de rescrip. num. 26 et seq., qui late ea de re disputat, et plura memorat decreta Sac. Congregationis Concilii.

(3) Cap. 15 de offic. Jud. Ordin., Conc. Trid. cap. 10 sess. 24 de reform.; Benedictus XIV Constit. ad militantis 48, de appellat., et inhibition. conced., vel denegan. §. 21 tom. 1 pag. 81 ed. Romæ 1754. Datur tamen appellatio, ut dicitur, in devolutivo, quæ scilicet Episcopi decretum deferret ad judicem superiorem, posteaquam exitum habuit.

(4) Vid. Fagnanum loc. cit., et Barbos. in Conc. Trident. sess. 15 cap. 4 de reform. num. 7.

10. Et quia recte suo fungi munere Episcopi nequeunt, nisi in diocesi commorentur, sive resideant, idcirco eos residere oportet in Episcopatu suo (1). Hinc Episcopi, qui per sex perpetuos menses abfuerint à diocesi sua, privantur quarta parte fructuum unius anni, quæ conferenda est in fabricam Ecclesiæ, aut in levamen pauperum; absentes sex aliorum mensium spatio, amittunt aliam quartam partem eorumdem fructuum, tum gravioribus etiam plectuntur pœnis, si diutius absint, non festinantes reditum ad dioccesim suam (2).

(1) Concilium Tridentinum expresse definire noluit, Episcoporum in sua diocesis residentiam divini juris esse, quæ de re multis disputatum est, uti narrat Pallavicinus in hist. conc. lib. 7 cap. 6 lib. 16 cap. 4, sed enumeratis muneribus, quæ Episcopis jure divino commissa sunt, inquit sess. 23 c. 1 de resor.; ea prestari non posse ab iis, si gregi suo non invigilant, neque assistunt, sed mercenariorum more deserunt. Vid. Bened. XIV de Synod. lib. 7 c. 1.

(2) Concil. Trident. sess. 6 cap. 1 de reform. Pius IV in Bulla de salute 12 pag. 56 tom. 4 part. 2 Bullar. ult. ed Rom.

(N. S. Qualis autem oporteat esse Episcoporum residentia, perspicue expressit Syn. Compostellana an. 1565 Act. 5 Decret. 1; scilicet, ut ii, quibus præsunt, frugiferam esse sentiant, et officiosam. Prædicent igitur, subjectos visitent, Sacramentum Pœnitentiæ, aliisque Ecclesiæ Sacramenta (si necesse fuerit, aut expedire censuerint) per se ipsos administrent.... Denique in omnibus se tum iudices æquos, tum Patres indulgentes exhibeant, sicut Dei ministros. Similia habet Valentina an. 1565, Cap. 1, et Tolet. ejusd. an., Act. 2 Ref. cap. 1, hoc adjungens: Caveant Episcopi ne extra Sedem Cathedralis Ecclesiæ locum aliquem Diœcesis ad continue habitandum eligant.... Alioqui sint Episcopi memores, eam residentiam, neque Deo gratam esse, neque sacris Canonibus consonam, et ab hac Syn. potius absentiam, quam residentiam censendam fore.)

11. Si quis tamen velit aliquantulum abscedere, datur ei quæque anno spatium duorum, triumve mensium, modo id æqua ex causa fiat, ac sine ullo populi detrimento (1). Quod si quis aliter abfuerit, quam Sacri Canones abesse sinunt, beneficii fructus, donec abfuit, suos non facit, quod de omnibus cautum est generalim, qui curam habent animarum. Sunt autem justæ causæ, quæ Ecclesiæ Pastores excusant à personali residentia, si nimirum Summo Pontifici probatæ fuerint, *christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiæ, vel rei-publicæ utilitas* (2).

(1) Fieri id debet, ut inquit Synodus Tridentina sess. 25 cap. 1 de Reform., æqua ex causa, sine ullo gregis detrimento, et extra festos dies Adventus, Quadragesimæ, Natiuitatis, Resurrectionis, Pentecostes, et Corporis Christi.

(2) Conc. Trident. dic. sess. 25 cap. 1 de Reform. Pertinet etiam ad Episcoporum residentiam Constitutio Sanctæ Synodus 471. Urbani VIII to. 6 par. 2 pag. 15 cit. Bullar., qua sancitum est, ut Episcopi recens in Urbe creati infra mensem ab ea discedere, atque ad proprias diœceses migrare debeant; quod tamen tempus decreto Synodi Romanæ sub Benedicto XIII. Cardinalis Vicarius ad alios quadraginta dies prorogare potest; atque uti Episcopi ad Apostolorum limina accedentes quatuor menses abesse possint à diœcesi sua, cum citra montes, vel mare sunt, cum vero sunt ultra, menses septem. Ne qua vero frans fieret his de residentia legibus, Benedictus XIV in Constit. ad universæ 18 tom. 2 ejus Bullar. pag. 78 ad Romæ 1754. sancivit, ut qui uno anno usus non est beneficio trium mensium, quos Synodus Tridentina concedit, is altero anno diutius quam tres menses octilix anni superioris conjungi nequeant cum tribus primis mensibus anni consequentis, adeout sex perpetui menses efficiantur. In qua quidem Benedicti Constitutione multa præclara, et animadversione digna habentur de residentia Episcoporum.

12 Præstat Episcoporum potestas divina institutione Presby-

teris (1), atque dividitur in ea, quæ sunt ordinis, in ea, quæ sunt jurisdictionis, et in ea, quæ sunt legis diœcesanæ. Ordinis potestatem consecratione acquirit Episcopus (2), semel acceptam nunquam amittit, eamque alteri delegari non potest, ut recte delegat potestatem jurisdictionis (3). Ab ea manat Regum, Sacrarum Virginum (4), altarium, ecclesiæ consecratio, ejusque post pollutionem expiatio, (5), Abbatum benedictio, collatio ordinum, et Sacramenti Confirmationis (6), confectio chris-matis, et olei infirmorum (7).

(1) Catholicam hanc veritatem contra hæreticos Presbyterianos vindicat Concilium Tridentinum sess. 25 can. 7, et jampridem S. Epiphanius lib. 5 hæres. 77 tom. 1 pag. 904 ed. Petavii Paris 1622 graviter perstrinxerat errorem Aerii, qui Episcoporum, et Presbyterorum potestatem parem esse arbitrabatur. Vide Cl. Mamachium Orig., et antiquit. Christian. lib. 4 cap. 4 §. 2 pag. 511, et seq. tom. 4, ubi divinam Episcoporum institutionem, eorumque supra Presbyteros potestatem latissime ostendit.

(2) Cap. 15 de elect.

(3) Cap. 9 de consecrat. Eccles.

(4) Can. 24 dist. 25 can. 1 §. ad Episcopum dist. 25.

(5) Cap. 9 de consecrat. Eccles., cap. unic. eod in 6.

(6) Concil. Trident. sess. 25 cap. 4 de Sacram. Ord.

(N. S. Ordinationes per Presbyteros factæ semper ab Ecclesia, tanquam irritæ habitæ sunt. Unde in Syn. Alex. Ischiras, alique à Colutho ordinati ad priorem reversi sunt conditionem, quippe qui ordinati à Colutho Presbytero, qui falso Episcopi nomine gloriabatur: Athan. Apol. pag. 752. Idem omnino de Presbyteris quibusdam in Synodo Sardicensi constitutum est, quippe qui ab Entiquiano, et Musæo, qui Presbyteri tantum erant, Sacerdotio initiati erant. Et Synodi Hispalensis II Patres, can. 5, Presbyterum, binosque Diaconos ab officio deponunt, immo ipsorum ordinationem ignominie eulogium appellat, eo quod Episcopus super eos manus imposuerat, Presbytero quodam precatationes pronuntiante.)

(7) Can. perlectis dist. 25. Dicam alio loco, quemadmodum interdum Sedes Apostolica quædam eorum, quæ Episcopi propria esse monui, etiam Sacerdoti permittat.

13. Ad potestatem jurisdictionis, quam Episcopus adipiscitur post electionis confirmationem (1), refertur imperium, quod ipse habet in clericis, atque laicos diœcesis suæ, in illos in universum, in hos vero quantum attinet ad res sacras, atque divinas. Quod imperium Episcopi internum respicit, et externum forum. Pertinent ad internum forum potestas ligandi, et solvendi in sacramento Pœnitentiæ, tollendi irregularitates, et suspensiones, quæ ex occulto crimine procedunt, excepto homicidio voluntario (2), servandi sibi jus dandæ veniæ in quibusdam criminibus. (3).

- (1) *Cap. 15 de elect.*
- (2) *Concil. Trident. sess. 24 cap. 6 de reform.*
- (3) *Concil. Trident. sess. 14 can. 11* Argumentum hoc, quod pertinet ad reservationes, quæ in quibusdam casibus tum à Summo Pontifice, tum ab Episcopis suo jure fiunt, solide, accurateque persequitur Cl. Christianopolus in anonymo libro nuper Romæ edito, cui titulus *Della nullità delle assoluzioni ne' casi riservati, all' Auctore della lettera stampata in Milana per la validità delle medesime assoluzioni.*

14. Spectat ad externum forum potestas legislativa, judicialis, et criminalis. Itaque Episcopus leges condit pro bono regimine suæ dioceseos, vocat ad Synodum diocesanos, beneficia confert, nisi quæ Apostolicæ Sedi sint reservata, nova instituit, et interdum antiqua in unum conjungit (1), Ecclesias visitat, animadvertit in crimina clericorum, eosque gradu movet, tribunal habet, in quo judicat causas ecclesiasticas, et mixtas (2), atque etiam civiles, in quibus clericus rei partes sustinet (3), pœnas indicit adversus eos, qui sunt pœna digni, publicos pœnitentes arcet ab Ecclesia, eosque restituit (4).

- (1) *Concil. Trident. sess. 21 cap. 5 de reform.*
- (2) *Cap. 8 et 11 de for. compet.*
- (3) *Can. 15 et 14 c. 11 q. 1.*
- (4) *Vide Pontificale Romanum part. 4 tit. 2 §. 6 pag. 21 ed Catalani.*

15. Ad legem diocesanam pertinet jus exigendi synodaticum, sive cathedraticum, hoc est tributum in honorem cathedræ Episcopalis præstandum, item jus exigendi procurationem, quartam funeralium, quartam decimationum, et cetera, de quibus suis locis disputabimus.

16. Episcopi jurisdictionio fertur in totam diocesium; sed quidam tamen beneficio Sedis Apostolicæ ab ea sunt exempti, quo privilegio potissimum fruuntur Regulares. Verum etiam in loca, et personas exemptas suam interdum Episcopus jurisdictionem exercet tamquam Apostolicæ Sedis delegatus. Nam ejus jurisdictioni subsunt exempti in iis, quæ contra hæreticos sunt instituta (1); ipse confert apostolica auctoritate beneficia, quæ à Prælatibus Regularibus idoneo tempore collata non sunt (2); animadvertit in Parochos exemptos, qui debitis diebus divinum verbum populo nunciare neglexerint, atque in omnes, qui hæreses prædicaverint (3); itemque in Regulares, qui ab se non impetrata facultate confessiones sæcularium, aut ab se non approbati Monialium confessiones excipiunt (4); quique prædicant in Ecclesiis suorum Ordinum, vel non petita ab se benedictione, vel se contradicente, vel sine sua

venia in alienis ecclesiis (5); et qui graviter delinquant in administratione cujuslibet Sacramenti (6).

- (1) *Cap. 9 de hæret.*
- (2) *Clem. unic. de supplen. neglig. Prælat.*
- (3) *Concil. Tridentin. sess. 5 cap. 2 de reform.*
- (4) *Vide Benedictum XIV de Synod. dioces. cap. 15 num. 9.*
- (5) *Gregorius, XV Constit. Inscrutabili 50 §. 6 pag. 2 tom. 5 part. 5 Bullar. ed. cit.*
- (6) *Gregorius XV cit. Const. Inscrutabili §. 4.*

17. Similiter visitat, et cum deliquerint, punit, et corrigit Regulares extra claustra degentes (1); qui vero intra claustra degunt, Regulares, ac palam extra claustra delinquant cum ceterorum scandalo, et offensione, rogatu Episcopi, atque intra tempus ab eo definitum à Præposito suo meritis plectendi sunt pœnis, atque eorum, quæ gesta sunt, certior est faciendus Episcopus, cui secus integrum erit in criminosos animadvertere (2). Rursus in censuris, et interdictis Episcopi jussu evulgandis, atque servandis, diebus festis, eorumque ritibus custodiendis, et in ceteris ejusdem generis Regulares omnes, quamquam exempti, Episcopo obnoxii sunt (3).

- (1) *Conc. Trident. sess. 6 cap. 5 de reform. Benedictus XIV Constit. Pontificia 7 pag. 55 tom. 2 ejus Bullarii ed. cit.*
- (2) *Vide Constitutionem Suscepti muneris 118. Clementis VIII tom. 5 part. 2 pag. 95 Bullarii, ubi etiam arcentur fraudes, quæ fieri possunt adversus Episcopum loci, in quo Regularis deliquit, cum cum Præpositus mittit in monasterium extra diocesim, ne ipsum punire cogatur.*
- (3) *Conc. Trident. sess. 25 cap. 12 de Regular.*

18. Sed et alia sunt capita delegatæ jurisdictionis, quam Episcopus in exemptos habet. Nimirum inquit in obreptionem, et subreptionem gratiæ, per quam aliquis liberatus est à pœna, quæ ab se inflictæ fuerat (1), et visitat capitula exempta, nullo etiam ex canonicis ad consilium adscito, quos sibi adjungere extra visitationem in causis exemptorum capitulorum debet (2). Denique omnes ecclesiæ sæculares, quæ in diocesi sunt, etiam exemptæ, monasteria quoque commendata, Abbatia, Prioratus, Præposituræ (3), hospitalia, collegia, et sodalitia etiam laicorum ab Episcopo tamquam Apostolicæ Sedis delegato visitantur, exceptis illis, quæ sub immediata Regum protectione sunt (4).

- (1) *Concil. Trident. sess. 15 cap. 5 de reform.*

(2) Conc. Trident. *sess. 6 cap. 4 et sess. 25 cap. 6 de reform.* Vide Benedictum XIV *De Synod. diocæs. lib. 15 cap. 9 num. 5.*

(5) Conc. Trident. *sess. 7 cap. 8, et sess. 21 cap. 8 de reform.*, ubi etiam observandum discrimen inter monasteria, in quibus viget, aut non viget regularis observantia.

(4) Conc. Trident. *sess. 22 cap. 8 de reform.*
Novissimam de exemptionibus, tum *activis* tum *passivis*, Hisp. Eccl. disciplinam, ex Concordat. an. 1851, hujus lib. tit. 5. sect. 6. exponemus.

(*) In Hispania Ecclesiæ vel pia loca immediatæ Regiæ Protectioni subiecta, à Sup. Cameræ Tribun. Delegatis visitabantur. *Adnot. 10 ad tit. 6, lib. 4, Novæ Compilat.* Hodie hospitalia cæteraque loca benefic. objectis destinata, provinciarum gubernatorum inspectioni commissa sunt.

Duo alia, pro istius sectionis coronide, animadvertere visum est. Primum: quod ad Episcoporum auctoritatem spectat, habendos præ oculis esse artic. 2, 3, et 4. Concordati 1851, qui hujusce voluminis pagg. 5 et 6 inserti reperiuntur. Alterum: de Hisp. diocæsibus, ejusd. Conventionis art. 7 stabiliri quæ sequuntur:

• Attentis gravibus causis, quæ id pro spirituali bono et majori fidelium commodo necessarium, et conveniens esse suadent, nova fiet in universa Peninsula, et insulis adjacentibus Diocæsium divisio ac circumscriptio.

• Atque ideo
• Metropolitanæ quæ nunc sunt, Sedes Burgensis, Cæsaraugustana, Compostellana, Granatensis, Hispalensis, Tarraconensis, Toletana et Valentina conservabuntur, et ad hunc ipsum gradum Cathedralis Vallisoletana elevetur.

• Ita pariter conservabuntur Episcopales Ecclesiæ Abulensis, Almeriensis, Asturicensis, Auriensis, Barcinonensis, Calaguritana, Canariensis, Carthaginensis, Cauriensis, Conchensis, Cordubensis, Berthusensis, Gaditana, Gerundensis, Gienensis, Guadicensis, Jacensis, Illerdensis, Legionensis, Lucensis, Majoricensis, Malacitana, Mindoniensis, Minoricensis, Oriolensis, Oscensis, Ovetensis, Oxomiensis, Pacensis, Palentina, Pampilonensis, Placentina, Salmaticensis, Santanderiensis, Segobricensis, Segoviensis, Seguntina, Terulensis, Tirasonensis, Tudensis, Urgellensis, Vicensis, et Zamorensis.

• Diocæsis Albaracensis unietur Terulensi, Barbastrensibus Oscensi, Civitatensis Salmaticensi, Celsonensis Vicensi, Ibusensis Majoricensi, Nivariensis (Tenerite) Canariensi, Septensis Gaditanæ, et Tudelensis Pampilonensi.

• Earum Episcopi Diocæsium, quibus altera adjungetur, hujus etiam titulum gerent, una cum proprio Ecclesiæ, quam regunt.

• Novæ erigentur Ecclesiæ Cathedrales Clunivæ (Ciudad-Real), Matriti, et Victoriæ.

• Episcopalis Sedes Calaguritana, et Calceatensis transferetur Læconium, Oriolensis Aloniam, et Segobricensis Castilionem, ubi primum in his civitatibus omnia ad rem parata sint, et Episcopis, ac Capitulis, quorum interest, consultis, opportunum existimetur.*

SECTIO II.

DE PRESBYTERIS, DIAGONIS, SUBDIAGONIS, ET RELIQUIS ORDINIBUS.

19. SACERDOTIS OFFICIUM, ET POTESTAS.—20. UNDE SACERDOTIS, ET PRESBYTERI NOMEN DUCTUM SIT?—21 ET 22. POTESTAS ORDINIS, ET JURISDICTIONIS.—25. MINISTRI MAJORES, ET MINORES.—24 AB 26. DIACONI, EORUMQUE INSTITUTIO, ET OFFICIA.—27. SUBDIACONI.—28. MINORES MINISTRI, ET EORUM INSTITUTIO.—29. AGOLYTHI.—30. EXORCISTÆ.—31. LECTORES.—32. OSTIARIJ.—33. CLERICI, QUI SOLAM HABENT TONSURAM.—34 ET 35. DISCRIMEN INTER MAJORES, ET MINORES ORDINES.—36. CLERICI MINORES, ETIAM CONJUGATI, QUANDO GAUDEANT FORI PRIVILEGIO?

49.

Ab Episcopis ad Sacerdotes pergimus, universum deinde ministrorum ordinem explicaturi. Nobilissimum est officium, et nobilissima potestas Sacerdotum novæ legis, qui Deo non vitulos, aut hircos immolant, sed lege à Christo lata ipsum Dominicum corpus, et sanguinem consecrant, atque offerunt in Missæ sacrificio.

20. Sacerdotes à sacris faciendis appellati sunt. Vocantur etiam *Presbyteri* (1), latine Seniores magis tamen sapientiæ, quam ætatis gratia (2). Omnis eorum potestas vel ex ordine, vel ex jurisdictione procedit.

(1) Quod summo haberetur in pretio, esseque maxime venerandum, similiter Aristoteles vocat, et frequens illud Homeri, pro veneranda Dea.

(2) Eodem Presbyteri, et Sacerdotis nomine vocabantur etiam Episcopi. Cyprianus *ep. 85, pag. 47 ed. Rigalt. Paris 1666.*, Chrysostomus *in ep. ad Philipp. cap. 1 Homil. 1 pag. 195 tom. 11 ed. Paris. 1724.* Vide Coteletrium *in Ignat. epist. ad Magnes. num. 10 tom. 2 PP. Apost. pag. 17 ed. Amstelædami 1724,* et Fabrorum *in paratill. Cujac. lib. 1 tit. 3 col. 24 tom. 2 par. 1 ed. Mutin., seu Venet. an. 1758.* Sed, ut plurimum, ne quis esset erroris locus, Episcopi, aut *Summi Sacerdotes*, aut *Sacerdotes primi ordinis*; Presbyteri autem *secundi ordinis Sacerdotes*, aut *Sacerdotes secundi ordinis* appellati sunt. Tertulianus *de Baptism. num. 77 pag. 263 l. 1 ed. cit.*, Ambrosius, sive potius Hilarius *in ep. ad Ephes. cap. 4 col. 286 tom. 4 oper. ejusd. Ambrosii ed. Maurin. Venet. 1751.*, Leo M. *serm. 48. de Quadrages. tom. 1 col. 481 ed. Ballerin. Venet. 1755.* Vide Calmet *in ep. Pauli ad Philip. num. 1 pag. 416 tom. 3 ed. Lucæ 1758,* et Jacobum Gothofredum *in paratill. Cod. Theodos. de Episc. et Cleric. tom. 6 par. 1 pag. 17. ed. Lipsiæ an. 1745.*

(N. S. Dictinius, ad Toletanam Synodum accusatus, ad universum Episcoporum Conventum adloquens ait: *Audite me, optimi Sacerdotes.* Denum

(2) Conc. Trident. *sess. 6 cap. 4 et sess. 25 cap. 6 de reform.* Vide Benedictum XIV *De Synod. diocæs. lib. 15 cap. 9 num. 5.*

(5) Conc. Trident. *sess. 7 cap. 8, et sess. 21 cap. 8 de reform.*, ubi etiam observandum discrimen inter monasteria, in quibus viget, aut non viget regularis observantia.

(4) Conc. Trident. *sess. 22 cap. 8 de reform.*

Novissimam de exemptionibus, tum *activis* tum *passivis*, Hisp. Eccl. disciplinam, ex Concordat. an. 1851, hujus lib. tit. 5. sect. 6. exponemus.

(*) In Hispania Ecclesiæ vel pia loca immediatæ Regiæ Protectioni subiecta, à Sup. Cameræ Tribun. Delegatis visitabantur. *Adnot. 10 ad tit. 6, lib. 4, Novæ Compilat.* Hodie hospitalia cæteraque loca benefic. objectis destinata, provinciarum gubernatorum inspectioni commissa sunt.

Duo alia, pro istius sectionis coronide, animadvertere visum est. Primum: quod ad Episcoporum auctoritatem spectat, habendos præ oculis esse artic. 2, 3, et 4. Concordati 1851, qui hujusce voluminis pagg. 5 et 6 inserti reperiuntur. Alterum: de Hisp. diocæsibus, ejusd. Conventionis art. 7 stabiliri quæ sequuntur:

• Attentis gravibus causis, quæ id pro spirituali bono et majori fidelium commodo necessarium, et conveniens esse suadent, nova fiet in universa Peninsula, et insulis adjacentibus Diocæsium divisio ac circumscriptio.

• Atque ideo
• Metropolitanæ quæ nunc sunt, Sedes Burgensis, Cæsaraugustana, Compostellana, Granatensis, Hispalensis, Tarraconensis, Toletana et Valentina conservabuntur, et ad hunc ipsum gradum Cathedralis Vallisoletana evahetur.

• Ita pariter conservabuntur Episcopales Ecclesiæ Abulensis, Almeriensis, Asturicensis, Auriensis, Barcinonensis, Calaguritana, Canariensis, Carthaginensis, Cauriensis, Conchensis, Cordubensis, Berthusensis, Gaditana, Gerundensis, Gienensis, Guadicensis, Jacensis, Illerdensis, Legionensis, Lucensis, Majoricensis, Malacitana, Mindoniensis, Minoricensis, Oriolensis, Oscensis, Ovetensis, Oxomiensis, Pacensis, Palentina, Pampilonensis, Placentina, Salmaticensis, Santanderiensis, Segobricensis, Segoviensis, Seguntina, Terulensis, Tirasonensis, Tudensis, Urgellensis, Vicensis, et Zamorensis.

• Diocæsis Albaracinesis unietur Terulensi, Barbastrensis Oscensi, Civitatis Salmaticensi, Celsonensis Vicensi, Ibusensis Majoricensi, Nivariensis (Tenerite) Canariensi, Septensis Gaditanæ, et Tudelensis Pampilonensi.

• Earum Episcopi Diocæsium, quibus altera adjungetur, hujus etiam titulum gerent, una cum proprio Ecclesiæ, quam regunt.

• Novæ erigentur Ecclesiæ Cathedrales Clunivæ (Ciudad-Real), Matriti, et Victoriæ.

• Episcopalis Sedes Calaguritana, et Calceatensis transferetur Læconium, Oriolensis Aloniam, et Segobricensis Castilionem, ubi primum in his civitatibus omnia ad rem parata sint, et Episcopis, ac Capitulis, quorum interest, consultis, opportunum existimetur.

SECTIO II.

DE PRESBYTERIS, DIAGONIS, SUBDIAGONIS, ET RELIQUIS ORDINIBUS.

19. SACERDOTIS OFFICIUM, ET POTESTAS.—20. UNDE SACERDOTIS, ET PRESBYTERI NOMEN DUCTUM SIT?—21 ET 22. POTESTAS ORDINIS, ET JURISDICTIONIS.—23. MINISTRI MAJORES, ET MINORES.—24 AB 26. DIACONI, EORUMQUE INSTITUTIO, ET OFFICIA.—27. SUBDIACONI.—28. MINORES MINISTRI, ET EORUM INSTITUTIO.—29. AGOLYTHI.—30. EXORCISTÆ.—31. LECTORES.—32. OSTIARIJ.—33. CLERICI, QUI SOLAM HABENT TONSURAM.—34 ET 35. DISCRIMEN INTER MAJORES, ET MINORES ORDINES.—36. CLERICI MINORES, ETIAM CONJUGATI, QUANDO GAUDEANT FORI PRIVILEGIO?

49.

Ab Episcopis ad Sacerdotes pergimus, universum deinde ministrorum ordinem explicaturi. Nobilissimum est officium, et nobilissima potestas Sacerdotum novæ legis, qui Deo non vitulos, aut hircos immolant, sed lege à Christo lata ipsum Dominicum corpus, et sanguinem consecrant, atque offerunt in Missæ sacrificio.

20. Sacerdotes à sacris faciendis appellati sunt. Vocantur etiam *Presbyteri* (1), latine Seniores magis tamen sapientiæ, quam ætatis gratia (2). Omnis eorum potestas vel ex ordine, vel ex jurisdictione procedit.

(1) Quod summo haberetur in pretio, esseque maxime venerandum, similiter Aristoteles vocat, et frequens illud Homeri, pro veneranda Dea.

(2) Eodem Presbyteri, et Sacerdotis nomine vocabantur etiam Episcopi. Cyprianus *ep. 85, pag. 47 ed. Rigalt. Paris 1666.*, Chrysostomus *in ep. ad Philipp. cap. 1 Homil. 1 pag. 195 tom. 11 ed. Paris. 1724.* Vide Coteletrium *in Ignat. epist. ad Magnes. num. 10 tom. 2 PP. Apost. pag. 17 ed. Amstelædami 1724,* et Fabrorum *in paratit. Cujac. lib. 1 tit. 3 col. 24 tom. 2 par. 1 ed. Mutin., seu Venet. an. 1758* Sed, ut plurimum, ne quis esset erroris locus, Episcopi, aut *Summi Sacerdotes*, aut *Sacerdotes primi ordinis*; Presbyteri autem *secundi ordinis Sacerdotes*, aut *Sacerdotes secundi ordinis* appellati sunt. Tertulianus *de Baptism. num. 77 pag. 263 l. 1 ed. cit.*, Ambrosius, sive potius Hilarius *in ep. ad Ephes. cap. 4 col. 286 tom. 4 oper. ejusd. Ambrosii ed. Maurin. Venet. 1751.*, Leo M. *serm. 48. de Quadrages. tom. 1 col. 481 ed. Ballerin. Venet. 1755.* Vide Calmet *in ep. Pauli ad Philip. num. 1 pag. 416 tom. 3 ed. Lucæ 1758,* et Jacobum Gothofredum *in paratit. Cod. Theodos. de Episc. et Cleric. tom. 6 par. 1 pag. 17. ed. Lipsiæ an. 1745.*

(N. S. Dictinius, ad Toletanam Synodum accusatus, ad universum Episcoporum Conventum adloquens ait: *Audite me, optimi Sacerdotes.* Denum

in nostris Conciliis *Sacerdotes* passim vocantur *Episcopi*; ut in Tolet. IV *Can.* 19.

Præcipue notandus *Can.* 20 Syn. Tolet. I: *Sine conscientia Episcopi* (*Presbyteri*) *nihil agere præsumant*. Consonat Hispal. II *Can.* 7.

Maxima Presbyterorum prærogativa in eo erat, quod ipsis cum Episcopo sedere licebat (Syn. Carthag. IV *Can.* 34.); quod privilegium Diaconis commune haud erat. Immo, quod magis mirum est, Presbyterorum sedes, non secus ac Episcoporum, *Throni* adpellabantur. Id tamen discriminis inter Presbyterorum, et Episcoporum *Thronos* intercedebat, quod istis compete-
bat *Thronus primus*, sive celsus, illis vero *Throni secundi*, vel inferiores. Ad rem Syn. mox laud. *Canone* 55: *Episcopus in Ecclesia, et consessu Presbyterorum sublimior sedeat; intra, domum autem, collegam se Presbyterorum esse cognoscat.*

At in Hispania Presbyteros quoque hoc cum Episcopis sedendi privilegio decoratos esse, ex Conc. Illiberit., quod sæculo IV ineunte celebratum est, aperte constat; in quo haud minus triginta sex Presbyteri sederunt. Similia habemus exempla in Tolet. I, et Braacar. II, ubi observare etiam licet discrimen Presbyteros inter et Diaconos statutum, quod nimirum hi tantummodo ut stantes, illisque ministrantes represententur. Quin et in Tolet. IV *Can.* 4 decernitur, ut in Conciliis *tam Episcopi, quam Presbyteri sedeant*.)

21. Ex ordine trahitur infirmorum unctio, consecratio divini corporis, et sanguinis, divini verbi prædicationis, potestas baptizandi, et ligandi, atque solvendi in Sacramento Pœnitentiæ. Trahitur ex jurisdictione actus ipse, et jus exercendi hanc potestatem, quod ab Episcopo accipitur, et Episcopi arbitrio confertur, aufertur, laxatur, contrahitur, excepto mortis articulo, quo Presbyteris liberam Ecclesia in morientem attribuit dimittendi peccata potestatem (1). Recte hinc eorum munera describit Pontificale Romanum (2), cum inquit, *Sacerdotem oportet offerre, benedicere, præses, prædicare, et baptizare.*

(1) Concil. Trid. *sess.* 25. *cap.* 15 *de reform.*

(2) *Part.* 1 *tit.* 12 §. 5 *pag.* 126 *ed. Catalani Romæ an.* 1753.

22. Sed non hæc omnia à quolibet Sacerdote fieri possunt. Quamvis enim Sacerdoti in ordinatione assignetur titulus, sive Ecclesia, cui inserviat, non omnibus tamen assignatur populus, quem regant, et cui in rebus spiritualibus præses debeant. Tituli assignatio facit, ut in eo Missæ sacrificium offerant, panemque Eucharisticum populo distribuunt, et quasdam benedictiones impertiant (1). Verum quod attinet ad reliqua munera, quæ in Pontificali memorantur, aptum quidem ad ea facit Presbyterum, et idoneum ordinator; sed cum respectum habeant ad populum, sintque indicia spiritualis in eum jurisdictionis, et potestatis, hinc omnis Presbyter, qui sibi populum subjectum non

habet, facultate eorum jarium exercendorum, quam in ordinatione accepit, partim contra canones illicite utitur, partim frustra omnino, et inutiliter.

(1) Duplex distinguitur benedictio, altera, quæ major, et sollemnis dicitur, quæque Episcopi propria est: altera minus sollemnis, quam etiam Presbyteri emitte-
re jus est *can.* 69. *c.* 1 *q.* 1 *c.* 5 *ibiq.* *Glos. de privil.* in 6. Sunt et aliæ benedictiones, ut aquæ, novorum fructuum, et similes: sed in his servandi sunt ritus, et consuetudines Ecclesiarum, ex quibus quædam benedictiones Episcopis, quædam Parochis, quædam aliis ab Episcopo delegatis Presbyteris reservantur.

23. Ministrorum duplex est genus: alii majores, et sacri, alii minores, et non sacri appellantur. Sacri sunt Diaconus, et Subdiaconus; qui sacri dicuntur, quod inter Missarum sollemnia ordinibus initiantur, et suo funguntur munere supra gradus altaris.

24. Diaconi ab Apostolis instituti sunt numero septem (1), quem numerum diu Romana Ecclesia retinuit (2). Electi autem sunt non tantum ut mensis, sed etiam ut altari ministrarent (3). Explicat eorum munera Pontificale Romanum (4) his verbis. *Diaconum oportet ministrare ad altare, baptizare, prædicare.*

(1) Act. 6. Id tamen ab Apostolis Christi mandato factum est. Vid. Theologos, et Salam in *not. ad Bonam l.* 1 *c.* 25 *t.* 2 *p.* 550.

(2) Confer Auctorem *Comm. in 1 ad Timoth. inter oper. S. Ambrosii col.* 551 *tom.* 4 *ed. Maurin. Venet.* 1751, quem quidam Ambrosium fuisse putant, vere tamen est Hilarius Sardus, Ecclesiæ Romanæ Diaconus, qui IV. sæculo vitæ usura fruebatur. Petavius *de Eccl. Hierarc.* l. 1 *c.* 12 *n.* 7 opus illud Hilarii esse negat, sed eum refellit N. Alexander *sæc.* 4 *c.* 6 *art.* 14 *p.* 296 *t.* 4.

(3) S. Septenarium Diaconorum numerum diu retinuit Ecclesia Romana, Apostolorum exemplum sequuta: Sozomenus *Lib.* 7 *cap.* 19. Ex hac porro eorum paucitate, et præsertim, quum ipsis temporalia Ecclesiæ bona concederentur, factum est, ut tantum sibi honoris comparaverint, ut sese Presbyteris præferre ausi fuerint: quorum merito audaciam reprimere studit S. Hieronymus, *Ep. ad Evagrium*: et Syn. Toletan IV, *Can.* 29, alias 28. Quin et Syn. Barenon. an. 540, *Can.* 4, ipsos in consessu Presbyterorum sedere non pern.issit. Eundem ubique numerum retinendum constituerat Syn. Neocæsar. *Can.* 15; quod tamen pleræque non observarunt Ecclesiæ.)

(4) Cyrianus in *can.* 25 *dist.* 95. *Diaconos*, inquit, *Apostoli sibi constituerunt, Episcopatus, et Ecclesiæ ministros.* Quod idem habet Ambrosius *de offic. lib.* 1 *c.* 50 *n.* 255, et seq. *col.* 76 et seq. *tom.* 5 *edit. Maurin. Venet.* 1751. Revera Diaconos electos legimus *viros plenos Spiritu S.*, eosque impositis manibus consecratos, quod clare ostendit, eos non tantum mensis, sed etiam altaris ministerio fuisse præpositos. Fuscæ ea de re disputat Jaenin *de Sacram. dissert.* 9 *de ord. in spec. q.* 1 *cap.* 1, ac doctissimi

me, et copiosissime de officio, et institutione Diaconorum agit Cl. Mamechius in *dissert. de septem Diaconis*, quæ edita Romæ est anno 1749, atque defensa à Fr. Clemente Chodykiewicz, Ord. Prædic.

(4) *Part. 1 tit. 11 §. 4 pag. 110 ed. Catalani.*

25. Debent igitur Diaconi Episcopo, et Sacerdoti sacra facientibus ad aram stantes inservire (1); olim etiam Eucharistiam populo tribuebant, sed hodie tribuere non possunt præsentente Presbytero, et nisi id necessitas flagitet (2). Eorum etiam est baptizare; sed eo jure uti nequeunt, cum adest Sacerdos, et cum procul est causa necessitatis (3). Denique munus etiam prædicandi proprium est Diaconorum; atque id non solum respicit Evangelium, quod legunt in Missis solemnibus, sed veram etiam divini verbi prædicationem, quæ ad institutionem spectat populorum (4). Verum munus hoc prædicationis, ut Presbyteri, ita etiam Diaconi, sine Episcopi venia, et auctoritate exercere non possunt.

(1) Diaconus, inquit Concil. Carthaginense IV. *can. 57 apud Labbæum tom. 2 col. 1440 ed. Venet., ita se Presbyteri, ut Episcopi ministrum noverit.* Alicubi Diaconi per summam audaciam sacrificium obtulerunt; sed eam compressit Concil. Arelatense I. *can. 5 apud eundem Labbæum tom. 1 col. 1452.* Nam ipsi ad ministerium, non ad Sacerdotium consecrantur, ut recte inquit Concil. Carthaginense IV. *can. 4 apud dictum Labbæum tom. 2 col. 1457.* At enim Diaconos Dominicum etiam sanguinem in Latina Ecclesia consecrasset, videtur tradere S. Ambrosius *De offic. lib. 3 c. 41 n. 214 col. 64 tom. 3 ed. Maur. Ven. 1751;* nam apud eum Laurentius Diaconus ita Sixtum Episcopum suum, ad martyrium properantem, alloquitur: *Quo Sacerdos sancte, sine Diacono properas tuos? Namquam sacrificium sine ministro offerre consueveras. Quid in me ergo displicuit, Pater?... Cui commisisti Domini sanguinis consecrationem, cui consummandorum consortium sacramentorum, huic sanguis tui consortium negas?* Verum hoc loco sanguinis consecratio est sanguinis consecratus, ut à Jurisconsultis thesaurus dicitur *pecuniæ depositio*, hoc est *pecunia deposita*, et Ambrosius Laurentio committit sanguinem consecratum, ut eum distribuatur, quod Diaconi officium erat, non ut ipsam sanguinis consecrationem faciat, quod proprium tantum est Episcopi, et Sacerdotis. Vide Card. Bona *Rer. Liturg. lib. 1 cap. 5 §. 4 pag. 504 tom. 2 ed. Taurin. an. 1749, et Sala in notis pag. 506 et eruditos Monachos Congregationis S. Mauri in ipsum Ambrosii locum cit. col. 64.*

(2) Cit. Concil. Carthaginense IV. *can. 58 tom. 2 col. 1440,* et Concil. Arelatense II. *can. 15 tom. 5 col. 4.* Diaconos ipsis Presbyteris dare ausus Eucharistiam, coerevit Nicæna Synodus *can. 18 tom. 2 col. 42 collect. Labbæi ed. Venet.*

(3) S. Cyrillus Hierosolymitanus *cathech. 17 n. 55 pag. 281 ed. Maur. Paris. 1720.* Extat ea de re in *act. Apost. 8. 58* exemplum Philippi Diaconi; sed tamen cum id Diaconus præstabat, Episcopi accedebat auctoritas Tertullianus *de Baptim. n. 17 tom. 1 pag. 265 cit. ed. Rigaltii,* Gelasius P. in *Decret. c. 7 apud Pithæum Codex Canon. veter. Eccl. Roman.*

pag. 265. Paris. 1687. S. Hieronymus dial. contr. Lucifer. cap. 9 col. 182 tom. 2 edit. Vallarsii Veronæ, Conc. Eliberitanum *can. 77 col. 1001 tom. 1 collect. Labbæi ed. Venet.* Atque ita intelligendus Auctor *Constitutionum Apostolicarum lib. 8. cap. 28* apud Cotelerium *PP. Apost. tom. 1 pag. 416,* cum Diaconum baptizare negat. Consule Martenium *de antiq. Eccl. ritib. tom. 1 pag. 14 et seq. ed. Rotomag. an. 1700.*

(N. S. Diaconos ad rurales regendas Ecclesias, in quibus verbum Dei prædicarent, et baptizarent catechumenos, deputatos videmus et in Syn. Illiberit. *Can. 77, et Tolet. IV Can. 27, alias 26.*

(4) *Can. 1 dist. 25.* Quod Stephanum, et Philippum Diaconos, qui Apostolis suppres fuerunt, fecisse constat ex *actis Apostol. 6. 10, 8. 5,* tum etiam Origenem, Chrysostomum, atque alios, cum adhuc Diaconi essent, prædicationis munus obisse memoria proditum est Quod similiter Philostorgius, *Histor. Eccles. lib. 5 cap. 17 pag. 499, et lib. 4 cap. 5 pag. 504 ed. Valesii Cantabrigiæ 1720,* scriptum reliquit de Leontio Antiocheno Episcopo, deque ejus successore Eudoxio, quorum alter Actium, alter Eudonnum designavit ad ordinem Diaconatus, et utriusque dedit divinum in Ecclesia verbum nunciandi facultatem. Cujus quoque rei fortasse exempla præbere possunt sermones S. Ephrem, Diaconi Syri, quos magnis effert laudibus S. Hieronymus *de Scriptor. Eccles. cap. 115 col. 929 tom. 2 cit. ed. Vallarsii.* Recte igitur Stephanus Baluzius in *not. ad ep. 8 S. Salviani pag. 416 ed. Pedeponti an. 1745,* illud ejusdem Salviani de juvenibus, qui *magistri Ecclesiarum esse ceperunt,* ad Diaconos arbitratur pertinere, quoniam clerici ad Diaconatum vocati, primum ab Episcopo docendi facultatem accipiebant.

(N. S.—V. Sya. Tolet. IV. *can. 40, alias 59.*)

26. Omnia hæc sunt munera, quibus nunc Diaconi funguntur. Olim et curam gerebant viduarum, virginum, orphanorum, pauperum, martyrum in custodia detentorum, quibus potissimum providere debebant, ne quid deesset ad vitam necessariam (1); in vitam, moresque populi inquirebant, et crimina Episcopo nunciabant (2), oblationes accipiebant, nominaque offerentium (3), et sacra diptycha (4) in Ecclesia recitabant; communes preces indicebant (5); increpabant, et corripiebant eos, qui aliquid in Ecclesia agerent, quod minus decere videretur (6); finitis precibus, sacrisque peractis, ab Ecclesia discedere jubebant populum, qui ad eam venerat (7).

(1) Cyprianus *ep. 2 pag. 9 ed. Rigaltii Paris. 1666,* Dionisius Alexandrinus apud Eusebium *Hist. Eccl. lib. 7 cap. 22 pag. 348 ed. Valesii Cantabrigiæ 1720,* Auctor *Const. Apostol. lib. 5 cap. 19 ap. Cotelerium PP. Apost. tom. 1 pag. 295 ed. Amstelædami 1724.*

(2) Auctor *Const. Apostol. lib. 2 cap. 44 pag. 255 loco indicato.* Atque hanc ob causam Diaconi sæpe Episcopi *oculi, aures, os, dextera, et cor* appellantur, uti patet ex Auctore *Const. Apost. cit. cap. 44 pag. cit., Clemente ep. ad Jacob. n. 12* apud eundem Cotelerium *pag. 619 loc. cit. Isidoro Pelusiota lib. 1 ep. 29 pag. 9 ed. Rithersusii Paris 1658.*

(3) Hieronymus in *Ezech. c. 13 lib. 6 tom. 5 col. 209 ed. Vallarsii*. Acciebat autem Diaconus oblationes, quas tradebat Sacerdoti, à quo illæ super altari Deo offerebantur. Deinceps Diaconus offerentium nomina publice recitabat, quæ recitatio dicebantur *offerre nomina*, uti patet ex Cypriano *ep. 9 pag. 21 ed. Rigaltii Paris. an. 1666*; atque ut observant ipse Rigaltius in *not. ad ep. 60 Cyprian. pag. 97*, et Bona *Rer. Liturgic. lib. 2 cap. 3 § 7 tom. 5 pag. 191 ed. Augustæ Taurin. 1755*. Latius de oblationibus agam Libro 2.

(4) Diptycha erant libri, sive tabulæ sacræ, in quibus erant descripta nomina viventium, et mortuorum, qui ceteris aut generis nobilitate, aut virtute, aut dignitate præstarent. Hinc alia erant viventium, et alia mortuorum diptycha. Ductum est nomen à ptychis, sive plicis, et ideo tabulæ, quæ duas habebant plicas, *diplycha*, quæ tribus constabant, aut quinque tabulis, *triplycha*, et *pentaptycha* dicebantur, de quibus agit Turnebus *Adversar. lib. 9 cap. 25*. Diptycha ecclesiastica diversa erant à profanis; nam illa chartacei, aut membranacei codices erant, hæc autem tabulæ eburnæ, in quibus aureis characteribus novi Consulis nomen quoque anno scribebatur, eaque sunt diptycha, quæ consularia appellantur. Sacra diptycha Diaconus ex ambone, aut pulpito in ecclesia recitabat, uti patet ex Concilio Constantinopolitano an. 556 sub Menna habito *act. 5 tom. 5 col. 1154 collect. Labbei ed. Venet.* Cavebat autem diligenter Ecclesia, ne sacris diptychis inscripta nomina expungerentur errore, vel calumniis hominum, quoniam hæc pœna erat, quæ plecebatur, qui propter aliquod crimen ab ecclesiæ communione sejuncti fuerant, vel à fide defecerant; atque hinc spectant Cyprianus *ep. 68 ad Cler. Furnitan. pag. 109 ed. Rigaltii Paris. 1666*. Augustinus *ep. 77 n. 2 col. 182, et ep. 78 col. 181 tom. 2 ed. Maurin. Venet. 1729*. Evagrius *lib. 4 cap. 38 pag. 419 ed. Vales. Cantabrig. 1720*. Socrates *lib. 7 pag. 595 tom. 2 cit. ed. Valesii*, Cyrillus in *ep. Synod. ad Dom. in act. 14 Conc. Chalced. tom. 4 col. 1648*, Justinianus *ep. in collat. Conc. Constantinop. 555 tom. 6 col. 25 collect. Labbei*. Et notæ sunt disputationes de S. Jo. Chrysostomi nomine in diptycha referendo, cum multi id facere recusarent, quoniam ipse à Teophilo Alexandrino, tametsi iniqua sententia, exactoratus, et non absolutus ex hac vita migraverat. Interdum in homines vel viventes, vel mortuos excommunicatio injuste ferebatur, et tunc eorum nomina iterum scribebantur in sacris diptychis, unde pridem expuncta fuerant, ut ecclesiasticæ communioni restituerentur. Ita Alexandrum Antiochenum Episcopum Chrysostomi nomen scripsisse in tabulis ecclesiasticis, in quibus plures annos omissum fuerat, narrat Theodoretus *lib. 5 cap. 35 pag. 255 cit. edit. Vallesii Cantabrig.*; et ita Joannes Episcopus Constantinopolitanus in Synodo anni 518 diptychis restituit ea nomina, quæ deleta fuerant fraude Anastasii Imperatoris, qui Eutychanam hæresim sequebatur, uti patet ex *act. 5 Concilii Constantinopolitani sub Menna habito tom. 5 col. 1155 collect. Labbei ed. Ven.* De diptychis, præter Card. Bona *Rer. Liturg. lib. 2 cap. 12 § 1, et 2, et R. Sala in notis ad eundem pag. 260 et seq. tom. 5 ed. Augustæ Taurin. an. 1753*, late, atque erudite disputat Card. Norisius in *Dissert. Historic. de Synod. V. cap. 5*.

(5) Communes preces Diaconus indicabat, non tantum quod eas populum fundere jubebat, sed etiam quod ei præibat verborum formula, quam in his precibus adhibere oportebat. S. Augustinus *ep. 55 ad Januar. cap. 18 col. 142 tom. 2 ed. Maurin. Venet. 1729 Can. 25 dist. 95*.

(6) Auctor *Const. Apost. lib. 2 cap. 57* apud Cotelerium *PP. Apo tom. 4 pag. 265 et 266 ed. Amstelædami 1724*. S. Jo. Chrysostomus *hom. 24 in act. n. 4 pag. 198 tom. 9 ed. Montfauconii Paris.*

(7) Primum Judæos, ethnicos, catechumenos, pœnitentes, postea vero fideles Diaconus dimittebat. Nam omnibus hominibus, si protervos quosdam peccatores excipias, quique in imo erant pœnitentium gradu, ac *stentes* dicebantur, in Ecclesia adesse licebat, cum sacræ conciones habebantur, ac psalmodia, lectioque Scripturarum perficiebatur, uti patet ex Patrum homiliis, præsertim ex Chrysostomo *hom. 1 in Pelag. n. 4 pag. 590 t. 2, in Phocam num. 2 pag. 707 tom. 2, in Psalm. 44 num. 1 col. 160 tom. 5 edit. Montfauconii Paris.*, locisque aliis compluribus. Nam Ecclesiæ Patres catechumenos, pœnitentes, et omnes, qui *ex diverso* erant, uti loquitur Synodus Valentina *can. 1 apud Labbeum Concil. tom. 5 col. 759 edit. Venet.*, Evangelia, sacrasque conciones audire volebant, quoniam, ut ipsa inquit Synodus Valentina *loc. cit.*, sic Pontificum prædicatione audita, nonnullos ad fidem attractos evidenter scimus, quo etiam spectat Concilium Arausicanum *1 can. 18 apud eundem Labbeum tom. 4 col. 704 edit. ejusd.*, ubi sancitum est, ut *catechumenis evangelia legantur*. Illa vero publici cultus pars, quæ peragebatur præsentibus catechumenis, dicebatur *missa catechumenorum*, cujus mentio est in Concil. Carthagin. *IV can. 84 tom. 2 col. 1444 Valentino can. 1 loc. mox citato, Herdensi can. 4 col. 752 tom. 5*. Ea vero finita Diaconus dimittebat ethnicos, hæreticos, et qui in altero erant pœnitentium gradu, et *audientes* dicebantur; dimittebat inquam ea formula, quam habet Auctor *Apostol. Constit. lib. 8 cap. 5 pag. 596 loc. cit. Ne quis audientium, ne quis infidelium*. Tum fundebantur preces pro catechumenis, qui *substrati* vocabantur, pro energumenis, pro competentibus, qui scilicet brevi baptismum erant suscepturi, denique pro illis, qui in summo pœnitentium gradu versabantur. His peractis Diaconus exire jubebat omnes, qui mysteriis interesse non poterant, ac denique missa fidelium inchoabatur, in qua nonnisi communicantes præsentibus esse poterant. Ea vero absoluta, Diaconus universum conventum dimittebat ea formula: *in pace discedite*. S. Jo. Chrysostomus *Homil. 59 in eos qui pascha jejunt pag. 614 tom. 1 ed. Montfauconii Paris. 1718*, sed de his omnibus opportunior erit disserendi locus in 2. Libro, cum de Sacramentis disputabimus; ubi etiam videbimus, num hæc, quæ certe fuit Ecclesiæ Græcæ, fuerit etiam Ecclesiæ Latinæ disciplina.

27. Diaconis veluti subsidiarii accesserunt Subdiaconi, qui diu fuerunt minorum clericorum numero, sed postea in Latina Ecclesia majoribus adscripti sunt, quod factum videtur undecimo Ecclesiæ sæculo, Urbano II. Pontifice (1). Munus eorum est Diacono in altaris ministerio opem ferre, parare vinum, panem, sacra lintea, et cetera ad sacrificium necessaria, Episcopo, et Sacerdoti manus in Sacrificio abluentibus, aquam effundere, in Missa epistolam legere (2).

(1) Subdiaconatum inter sacros ordines ab Urbano II. fuisse relatum, evidenter, meo judicio, ostendit Innocentius III. in *cap. 9 de ætat. et qualit. et ordin. præf.* Porro dubitari non potest, quin Urbano II. Pontifice Subdiaconatus esset inter minores ordines; cum id constet ex ejus decreto, quod refert Innocentius, et quod est apud Gratianum in *can. 4 dist. 60*. Ejus verba sunt hæc: *nullus in Episcopum, nisi in sacris ordinibus religiose vi-*

vens inventus fuerit, eligatur; sacros ordines dicimus Diaconatum, et Presbyteratum, hos siquidem solos primitiva Ecclesia legitur habuisse. Memorat deinde Innocentius decretum alterum ejusdem Urbani, quo Subdiaconatus inter majores ordines relatus est. Cum hodie, inquit, Subdiaconatus inter sacros ordines computetur, sicut Urbanus Papa II. expressit, erubescant etc. Duo igitur sunt inter se pugnantia Urbani II. decreta, quorum alterum inter minores, et alterum inter majores ordines Subdiaconatum refert. Quod recte intelligi, explicarique non potest, nisi dicamus, fuisse Subdiaconatum inter minores ordines, cum Urbanus II. Pontificatum obtinuit, ab eo vero deinceps fuisse relatum inter majores ordines, quo spectat alterum Urbani decretum, quod fortasse editum est post Synodum Beneventanam anni 1094. Thomassinus *part. 1 lib. 2 c. 55 n. 2 et 5*, cum quo sentit Van-Espenius *ius Eccles. pag. 1 tit. 1 c. 5 num. 2*, duo hæc inter se pugnantia Urbani decreta admiratur, inquit tamen, revera ab Innocentio III. Subdiaconatum majoribus ordinibus adscriptum fuisse. Sed non video, quomodo id componi possit cum auctoritate ipsius Innocentii, qui Urbano tribuit decretum, quo Subdiaconatus inter sacros ordines relatus est. Antequam vero Subdiaconi inter majores clericos recenserentur, jam ipsis imposita fuerat lex perpetuæ continentiæ, uti constat ex S. Leone M. *ep. 14 cap. 4 col. 687 tom. 1 ed. Baller.*, ex S. Gregorio *lib. 4 ep. 44 col. 558, et lib. 4 ep. 56 col. 716 tom. 2 ed. Maurin. Paris. 1705*, atque ex Concilio Romano sub S. Silvestro c. 8 *col. 1584 tom. 1 collect. Labbii edit. Venet.*, et Toletano VIII. *can. 6 tom. 7 col. 420*.

(2) *Can. clericos dist. 21, can. non liceat dist. 25, can. perlectis dist. 25*... Subdiaconi officia describit Pontificale Romanum *part. 1 tit. 11. §. 8 pag. 101 ed. Catal. Rom.* his verbis: *Subdiaconum oportet aquam ad ministerium altaris preparare; Diacono ministrare; pallas altaris, et corporalia abluere; calicem, et patenam in usum sacrificii eidem offerre.*

(N. S. Subdiaconatus antiquitatem diserte testantur Cornelius Papa in celebri *Epist. ad Fabium Antiochenum*, Cyprianus in pluribus suis *Epistolis*, Auctor *Constitutionum Lib. 8 cap. 9*, Syn. Illiberit. *Can. 30*, et Athanasius *Epist. ad Solitarios*, aliique veteres.

In Hispania lex cælibatus VI sæculo Subdiaconis imposita; Syn. Tolet. II *Can. 1*: tum deia facti illis permissio sacra vasa ad altare deferendi, proximeque altari ministrandi; ut evincitur ex Syn. Bracar. I *Cap. 10 alias Can. 28*, et Tolet. IV, *Can. 28 alias 27*.)

28. Majoribus succedunt minores ordines Ministrorum; atque hi sunt Acolythi, Exorcistæ, Lectores, Ostiarii. Nomina hæc, et officia, quæ his nominibus designantur, ad ipsum *Ecclesiæ initium* refert Synodus Tridentina (1); sed cum non defini-verit, quod id tempore factum fuerit, nulli existimant, omnes minores ordines una cum Subdiaconatu, procedente tempore, Ecclesiam instituisse (2). Verum cum initio Diaconorum partes essent, quæ labentibus annis minorum clericorum propriæ esse cœperunt, recte sentiunt, qui minores ordines origine sua, hoc est quatenus Diaconatu comprehendebantur, ad ipsam hujus ordinis institutionem referunt. Tum quod Diaconi pares non essent omnibus his muneribus obeundis, Ecclesia veluti partes quas-

dam ex Diaconatu decerpit, ac pro singulis proprios ordines instituit (3).

(1) *Sess. 25 cap. 2 de Sacram. ord.*

(2) Disputant inter se viri docti, num minorum ordinum origo ab ipsis Apostolis sit repetenda. Affirmant Baronius *ad an. 44 num. 78 tom. 1 pag. 515 ed. Lucæ 1758*, Bellarminus *de Cler. lib. 1 cap. 11 et seq. pag. 122 et seq. tom. 2 oper. ed. Venet. 1721*, et Emmanuel Schelestratus *Concil. Antiochenum rest. dissert. 4 cap. 12 art. 2*; negant Morinus *de sacr. ordinat. exerc. 1 num. 5*, Card. Boni *Rer. Liturgic. lib. 1 cap. 25 §. 17 tom. 2 pag. 265 ed. Augustæ Taurin. an. 1749*, Cotelierius in *Const. Apostol. lib. 2 cap. 25 num. 15 pag. 241 tom. 1 ed. Amstelædami 1724*, Goarius in *not. ad Eucholog. Græcor pag. 258*, Juenin *De sacram. dissert. 9 qu. 6 cap. 1*; ac diserte Amalarius *De offe. eccl. lib. 2 cap. 6 in Biblioth. PP. tom. 14 pag. 97 ed. Lugdun. P. Lombardus 4 sent. dist. 24, D. Thom. suppl. par. 5 qu. 57 art. 2* tradunt, eos post ætatem Apostolorum ab Ecclesia fuisse institutos. Vide Benedictum XIV. *De Synodo Diœc. lib. 8. cap. 9 §. 4 et seq.*, qui rem expendit, enumeratis argumentis, quæ ab utriusque defensoribus proponuntur. Sane Cornelius Pontifex, qui medio III. sæculo vitæ usura fruebatur, singulos illos ordines distinctim recensuit in *epist. 9 ad Fabium Antiochen. num. 3 col. 150* apud *Constantium ep. Roman. Pontif. cum de Novatiano disputans, ignorabat, inquit, unum Episcopum esse oportere in ecclesia catholica, in qua tamen sciebat Presbyteros quidem esse quatuor, et quadraginta, septem autem Diaconos, totidemque Subdiaconos, Acolythos duos et quadraginta, Exorcistas, et Lectores cum Ostiariis 25*. Sed non idem semper ubique in antiqua Ecclesia minorum ordinum numerus fuisse videtur. Nam Auctor *epistolæ ad Antioch. quæ Ignatii nomine circumfertur apud Cotelierium PP. Apost. t. 2 p. 107*, itemque Auctor *Canonum Apostolorum can. 42*, et Auctor etiam *Constitutionum Apostolicarum lib. 5 cap. 11 et lib. 8 cap. 28* uterque apud Cotelierium *loc. cit. pag. 448 et pag. 287 et 415* cum minores clericos memorant, nullum de Acolythis verbum faciunt: quin auctor *epistolæ, quæ Ignatii nomen præsefert, medios inter Ostiarios, atque Exorcistas constituit Laborantes, quos Apostolorum canones, atque Apostolicæ constitutiones omittunt. Clericatus initia interdum a Lectoratu facta, constat ex Siricio ad Himerium *ep. 1 cap. 9 col. 655*, et Zosimo *ep. 9 ad Hesychium col. 971* apud *Constantium, Cypriano ep. 24 pag. 55 ed. Rigaltii Paris. 1666*, Paulino *de S. Felie. Natal. 4 vers. 3 col. 591 ed. Murator. Veron. 1756*. Lectores in Ecclesia Alexandriana nullo discrimine, uti loquitur Socrates *lib. 5 cap. 22 pag. 296 ed. Valesii Cantabrigiæ 1720*, sive ex fidelibus capiebantur, sive ex catechumenis, qui certe clerici non erant, et interdum qui ex Lectoratu statim ad Diaconatum evehebatur. Socrates *lib. 6 cap. 5 pag. 312 ed. cit.*, Palladius in *vit. Chrysostomi tom. 13 opp. Chrysost. pag. 16 et 17 ed. Montfalconii Paris 1758*. Huc etiam spectat Gregorius Turonensis *Histor. lib. 4 cap. 6 col. 446 ed. Ruinarti Paris. 1759*, apud quem Cato Presbyter, omnes numerans clericatus gradus, in quibus versatus fuerat, memorat tantum *Lectoratum, Subdiaconatum, Diaconatum, Presbyteratum*. Vide Arendium *De Concord. Eccl. occid. et orient. lib. 6 c. 9*, Morinum *De Sac. Ordin. part. 2 exerc. 11 c. 5*, Thomasinum *Vel. et nov. Eccl. discipl. part. 1 lib. 2 cap. 55 num. 10*, Martenium *De antiq. Eccl. rit. tom. 1 part. 2 lib. 1 cap. 8 et seq.**

(3) S. Thomas *Supplem.* 3 part. *quæst.* 57 art. 2 Vide Salam *in notis ad Bonam loc. cit. pag.* 365 et seq.

29. Summus inter minores clericos gradus est Acolythorum, qui ita dicuntur, quasi apparitores, et pedissequi Episcoporum (1). Eorum munus est ceroferrarium ferre, Ecclesiæ luminaria accendere, vinum, et aquam ad Eucharistiam Subdiacono ministrare (2).

(1) Acolythi quasi perpetui testes erant, et comites Episcoporum; et hinc magna erat eorum fides. Erat autem in Ecclesia Romana major Acolythorum, quam aliorum separatim minorum clericorum numerus, quoniam illorum plura erant officia, et vero alii dicebantur Palatini, qui Summo Pontifici inserviebant, alii Stationarii, qui in templis aderant, in quibus Stationes celebrabantur, alii Regionarii, qui nomen ducebant ab Urbis Regionibus, in quibus eum Diaconis munus suum exercebant. De Urbis Regionibus, deque Stationibus late agit Mabillonius *Musæum Italic. tom. 2. Ord. Roman. 4 pag. 5 et Comment. in eund. ordin. n. 3 pag. 51. Paris. 1689.* Consule etiam Fratres Ballerimios in *S. Zenonem lib. 2. trác. 47 not. 1 pag. 275 tom. 1 ed. August. Vind. 1758.* Olim etiam Acolythorum erat officium Dominicis diebus Eucharistiam per Titulos ad Presbyteros missam deferre, uti constat ex Innocentio I. *ep. ad Decentium Episc. Eugub. c. 5* apud Constantium *col. 860*, atque ex Usuardo, et Martyrologio Romano ad diem 15 Augusti in vita S. Tharsicii Acolythi, qui cum quodam die deferret Christi corporis sacramenta, nec vellet ea discutientibus prodere paganis, tandiu est sustibus, et lapidibus ab eis maceratus, quousque exhalaret spiritum. Quin etiam ipsam Eucharistiam Pontifici ad altare procedenti præferre in capsis, quas tenebant apertas, uti recte observat Mabillonius in *cit. Ord. Roman. pag. 59: dum Pontifex sancta adorasset, atque ex eis particulam assumi jussisset in usum sacrificii, quod mox ab ipso celebrandum erat.* Finito autem sacrificio sacculos ad confringendas in Missa oblatas consecratas portabant, easque Sacerdotibus confracturis exhibebant; ideoque in sua ordinatione sacculos ab Episcopo accipiebant, ut illud eorum officium designaretur. Partes quoque erant Acolythorum manu tenere tum fistulam, per quam fideles Christi sanguinem ex calice hauriebant, quamque tradebant ministro calicem gestanti, cum illi Christi sanguinem ebibebant; tum patenam supponendam ori illorum, qui Eucharistiam accipiebant, ne quid ex ea in terram delaberetur; præterea scribere nomina baptizandorum, et susceptorum, et signare catechumenos in scrutiniis, iisque manus imponere, et Symbolum pro infantibus recitare, quæ omnia late explicantur à Martenio de antiq. *Eccles. rit. tom. 1 art. 12 pag. 96, 97, 100, 103, 112 Rotom. 1700.*

(2) Acolythus cum ordinatur, inquit Concilium Carthagineense IV. *can. 6* apud Labbæam *Concil. tom. 2 col. 1457 ed. Venet. Lugd. 1706*, ab Episcopo quidem doceatur, qualiter in officio suo agere debeat; sed ab Archidiacono accipiat ceroferrarium cum cereo, ut sciat, se ad accendenda luminaria mancipari; accipiat et urceolum vacuum ad suggerendum vinum, in Eucharistiam Sanguinis Christi.

30. Proximum tenent locum Exorcistæ, quorum est dæmo-

niacis manus imponere, malosque spiritus ejicere. Quæ functio communis olim erat omnium pene Christianorum, quorum adjurationibus dæmones urgebantur (1). Sed cum hæc depellendorum dæmonum facultas, alique gratiæ gratis datæ, quas Theologi appellant, in illis nascentis Ecclesiæ initiis passim à Deo fidelibus concessæ, Ecclesiæ statu deinceps constituto, desiissent vulgo tribui; quod pervulgatus earum usus minus necessarius evasisset, certus ab Ecclesia factus est ordo Exorcistarum (2). Hodie ad malos spiritus adjurandos Sacerdotes adhibentur.

(1) Exorcista non ordinatur, inquit Auctor *Constit. Apostol. lib. 8 cap. 26* apud Cotelierum *PP. Apost. tom. 1 pag. 415 ed. Amstelædami 1724.* Hæc enim certaminis laus pendet à libera, et bona voluntate; et à gratia Dei per Christum, adventu Spiritus S. Verum hoc loco non de illis agi videtur, qui ex officio, ac vi ordinis Exorcistæ munus exercebant. Celebre autem est illud Tertulliani *Apolog. n. 25 pag. 24 ed. Rigaltii Paris. 1654*, qui ita ethnicos compellat: *edatur hic aliquis sub tribunalibus vestris quem dæmone agi constat. Jussus à quolibet Christiano loqui spiritus ille, tam se dæmonem confitebitur de vero, quam alibi Deum de falso.* Huc etiam refer Originem *contr. Cels. lib. 7 n. 4 tom. 1 pag. 696 ed. Maurin. Paris. 1735.*

(2) Medio III. sæculo Exorcistas inter minores Clericos numerat Cornelius Pon. in *cit. ep. ad Fabium*; et IV. sæculo Laodicena Synodo *can. 26* ex interpretatione Dionysii Exig. *tom. 1 col. 1545 collect. Labbæi ed. Venet.* statutum est: quod hi, qui non sunt ab Episcopis ordinali, tum in ecclesiis, quam in domibus exorcizare non possint. Ritus in Exorcistæ ordinatione servandus describit Concilium Carthagineense IV. *can. 7 loc. cit.* Primum Exorcistæ curabant, ut energumeni maximam diem partem in Ecclesia versarentur, tum eis omni die manus imponebant; quæ omnia patent ex ipso Concilio Carthaginiensi IV. *can. 90, 91, 92 loc. cit. col. 1444.*

31. Lectores sunt, qui ex sacris libris aliquid in ecclesia legunt (1). Quare olim apud eos sacri codices servabantur, et sæpe ethnicis eos postulautibus, ab Episcopis responsum constat: *Scripturas Lectores habent* (2). Legebant autem è pulpito, sive suggesto, et antequam initium lectioni facerent, silentium à Diacono indicabatur verbo: *attendamus* (3).

(1) Concilium Carthagineense IV. *can. 8 loco indicato*, S. Jo. Chrysostomus *Homil. 5 in 2. ad Thessal. cap. 2 num. 4 pag. 527 tom. 11 ed. Montfauconii Paris. 1754*, S. Augustinus *serm. 155 tom. 5 opp. col. 999 ed. Maurin. Venet. 1751*, ubi de Evangelii lectione Lectori commissa.

(2) Baronius *ad an. 503 num. 7, 12, 15 to. 5 pag. 539. et seq. ed. Lucæ.*

(3) S. Jo. Chrysostomus *Hom. 19 in act. Apostol. n. 5 tom. 9 pag. 159 ed. Montfauconii Paris. 1751.* Lectoris munus sæpe etiam Presbyteri, et Diaconi exercebant, ut ostendit Auctor. *Const. Apost. lib. 2 cap. 57* apud

Cotelerium PP. *Apostol. tom. 1 pag. 265*, et S. Hieronymus *ep. 147 ad Sabian. num 7. tom. 1 col. 1035 ed. Vallarsii*; quin etiam eodem se munere fungi, dicit Sanctus Augustinus *serm. 556. et 562 cap. 22 col. 1585 et 1452 ed. Ven. 1751*, ac Sozomenus *Hist. Eccl. l. 7 c. 19 tit. 5 ed. cit. Valesii* testatur, quod alicubi in præcipuis festiuitatibus Episcopi legunt, ut Constantin. *primo die pasch. festiuitatis*; quod sua etiam ætate factum scribit Nicephorus Callistus *Eccl. hist. lib. 12 cap. 54 pag. 298 tom. 2 ed. Paris. 1650* addens præterea, non solum die Paschatis, sed etiam Kalendis Ianuarii, Patriarcham Constantinopolitanum in Ecclesia Evangelium legere consuevisse. Confer Fratres Ballerinos in S. Zenonem *lib. 1 tract. 13 not. 1 pag. 99 tom. 1 ed. Augustæ Vindel. 1758.*

32. Postremum denique locum occupant Ostiarii, qui acceptis Ecclesiæ clavibus, aperiendis, claudendisque januis, et arceendis infidelibus, atque excommunicatis præficiuntur (1). Hodie Ecclesiæ fores passim laicorum custodiæ committuntur. Jamque ante tempora Concilii Tridentini, Sanctorum Ordinum à Diaconatu ad Ostiariatum functiones pluribus in locis fuerant intermissæ, quas propterea Concilium revocari in usum juxta sacros canones jubet (2).

(1) Ostiarios ab Ecclesia institutos ea præsertim de causa putat Binghamus *Orig. eccl. lib. 5 cap. 6 § 5 tom. 2 pag. 57 ed. Halle Magdeburg*, ut sciantibus ethnicis adversus Christianos, stata conventuum, et precatiorum tempora indicere. Exteriores Ecclesiæ portas Ostiarii, portas Sanctuarii Subdiaconi custodiebant; ubi nulli erant Ostiarii, utrasque Subdiaconi obtinebant. Sæpe etiam Ostiarii vocantur Editu, atque ita S. Paulinus Nolanus *ep. 1 ad Severum n. 10 col. 7 ed. Muratorii Veronæ 1756*. Ostiarium vocat: *nam testor, inquit, ipsum, quia et ab Editu nomine, et officio optavi sacram incipere servitutem*. Quo ex loco intelligitur etiam Paulini ætate Ostiarii munus primum clericatus gradum fuisse. Ostiarius cum ordinatur, inquit Concilium Carthaginense IV. *caa. 9 loc. cit. col. 1453, tradat ei Episcopus claves Ecclesiæ de altario, dicens: sic age, quasi redditurus Deo rationem pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur*. Luculentius explicat Ostiarii munus Isidorus Hispalensis *can. 1 dist. 25: ad Ostiarium, inquit, pertinent claves ecclesiæ, ut claudat, et aperiat templum Dei, et omnia, quæ sunt intus extraque custodiat: fideles recipiat, excommunicatos, et infideles ejiciat*. Quod non ita intelligendum est, quasi infideles, hæretici, Judæi in Ecclesia versari non possent, cum divinum verbum nunciabatur, aut cum aliquid è sacris libris recitabatur. Nam eo tempore ipsis in Ecclesia adesse licebat, uti demonstratum supra est.

(2) Concilium Trident. *sess. 25 cap. 17 de reform.*

33. Atque hi sunt quatuor ordines, quos minores dicimus; reliquos tres majores appellamus. De simplici Tonsura quæri solet, num ea ordinibus adscribi debeat, qua de re inter Canonistas, atque Theologos magna controversia est. Certe qui ton-

sura donati sunt, vere inter clericos recensentur; et ideo eorum utuntur privilegiis, uti demonstratum supra est, atque iis præsertim, quæ fori, et canonis nuncupantur.

(N. S. Nostras Gonzalez Tellez, *ad cap. 1 de Apostatis*, diserte docet, *ex veriori sententia, dicendum proprie, et stricte primam tonsuram non esse ordinem, sed præviam dispositionem ad ordines, cujus cooptationis ratione ita tonsuratus dicitur habere ordinem Clericalem, et per consequens fruitur privilegio Canonis, et privilegio fori.*)

34. Non unum inter majores, minoresque ordines discrimen intercedit. Majores clerici omnino castitatem servare coguntur (1), habentque onus recitandi divinum officium, aut publice in Ecclesia, aut privatim domi (2), et qui illis initiantur, habere debent ex beneficio, aut ex paterna hæreditate, et patrimonio unde honeste vivant (3).

(1) Siricius P. *ep. ad Himerium Tarracœn. num. 8 et seq. col. 629 et seq. et ep. ad Episc. Affric. n. 5, col. 655 apud Constantium ep. Roman. Pontif.*, Innocentius I ad Victric. *Rotomag. n. 12 apud eundem Constantium col. 752*, Leo M. *ep. 14 cap. 4 col. 687, et ep. 167 Respons. ad inquisit. III col. 1421 tom. 1 ed. Ballerin. Vide Thomassin. vel. et nov. Eccles. discipl. par. 1 lib. 2 cap. 61*. Quæstio autem est, num majores Clerici ex voto, an potius ex lege Ecclesiastica castitatem servare debeant. Obligationem hanc ex mera constitutione Ecclesiæ continentiam præcipientis, repetunt Scotus 4 *dist. 57 q. unic. §. dico igitur*, Jo. de Lignano *de cleric. Conjug. cap. 2 Gutier. quæst. can. lib. 2 cap. 7 num. 45*, Valent. *de Cœlib. cap. 2 paulo post princip.*; contra vero eam ex voto, quod sacris Ordinibus adjunxit Ecclesia, oriri arbitrantur Cajetanus *in opusc. tom. 1 tr. 27 q. un. §. quoad secundum*, Waldens. *de Sacrament. cap. 66 n. 2*, Bellarminus *controv. l. 1 de matrim. cap. 21 paulo post princip. §. impedimenta opp. tom. 5 pag. 662 ed. Venet. 1721 Sanchez de matrim. lib. 7 d. 27 num. 10*, aliique complures. Synodi Tridentinæ Patres de hac evolvenda, definiendaque quæstione minime laborarunt; et Cardinalis Pallavicinus *Histor. Conc. Trident. lib. 25 cap. 9 num. 2* ad rem hanc refert, Sedis Apostolicæ Legatum Osium voto suo declarasse, quod Synodus *can. 9 sess. 24* haud volu rit definire, exhibatum sacris Ordinibus adjunctum ex ecclesiastica lege procedere, cum nil ea de re disputatum à Patribus esset, sed tantum damnare Lutherum suis ipsis verbis ita conceptis ab eo: *Non obstante lege ecclesiastica, vel voto*. Confer, qui ea de re late disputant; Schmalzgrueber *jus eccles. univers. lib. 5 tit. 5 par. 4 num. 28* et Laurentium For. *Eccles. lib. 5 tit. 5 quæst. 41.*

(2) *Cap. 1 et 9 de celebr. miss.*

(3) *Cap. 16 et 25 de præben. Concil. Trident. sess. 21 cap. 2 de reform.*

35. Soluti sunt his oneribus minores Clerici; verum cum ineunt matrimonium, sive illud ratum sit, sive consumatum, si-

ve vires habeat, sive iis careat, modo consensus clerici non desit, non solum impares fiunt ad ecclesiastica beneficia obtinenda, sed, quæ habent, etiam amittunt (1), quamquam recuperent quidquid forte Ecclesiæ dederunt è patrimonio suo (2).

(1) *Cap. 1 et 8 de Cleric. conjug.*

(2) *Cap. 5 eod.*

36. Minores clerici, qui beneficium non habent, ut fori privilegio fruuntur (1), tonsuram, vestesque clericales deferre, atque alicui Ecclesiæ mandato Episcopi servire debent (2), vel eum ejus venia in clericorum seminario, aut in aliquo probato gymnasio versari, quasi in via, per quam ad majores ordines perveniant (3). Qui tonsuram, et vestes deseruere clericorum, ad laicum judicem vocari possunt; verum si velit Episcopus, eos vindicare potest, ut adversus ipsos iudicium exerceat (4). Atque illud quidem fori privilegium obliuet non tantum clerici cælibes, sed etiam qui uxorem habent, modo unicam, eamque virginem duxerint, adscriptique ab Episcopo alicui Ecclesiæ sint, gerantque tonsuram, et vestes clericales (5).

(1) Quæsitum est, num Clerici, qui tonsuram, vestesque clericales abiecerunt, non tantum fori, sed etiam *Canonis* privilegium amittant, ac præterea beneficium *Cap. Odoardus*; et eos tantum fori privilegium amittere, non item cætera, definitum est, uti testatur *Giraldus Exposit. Jur. Pontific. par. 2 sect. 95 pag. 595 et 940*. Neque vero ut hujusmodi clericis fori privilegium adimatur, monitione aliqua opus est, cum ii statim cadant jure suo. *Innocentius XII. Const. Apostolici ministerii 54 §. 8 tom. 11 Bullar. Roman. ult. edit. pag. 260*, quam constitutionem confirmavit *Benedictus XIII Const. in supremo 51 pag. 350 eod. Bullar. loc. cit.* Vide *Giraldum loc. cit.*

(2) Quamquam Tridentina Synodus fori privilegium attribuat clerico, qui *ex mandato Episcopi* Ecclesiæ servit, tamen eodem privilegio fruitur etiam Clericus, qui vel sine Episcopi mandato, vel non illi servit Ecclesiæ, quam Episcopus designavit. Consule *Benedictum XIV de Synod. diæces. lib. 12 cap. 6 num. 5 et 6*.

(3) *Concil. Trident. sess. 25 cap. 6 de reform.*

(4) Vide *Benedictum XIV de Synod. diæces. lib. 12 cap. 2 num. 2*, et *Giraldum loc. cit. pag. 940*, à quibus plura ea de re decreta referuntur.

(5) *Cap. unic. de cleric. conjug. in 6, Concilium Tridentinum loc. cit.* Sunt qui putant, clericos conjugatos gaudere privilegio fori tantum in causis criminalibus; sed eos hoc frui privilegio oportere in causis criminalibus, et civilibus, modo ea præstent, quæ præstare necesse est, respondit *Sac. Congregatio Immunitatis*, uti testantur *Riccus Decret. et Resol. Sac. Congreg. Immunitatis verb. clerici conjugati quoad privilegium fori et canonis*, et *Ferraris Biblioth. verb. clericus art. 2 num. 55 et seq.* Ceterum etiam clericos conjugatos, qui ea non præstant, ab Episcopo vindicari pos-

se, ut adversus eos iudicium exerceat, respondit *Sac. Congr. Concilii in Alatrinæ jurisdictionis 17 Martii 1685*. Vide *Giraldum loc. cit.* et *Benedictum XIV loc. cit. cap. 3 num. 1*.

AD TITULUM II

APPENDIX

De Cælibatu Clericorum.

(N. S. Opportuna hic sese offert occasio aliqua de Clericorum cælibatu subnectendi. Qua in re illud primo constat, Sacerdotibus Christianis convenire quam quod maxime, ut cælibatum, vel saltem continentiam profiteantur. Purissima namque hostia, quam suis manibus quotidie offerunt, atque adeo participant, aliisque participandam tradunt, ejusmodi vitæ institutum omnino requirere videtur. Ad rem *Origenes Homil. 25 in Num.: Videtur mihi, quod illius est solius offerre sacrificium indesinens, qui indesinenter, et perpetuè se devoverit castitati.*

Tum Apostoli sacerdotio, vel virginitatem conjunxerunt, vel perpetuæ castitatis professionem (*). Filius namque Dei, qui *substantialiter* Puritas est, quippe de Virgine matre nasci voluit, Apostolos suos, atque eorundem successores puritatis suæ certo quodam modo voluit esse consortes. Adque hinc *Hieron. Apolog. contra Jovinianum: Christus virgo, virgo Maria, utriusque sexus virginitatem dedicavere. Apostoli, vel virgines, vel post nuptias continentes.... adsumti in Apostolatam, reliquerunt officium conjugale.* Profecto Sacerdotalis ordinationis character potiori, quam Apostolatus, jure puritatis candorem requirit.

Quamobrem primis sæculis, licet Clericis continentiæ lex indicta non fuerit, moribus tamen antiquissimis, atque adeo etiam Apostolicis, disciplina in Ecclesiam inducta tunc viguit, ut Episcopi, Presbyteri, et Diaconi perpetuam servarent continentiam.

Quod vero per illud temporis Sacerdotes continentiam fibula nullo Apostolico, vel Ecclesiastico præcepto expresso fuerint obstricti, pluribus constat.

1 Ex eo, quod hujusce legis nulla mentio occurrat in Canonibus veterum Conciliorum; licet ista haud semel occasionem habuerint talis legis indicandæ.

2 Pynito, Gnossiorum in Creta Episcopo sæculo II, Dionysius Corinth. auctor fuit, ne continentiam legem fratribus suis imponeret, ad quod ille propendebat, rationem adjungens, scilicet *ne grave onus castitatis, tanquam*

* *Ista Cl. Selvagii assertio plenam ex cap. 19 Ev. S. Matth. confirmationem accipere videtur. Ibi enim, v. 27, hæc habentur: Respondens Petrus dixit ei (nempe Christo): Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Generica et absoluta vox OMNIA et à matrimonio abstinentiam, et propriæ uxoris desertionem importat. Quod ex sequentibus Domini J. C. verbis, v. 29, pleniori in luce collocatum apparet, ita: Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet etc.*

necessarium imponeret, sed ejus, quæ in plerisque hominibus insit, infirmitatis rationem haberet: Eusebius Lib. 4 cap. 25.

5 Denique Socrates Lib. 5 cap. 22 narrat quidem in Thessalia, auctore Heliodoro Tricæ Episcopo, depositionis pœnam fuisse sancitam adversus Clericos, qui dormierint cum uxore, quam ante cleritatum legitimo matrimonio sibi copularerant. At statim subnequit: Quum in Oriente cuncti sua sponte etiam Episcopi ab uxoribus suis abstineant; nulla tamen lege, aut necessitate obstricti id faciant.

Porro ex dictis plura colligere est. Primum: Clericos primis illis sæculis non modo cum uxoribus cohabitasse, verum et rei uxoriæ aliquando vacasse. Quid enim unquam quam à sobole procreanda abstinentiam præcipere, grave onus castitatis dici quiverit? Tum vetus Ecclesiastica historia exempla præbet Episcoporum, et Presbyterorum, qui in Episcopatu, et Presbyteratu filios genuerunt: quod ipsis crimini imputatum non est. Id ex Socrate, loco indicato, constat, ubi statim subnequit: Multi enim illorum, Episcopatus etiam sui tempore, liberos ex legitimo conjugio susceperunt; et speciatim de Cheromone, urbis Nili Episcopo, narrat Eusebius Lib. 6 cap. 41, de Numidico, Presbytero Carthag., Cyprianus Ep. 55, de Cæcilio, Presbytero etiam Carthag., Pontic. in vita Cypriani, de Novato ipsemet Cyprianus Ep. 49, et de aliis alii.

Alterum: Ejusmodi disciplinam non fuisse in Ecclesia generalem; sed plures etiam per illud temporis fuisse particulares Ecclesias, in quibus lex continentia jam Clericis imposita fuerat; uti de Thessalia ex Socrate modo observavimus, qui et ibidem testatur id juris per Thessalonicam, Macedoniam, et Achaiam obtinuisse: et ex eo quoque evincitur, quod in Synodo Nicæna plures Episcopi de imponenda lege continentia jam consenserant, licet sua cuique libertas relicta fuerit.

Tertium: Majoribus Clericis post Ordinationem nuptias contrahere semper fuisse vetitum. Et quidem 1 id veterem Ecclesie traditionem in Concilio Nicæno appellavit Paphnutius. 2 Synodus Neocæsareensis, can. 1, depositionis pœnam multandum sanxit Presbyterum, qui conjugium adtentaret. 3 Canon ex sic dictis Apostolicis 25 Cantoribus dumtaxat, et Lectoribus uxores accipere permittit. 4 Vix Diaconos excipit canon 10 Ancyranus, qui tamen in ipsa ordinatione protestati fuerint, oportere se uxores ducere, quum non possint sic manere. Qua in re rigidior fuisse videtur Latine Ecclesie disciplina, ubi neque Episcopi indulgentia poterant Diaconi nuptias contrahere.

Porro in Occidente jam inde ab IV ineunte sæculo lex continentia imposita cepit. Patres Illiberitani in totum Episcopos, Presbyteros, et Diaconos et omnes Clericos positos in ministerio continentia fibula obstrictos voluere, can. 55 (alia tamen hujus canonis versiones Episcopos, Presbyteros, et Diaconos ad continentiam constringunt, non alios.) Tum eodem exeunte sæculo Siricius Papa, Ep. ad Himerium Tarracon. cap. 7, et Epist. 4 ad Africanos cap. 9, Presbyteris, et Diaconis præcipit, ut ab uxoribus pridem ductis continent: id quod postea Innocentius I, Ep. 2 ad Victricum Rothomag., Leo M. etiam Subdiaconis, Epist. 3 ad Anastas. Thessal., aliique deinceps Pontifices confirmarunt: tum et Concilia, uti Carthaginiensia II, III, et V Can. 5, Toletanum I Can. 1, Taurinense Can. 6, Arausicanum Can. 22 etc. Videsis Thomassinum, de Nov. ac Veter. Eccl. Disciplina P. 2 Lib. 4 cap. 61: quibus Decretis potius antiquissima Ecclesie Occidentalis disciplina confirmata est, quam nova sanctio evulgata.

Verum non æque feliciter processit res in Oriente. Etenim sensim adeo

ab primæva disciplina candore recesserant Clerici Orientales, ut satius videretur temperanda, quam ad pristinam puritatem reducenda, Epiphanius, Hæres. 59 num. 14, de nonnullorum hæc in re ignavia graviter conqueritur; subnectens, vix in Ecclesiis, ubi Ecclesiastici Canones adcurate custodiuntur, primigenium illud institutum superesse. Socrates, uti supra monuimus, de sua ætate testatur, multos Presbyteros, atque adeo Episcopos in ipso Presbyteratu, et Episcopatu filios genuisse. Nimia, ac prava Agapetarum familiaritas in causa fuisse videtur, cur vetus hæc in re disciplina laxaretur, et corrumpere. Porro tanta, tanque gravis corruptela sic temperata est: scilicet, ut relicta Presbyteris, et Diaconis potestate suis legitimis utendi uxoribus, dumtaxat ad Episcopatum ii solummodo Clerici promoverentur, qui neque filios, neque nepotes, neque uxorem haberent, aut illi saltem non cohererent: Justinianus, Novella 6, cap. 1 §. 5, et cap. 5. Quæ disciplina, in Synodo Trullana firmata, ad hæc usque tempora apud Græcos perseverat: Can. 42, et sequent. Illud præterea ex veteri disciplina in Synodo Trullana sancitum est, nimirum, ut quo tempore Clerici æque superiores, ac inferiores sacra contrectarent, ab uxoribus abstinerent.

Inferiores Ordines quod spectat, in quibusdam Orientalibus Ecclesiis quarto sæculo Subdiaconis, quod jam ad proxime ministrandum altari, et ad vasa sacra contrectanda admitti cœpissent, lex continentia indicta esse videtur: Epiphanius Hæres. 59. Idem videtur præscriptum in Hispania à Patribus Illiberitanis: continentiam enim injungunt: (ut aliqua hujus canonis versiones indicant), non modo Episcopis, Presbyteris, et Diaconibus, verum et omnibus Clericis positus in ministerio. Eadem erat quoque disciplina Ecclesie Romanæ tempore Leonis M., uti patet ex ejus Epist. 48 ad Anastasium Thessalon. Peculiaris quidam mos vigeat in Africa, ubi Lectores ad annos pubertatis venientes cogebantur aut uxorem ducere, aut continentiam profiteri: Conc. Carthag. III Can. 49. Verum sequentis temporibus, relicta Clericis inferioribus matrimonii contrahendi potestate, soli Subdiaconi legis continentia fibula obstricti sunt: id quod stabili canone universali in Ecclesia obtinuit, hodieque obtinet: Gregorius M. Lib. 1 Epist. 42, et Lib. 5 Epist. 5, Conc. Tolet. VIII Can. 6, Conc. Aurelian. III Can. 2, aliæque per ea tempora habitæ Synodi. Hispania quoque nunquam passa est, Sacris initiatos Ordinibus uxoribus prius ductis sociari, uti patet ex Iuliano Epist. Siricii P., Syn. Tolet. I præf. Can. 4, Gerund. Can. 6 Tolet. II Can. 1.

Igitur ut paucis rem omnem complectamur: Lex continentia primis sæculis in Ecclesia æque Orientali ac Occidentali, antiquissimis moribus, ab majoribus Clericis servata; at nulla Apostolica, aut Ecclesiastica sanctione id jubente. Sæculo IV, ac V æque Synodicis, ac Pontificiis Decretis disciplina hujusmodi in Occidente firmata. In Oriente, quum Clerici ab primæva puritatis disciplina resilirent, tantummodo ad Episcopatum nonnisi vel cœlibes, vel continentis promoti: idque per Canones præcipue Trullanos, Denique quod ad Ordines inferiores, varia primum fuit Ecclesiarum disciplina: at post in Ecclesia Latina soli Subdiaconi continentia lege obligati.

Atque ita se res habuit ad sæculum usque IX, et X, quando nimirum hæc in re laxata disciplina est, donec tandem medio sæculo XI instaurari cœpit. Hinc ex una parte Romanis Pontificibus, ex altera Episcopis, vel seorsim in suis Ecclesiis, vel in Synodis coactis, strenue agentibus, eo res devenit, ut Clerici continentia jugo iterum se subjicerent. Porro ad id gradatum deventum est, et quidem primo gravissimis in Clericos incontinentes sanctis pœnis, uti depositionis, atque etiam degradationis, tum et jactura bonorum: Thomassinus Part. 1 Lib. 2, cap. 64. Dein pœna excommunicationis

in eosdem statuta, et eorundem etiam concubinæ famulatu Ecclesiastico mancipatis. At magis, quam pœnæ, sanctissimorum Pontificum, at Presbyterorum exempla, et cohortationes, frequentes habitæ Synodi Provinciales, et barbariæ pulsa caligine novus litterarum dies per Europam elucens, plurimum contulere, ut Clerici tandem suæ professionis reminiscerentur.

Igitur Jure novo, scilicet post annum Christi millesimum, primum indicta non majoribus modo, verum et inferioribus Clericis lex cœlibatus, vel saltem continentiæ, scilicet ut grassanti incontinentiæ fræna injicerentur; ita Concilium Ticinense an. 4020, Bituricense an. 4051, Tolosanum an. 4056, aliæque apud Thomassinum *Part. 1, Lib. 2, cap. 65*. At deinde veterem dumtaxat disciplinam revocari satius visum est: nimirum ut soli majores Clerici, ipsique adeo Subdiaconi, cœlibatus, vel dumtaxat continentiæ legi subderentur, inferioribus eidem legi subductis: Concilia Rothomagensis an. 4072 *Can. 15*, Juliobonensis an. 1030 *Can. 9*, Melphitanum in Regno Neap. an. 1039 sub Urbano II *Can. 12*, Claramontanum an. 1095 *Can. 5*, Remense an. 1143 *Can. 5*. Videsis Thomassinum *ibidem*.

Porro sæculo XII plura novæ disciplinæ capita in Ecclesiam inducta sunt: Primum: Ut Clerici, licet minores, si uxores ducant, ab ordine ablegentur, et Ecclesiis suis, sive beneficiis priventur: *Cap. 1, 2, 5 de Clericis conjugatis*; dein et omni clericali privilegio frustrati sunt: Innocentius III *Cap. 7 eodem*. Demum Honorius III *ibidem Cap. 9* immunitate quoque ecclesiastica res, et bona illorum non gaudere declaravit. Verum hæc Pontificiæ Constitutiones non videntur suum sortitæ effectum. Haud multo post Bonifacius VIII *canonis*, ac fori privilegium Clericis conjugatis, qui bigami non sint, vestique utantur clericali, ac tonsuram gestent, vel reddidit, vel confirmavit: Eandem disciplinam firmarunt, quæ post sequutæ sunt Synodi: ac demum Tridentina Sess. 25, Ref. cap. 6: *In Clericis conjugatis servetur constitutio Bonifacii VIII, quæ incipit: Clerici qui cum unicis: modo hi Clerici alicujus Ecclesiæ servitio, vel ministerio ab Episcopo deputati, eidem Ecclesiæ serviant, vel ministrent, et clericali habitu, et tonsura utantur: nemini quod hæc privilegio, vel consuetudine, etiam immemorabili, suffragante. In Hispania, ex Leg. 6, et 7, Tit. 10 Lib. 1 Novis. Compil. Trident. Decretum de Clericis conjugatis adamussim observatur.*

Alterum: Ordinem Sacrum tunc primum sæculo XII impedimenti dirimentis naturam induisse. Et sane Synodus Lateran. sub Innocentio II an. 1159, *Can. 7, et 8*, hæc in re ita decrevit: *Statuimus quatenus Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Regulares Canonici, Monachi, atque Conversi professi, qui sacrum transgredientes propositum, uxores sibi copulare præsumserint, separentur. Hujusmodi namque copulationem, quam contra ecclesiasticam rationem constat esse contractam, matrimonium non esse censemus. Id ipsum de Sanctimonialibus præcipimus. Quod dein confirmavit Syn. Remens. an. 1143, duos præf. Lateran. Canones transcribens *Can. 7*. Videsis Gratian., *Can. 40 Caus. 27 Quest. 1*, qui illum tribuit Cone. Romano.*

Jure Hispano ex *Leg. 41 Tit. 6, Partit. 1*, Clerici, à Subdiaconatu, contrahentes matrimonium, excommunicantur, et Beneficiis privantur usque dum congruam egerint pœnitentiam: *Cap. 1, et 5 Cleric. conjug., et Leg. 48 Tit. 4 Lib. 1 Fori Judicium*. Mulier vero scienter nubens, etsi specie tenus, Clerico in Sacris constituto, in servitutum tradebatur Ecclesiæ: *Can. 40 Dist. 51*, si ingenua esset; si autem ancilla, venundari debebat, et pretium Ecclesiæ, cui Clericus inserviebat, conferendum. Filii ex id genus matrimonio nati, in parentum bona minime succedebant: *Leg. 2 Tit. 5*

Lib. 5 Ordinam. Reg., quin et in perennem Ecclesiæ servitutem redigendi erant: Synod. Tolet. IX *Can. 10*. Demum hujus criminis cognitio ad S. Inquisitionis Tribunal (*) spectabat, ex *num. 8 Edicti*, quod singulis annis publicabatur.

Tertium: Uxori publicum perpetuæ continentiæ votum coram Episcopo esse emittendam, ubi marito det veniam sacros ordines suscipiendi: atque adeo neque defuncto marito, istiusmodi uxori licet denuo nubere. Adhæc *si tulus fuerit, quæ suspitione non careat, voto continentiæ celebrato, à sæcularium hominum se conversatione removeat, et in loco religioso, ubi Deo serviat, perpetuo commoretur*. Ita Alexander III *Cap. 5, 6, et 8 de Convers. Conjugator*. Uno verbo: si conjux senex fuerit, in sæculo remanere poterit, continentiam professa; si adolescentula, sollemne castimoniam votum profiteri debet; *Leg. 58 Tit. 6 Partit. 1*. Hujusce disciplinæ jam inde ab sæculo VI licet vestigia repetere, uti evincitur ex Syn. Matisconen. II *Can. 16*, ac præcipue ex Antissiodorensis *Can. 22*, qui in hunc modum se habet: *Non licet relicte Presbyteri, nec relicte Diaconi, nec Subdiaconi, post ejus mortem maritum accipere*. In Hispania jam inde ab sæculi V initio viduæ Episcoporum, Presbyterorum, et Diaconorum vetabantur sub perpetuæ, excommunicationis pœna nubere: Syn. Tolet. I *Can. 18*. At non desunt qui putent, nuptias hujusmodi viduis interdici, non ob continentiam votum, ad quod emittendum nullibi coguntur, sed ob servandam bonam memoriam maritorum, eadem prorsus ratione, qua Regum etiam viduis secundæ vetabantur nuptiæ in Syn. Tolet. XIII *Can. 5*, et Cæsaraugust. III *Can. 5*; vel potius quia, quum Bigamiam in Clericis execrarentur, eandem legem ad uxores etiam Clericorum extendi debere existimarent.)

TITULUS III.

DE HIERARCHIA JURISDICTIONIS.

1 ET 2. HIERARCHIA JURISDICTIONIS, EJUSQUE MAGISTRATES, ET CAPUT OMNIUM.—3. DIVISIO DIOECESON.—4. EX OMNIBUS MEMBRIS IN UNUM COLLECTIS UNA FIT CATHOLICA ECCLESIA.—5. EPISCOPI PARTICULARES ECCLESIAS REGUNT.—6 AD 8. CAPUT ECCLESIE UNIVERSÆ, CENTRUMQUE UNITATIS, ET NECESSITAS JURISDICTIONIS IN HOC CARITE.—9 AD 11. MINORES MAGISTRATUS, ET MINISTRI HIERARCHIÆ JURISDICTIONIS.

Demonstrata jam ordinis Hierarchia, nunc Hierarchiam explicabimus, quæ jurisdictionis appellatur. Ea pertinet ad optimum Ecclesiæ regimen, quod ut recte consistat, suos habere debet Magistratus, sicuti suos habet civilis societas, qui imperium exerceant in illam hominum multitudinem, quibus societas constat, ne inter eos, si nemini pareant, necessario magna perturbatio, et confusio rerum omnium existat. Ea de causa creati sunt à Christo Episcopi, qui non solum spiritualia bona in homines

(*) Quod Reg. deer. 45 julii 1354 abolitum est: unde nunc apud nos talis criminis repressio ordin. eccl. jurisdictionis est.

in eosdem statuta, et eorundem etiam concubinæ famulatu Ecclesiastico mancipatis. At magis, quam pœnæ, sanctissimorum Pontificum, at Presbyterorum exempla, et cohortationes, frequentes habitæ Synodi Provinciales, et barbariæ pulsa caligine novus litterarum dies per Europam elucens, plurimum contulere, ut Clerici tandem suæ professionis reminiscerentur.

Igitur Jure novo, scilicet post annum Christi millesimum, primum indicta non majoribus modo, verum et inferioribus Clericis lex cœlibatus, vel saltem continentiæ, scilicet ut grassanti incontinentiæ fræna injicerentur; ita Concilium Ticinense an. 4020, Bituricense an. 4051, Tolosanum an. 4056, aliæque apud Thomassinum *Part. 1, Lib. 2, cap. 65*. At deinde veterem dumtaxat disciplinam revocari satius visum est: nimirum ut soli majores Clerici, ipsique adeo Subdiaconi, cœlibatus, vel dumtaxat continentiæ legi subderentur, inferioribus eidem legi subductis: Concilia Rothomagensis an. 4072 *Can. 15*, Juliobonensis an. 1030 *Can. 9*, Melphitanum in Regno Neap. an. 1039 sub Urbano II *Can. 12*, Claramontanum an. 1095 *Can. 5*, Remense an. 1143 *Can. 5*. Videtur Thomassinum *ibidem*.

Porro sæculo XII plura novæ disciplinæ capita in Ecclesiam inducta sunt: Primum: Ut Clerici, licet minores, si uxores ducant, ab ordine ablegentur, et Ecclesiis suis, sive beneficiis priventur: *Cap. 1, 2, 5 de Clericis conjugatis*; dein et omni clericali privilegio frustrati sunt: Innocentius III *Cap. 7 eodem*. Demum Honorius III *ibidem Cap. 9* immunitate quoque ecclesiastica res, et bona illorum non gaudere declaravit. Verum hæc Pontificiæ Constitutiones non videntur suum sortitæ effectum. Haud multo post Bonifacius VIII *canonis*, ac fori privilegium Clericis conjugatis, qui bigami non sint, vestique utantur clericali, ac tonsuram gestent, vel reddidit, vel confirmavit: Eandem disciplinam firmarunt, quæ post sequutæ sunt Synodi: ac demum Tridentina Sess. 25, Ref. cap. 6: *In Clericis conjugatis servetur constitutio Bonifacii VIII, quæ incipit: Clerici qui cum unicis: modo hi Clerici alicujus Ecclesiæ servitio, vel ministerio ab Episcopo deputati, eidem Ecclesiæ serviant, vel ministrent, et clericali habitu, et tonsura utantur: nemini quod hæc privilegio, vel consuetudine, etiam immemorabili, suffragante. In Hispania, ex Leg. 6, et 7, Tit. 10 Lib. 1 Novis. Compil. Trident. Decretum de Clericis conjugatis adamussim observatur.*

Alterum: Ordinem Sacrum tunc primum sæculo XII impedimenti dirimentis naturam induisse. Et sane Synodus Lateran. sub Innocentio II an. 1159, *Can. 7, et 8*, hæc in re ita decrevit: *Statuimus quatenus Episcopi, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Regulares Canonici, Monachi, atque Conversi professi, qui sacrum transgredientes propositum, uxores sibi copulare præsumserint, separentur. Hujusmodi namque copulationem, quam contra ecclesiasticam rationem constat esse contractam, matrimonium non esse censemus. Id ipsum de Sanctimonialibus præcipimus. Quod dein confirmavit Syn. Remens. an. 1143, duos præf. Lateran. Canones transcribens *Can. 7*. Videtur Gratian., *Can. 40 Caus. 27 Quest. 1*, qui illum tribuit Cone. Romano.*

Jure Hispano ex *Leg. 41 Tit. 6, Partit. 1*, Clerici, à Subdiaconatu, contractantes matrimonium, excommunicantur, et Beneficiis privantur usque dum congruam egerint pœnitentiam: *Cap. 1, et 5 Cleric. conjug., et Leg. 48 Tit. 4 Lib. 1 Fori Judicium*. Mulier vero scienter nubens, etsi specie tenus, Clerico in Sacris constituto, in servitute tradebatur Ecclesiæ: *Can. 40 Dist. 51*, si ingenua esset; si autem ancilla, venundari debebat, et pretium Ecclesiæ, cui Clericus inserviebat, conferendum. Filii ex id genus matrimonio nati, in parentum bona minime succedebant: *Leg. 2 Tit. 5*

Lib. 5 Ordinam. Reg., quin et in perennem Ecclesiæ servitute redigendi erant: Synod. Tolet. IX *Can. 10*. Demum hujus criminis cognitio ad S. Inquisitionis Tribunal (*) spectabat, ex *num. 8 Edicti*, quod singulis annis publicabatur.

Tertium: Uxori publicum perpetuæ continentiæ votum coram Episcopo esse emittendum, ubi marito det veniam sacros ordines suscipiendi: atque adeo neque defuncto marito, istiusmodi uxori licet denuo nubere. Ad hæc *si tulus fuerit, quæ suspitione non careat, voto continentiæ celebrato, à sæcularium hominum se conversatione removeat, et in loco religioso, ubi Deo serviat, perpetuo commoretur*. Ita Alexander III *Cap. 5, 6, et 8 de Convers. Conjugator*. Uno verbo: si conjux senex fuerit, in sæculo remanere poterit, continentiam professa; si adolescentula, sollemne castimoniam votum profiteri debet; *Leg. 58 Tit. 6 Partit. 1*. Hujusce disciplinæ jam inde ab sæculo VI licet vestigia repetere, uti evincitur ex Syn. Matisconen. II *Can. 16*, ac præcipue ex Antissiodorensis *Can. 22*, qui in hunc modum se habet: *Non licet relicte Presbyteri, nec relicte Diaconi, nec Subdiaconi, post ejus mortem maritum accipere*. In Hispania jam inde ab sæculi V initio viduæ Episcoporum, Presbyterorum, et Diaconorum vetabantur sub perpetuæ, excommunicationis pœna nubere: Syn. Tolet. I *Can. 18*. At non desunt qui putent, nuptias hujusmodi viduis interdici, non ob continentiam votum, ad quod emittendum nullibi coguntur, sed ob servandam bonam memoriam maritorum, eadem prorsus ratione, qua Regum etiam viduis secundæ vetabantur nuptiæ in Syn. Tolet. XIII *Can. 5*, et Cæsaraugust. III *Can. 5*; vel potius quia, quum Bigamiam in Clericis execrarentur, eandem legem ad uxores etiam Clericorum extendi debere existimarent.)

TITULUS III.

DE HIERARCHIA JURISDICTIONIS.

1 ET 2. HIERARCHIA JURISDICTIONIS, EJUSQUE MAGISTRATES, ET CAPUT OMNIUM.—3. DIVISIO DIOECESON.—4. EX OMNIBUS MEMBRIS IN UNUM COLLECTIS UNA FIT CATHOLICA ECCLESIA.—5. EPISCOPI PARTICULARES ECCLESIAS REGUNT.—6 AD 8. CAPUT ECCLESIE UNIVERSÆ, CENTRUMQUE UNITATIS, ET NECESSITAS JURISDICTIONIS IN HOC CARITE.—9 AD 11. MINORES MAGISTRATUS, ET MINISTRI HIERARCHIÆ JURISDICTIONIS.

Demonstrata jam ordinis Hierarchia, nunc Hierarchiam explicabimus, quæ jurisdictionis appellatur. Ea pertinet ad optimum Ecclesiæ regimen, quod ut recte consistat, suos habere debet Magistratus, sicuti suos habet civilis societas, qui imperium exerceant in illam hominum multitudinem, quibus societas constat, ne inter eos, si nemini pareant, necessario magna perturbatio, et confusio rerum omnium existat. Ea de causa creati sunt à Christo Episcopi, qui non solum spiritualia bona in homines

(*) Quod Reg. deer. 45 julyi 1354 abolitum est: unde nunc apud nos talis criminis repressio ordin. eccl. jurisdictionis est.

conferrent, sed etiam essent præcipui christianæ societatis Magistratus.

2. Sed inter hos Magistratus unus esse debebat, qui ceteris præset, societatemque universam regeret, ac moderaretur. Id postulabat divina sapientia Legislatoris, qui huic societati caput, et principem daret (1), atque illa unitas tum fidei, qua Christianos omnes convenire volebat, tum caritatis, qua cuncta Ecclesiæ membra inter se eodem pacis, et communionis vinculo copulari debent (2). Quæ enim esset hæc unitas, nisi unus esset toti Ecclesiæ præpositus, qui illam tueretur, et custodiret, quique omnes una fide, una caritate, una demum Ecclesia jungeret? Itaque Petro, ejusque successoribus Summis Pontificibus datus est hic Primatus, ut per unum caput una esset Ecclesia, sive, ut loquitur Hieronymus (3), *ut capite constituto, schismatis tolleretur occasio.*

(1) Uta testimonio heterodoxi hominis, sed philosophi præstantissimi, Guillelmi Leibnitii, qui ex ratione agnovit Primatus in Ecclesia necessitatem, et in eo etiam necessitatem jurisdictionis. Nam scribens de Romano Pontifice ep. 8 tom. 1 ep. edit. Lips. an. 1754 pag. 55 habet hæc: *Cum Deus sit Deus ordinis, et corpus unius Ecclesiæ catholicæ, et apostolicæ uno regimine, hierarchiaque universali continendum juris divini sit; consequens est, ut ejusdem sit juris supremus in eo spiritualis magistratus... directoria potestate, omnique necessaria ad explendum munus pro salute Ecclesiæ agendi facultate instructus.* Utor inquam hoc testimonio ut omnes intelligant, quid sola posit recta ratio in homine vel hæretico, sed ingenio præstante; ceterum Catholici omnes agnoscent hanc Primatus necessitatem, ejusque à Christo factam institutionem, quod dogma catholice fidei est; cujus quidem Primatus naturam egregie inter ceteros persecuti sunt Bellarminus *de Roman. Pontif. lib. 1 et 2 fere per tot. pag. 251 et seq. tom. 1 opp. ed. Venet. 1721.* Mamachi *Orig. et antiq. Christ. l. 4 par. 2 c. 1 et seq. tom. 5 pag. 5 pag. 1 et seq.* Petrus Bellarminus *De vi ac ratione Primatus Roman. Pontif.*

(2) Confer Ballerinium *loc. cit. cap. 8 et seq.*

(3) *Lib. 1 advers. Jovinian. cap. 26 col. 279 tom. 2 ed. Vallarsii Veronæ.*

3. Apostolos misit Christus ad nunciandum Evangelium in universum orbem terrarum, neque inter singulas provincias, aut civitates distribuit. Sed ipsi deinceps, aucto Fidelium numero, divisionem illam instituerunt, quam necessariam esse existimarent, ut recta regiminis ratio constaret. Atque hinc prima est repetenda origo divisionis dioceseon, et origo etiam Patriarcharum, ac Metropolitanarum. Cuncta hæc ab Apostolis adumbrata, deinceps ab Ecclesia absoluta, ac definite constituta sunt.

4. Quare illa missio in orbem universum propria, et pecu-

liaris fuit Apostolorum, per quos ubique nuncianda erat Christi religio (1); sed ea populis nunciata, et patefacta, certi sunt constitui fines, intra quos unusquisque Episcopus jurisdictionem exerceat. Hinc Patriarchis plures provinciæ, et nationes, Primatibus una natio, aut regnum, Metropolitanis una provincia, Episcopis diocesis una data est. Horum quilibet imperium habet in illum terræ tractum, cui præpositus est. Sed ex his omnibus unum debet effici corpus, quale est Ecclesia catholica: effici autem nequit, nisi cuncta in unum conjungantur; conjungi vero non possunt, nisi omnia unum caput, et unum commune centrum habeant.

(1) Ampla illa potestas (semper tamen obnoxia Petro omnium capiti, et principi) quæ in Ecclesiæ regimine Apostolis data est, in uno Petro ordinaria fuit, ideoque ad ejus successores delata est; verum in ceteris Apostolis fuit extraordinaria, neque ad successores transit, sed illorum obitu expiravit. Audiatur Natalis Alexander *Histor. Eccles. dissert. 4 ad sæc. 1 §. 4 tom. 5 pag. 85 edit. Venet. 1776.* cujus hæc verba sunt: *summa potestas in Ecclesia non solum data est Petro, sed reliquis etiam Apostolis, et his quidem ut tamquam extraordinario munere, et cum eis interituro fungerentur. Unde omnes illud Pauli merito sibi vindicare poterant: instantia mea quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum. Sancto verò Petro concessa est auctoritas illa suprema tamquam ordinario Pastori, cui perpetuo succederetur, Apostolica tandem auctoritate ad unum revocata. Unde S. Petri Sedes antonomastice Apostolica dicta est à S. Hieronymo etc.* Ita etiam docent Thomassinus, Hallierus, Petrus de Marca, Bossuetius alique complures, idque confirmat Facultas Parisiensis, quæ damnavit M. Antonium de Dominis, negantem nisi Sacris Scripturis discrimen potestatis inter Apostolos, eamque propositionem hæreticam, atque schismaticam declaravit intellectam *de jurisdictione Apostolica ordinaria, quæ in solo D. Petro subsistebat.* Consule Ballerinium *de potest. eccles. Sum. Pontific. etc. cap. 1 §. 6 pag. 10 et seq. edit. Augustæ Vindelic. 1770.*

5. Itaque omnes Episcopi, qui suis præfecti sunt Ecclesiis, ceu membris, quæ omnia in unum collecta, una catholica Ecclesia continet, curare debent, ut particulares Ecclesiæ, quas regunt, in unum confluant commune centrum, atque uni capiti subjiciantur. Sic enim Ecclesiæ unitas efficitur, et conservatur, cum omnia membra unum caput agnoscunt, et unum habent centrum, in quo conjunguntur.

6. Commune hoc unitatis centrum, et hoc omnium caput Christus Petrum constituit. Sed cum ipse vita fungi deberet, Ecclesia autem usque ad consumationem sæculi esset futura, alius, eo mortuo, constituendus erat, qui Ecclesiam universam regeret. Itaque ad Petri successores transmissum est munus, et

translata potestas, quod, et quæ Petro à Christo datum, dataque fuerat. Hi sunt Romani Pontifices, qui ipsum tenent in Ecclesia locum, quem vivens tenuit Petrus; hoc est locum Capitis, et Capitis non otiosi, sed præditi, instructique potestate, quam habere debet Caput Ecclesiam regens.

7. Non enim Christus hoc Caput constituit, ut vacuum, et inane nomen haberet, sed ut totius Ecclesiæ unitatem custodiret. Ex quo efficitur, ut ei dederit omnem potestatem, qua opus est, ut suas impleat partes; cum dici nequeat, Christum alieni dedisse munus, et non dedisse facultates, sine quibus munus ipsum exerceri non potest. Cujus rei consequens est, ut Primatus, quem Petrus, ejusque successores à Christo acceperunt, non tantum honoris, et dignitatis, sed etiam jurisdictionis esse debeat. Atque errant vehementer, qui cum ignorare non possint, Primatus instituendi causam fuisse unitatem tot hominum, et tot Ecclesiarum, ex quibus una efficitur Ecclesia catholica, aut nullum esse putant caput, per quod illa hominum, et Ecclesiarum multitudo jungatur, aut caput fingunt inane, et otiosum, sine vi, et potestate, qua homines ad parendum cogat; quemadmodum si quis exercitum conficeret sine Imperatore, aut Imperatorem daret, qui umbratile haberet nomen, vacuum potestate, et imperio, cui milites pareant, et per quod in officio contineantur.

8. Cumque Summus Pontifex omnes, quæ una catholica Ecclesia complectitur, diœceses, provincias, nationes cogere ad unitatem debeat, in omnes potestatem habeat necesse est. Ita ejus imperium, quod totam comprehendit Ecclesiam, fertur in omnes Patriarchas, Primates, Metropolitans, Episcopos; quoniam si quis esset eorum non obnoxius huic potestati, is impune dirumpere posset unitatem, quæ à catholica Ecclesia disjungi non potest. Atque hæc ecclesiasticæ hierarchiæ ratio est, ut Christiani omnes Episcopis, Episcopi Metropolitans, Metropolitæ Primatibus, ac Patriarchis, cuncti demum Romano Pontifici subiciantur. Episcopi, Metropolitæ, Primates, Patriarchæ, et omnium Princeps Summus Pontifex proprie efficiunt hierarchiam, quæ jurisdictiones appellatur.

9. Reliqui Magistratus creati sunt, ut auxilio essent Episcopis, atque in eos derivata est pars jurisdictionis, quæ integra ad Episcopum pertinet. Hinc instituti Coadjutores, ut Episcopo impedito opem ferrent, Chorepiscopi, ut præessent oppidis diœcesis, Vicarii, ut Episcopi vices gererent, ceteri demum Ma-

gistratus, quibus sub Episcopo certa in populum potestas data est.

10. Quin etiam quibusdam clericis tributum est certum officium sine jurisdictione, quibusdam, præter officium, etiam honoris prærogativa, et hinc ortæ Dignitates, Personatus, Officia, quæ omnia generali beneficiorum nomine comprehenduntur. Adjunctam habent dignitatem ea beneficia, quorum rectores, præsertim in cathedralibus, aut in collegiatis ecclesiis, et quædam fruuntur honoris prærogativa, sive præeminentia, et administratione, ac jurisdictione, ideoque tametsi cum reliquis canonicis corpus unum conficiant, ab iis tamen propter hanc administrationem, præeminentiam, et jurisdictionem distinguuntur. Personatum habere dicuntur ii, qui solam habent honoris prærogativam sine administratione, et jurisdictione (1); officium denique, qui administrationem habent, carent præeminentia, et jurisdictioni.

(1) Personatus nomen primum in jure canonico adhibuisse Alexandrum III. illudque à Gallis sumpsisse, tradit Cujacius in *tit. de Præben. et Dignit.* tom. 6 col. 962 edit. Mutin. seu Venet. 1778.

11. Generatim statui non potest, quæ beneficia inter Dignitates, quæ inter Personatus, quæ inter Officia sint referenda, cum unaquæque ecclesia suas habeat consuetudines, et quam Dignitatem in una ecclesia obtinet Archidiaconus, vel Archipresbyter, in altera eam Decanus, vel Prepositus, vel Primicerius obtineat. Itaque jurisdictio, præeminentia, munus in omnibus ecclesiis Dignitatem, Personatum, Officium facit. Nos de omnibus agemus clericis, qui in Ecclesia vel munus habent, vel honoris gradum, vel jurisdictionem. Omnes enim referendi sunt ad hierarchiam jurisdictionis, quoniam omnes pertinent ad optimum Ecclesiæ regimen, quo hierarchia spectat. Illud tamen inter clericos, qui jurisdictionem habent, interque clericos, qui ea carent, discrimen est, quod hi tantum Ministri sunt, illi vero sunt etiam, post Episcopos, in ecclesiastica hierarchia Magistratus.

SECTIO I.

DE SUMMO PONTIFICE.

12. PAPÆ NOMEN.—15. PRIMATUS HONORIS, ET JURISDICTIONIS.—14. SUMMUS PONTIFEX, FIDEI CONTROVERSIAS EX CATHEDRA DEFINIENS, ERRARE NON POTEST.—15 AD 19. POTESTAS, ET JURA, QUÆ EX PRIMATU DESCENDUNT.—20. PRIMATUS TOTIUS ECCLESIE ADINI NEQUIT PETRI SUCCESSORIBUS.—21. POTESTAS SUMMI PONTIFICIS EPISCOPALIS, METROPOLITICA, PATRIARCHICA, ET POTESTAS TEMPORALIS.

12.

Ordiamur à Summo Pontifice, cujus in ecclesiastica hierarchia supremus gradus, et summa potestas est. Is vocatur Papa à græco verbo, latine *Pater*; quod nomen initio proprium fuit omnium Episcoporum (1); quin etiam sæpe ad minores quoque clericos translatum est (2). Sed jamdiu solus Romanus Pontifex eo nomine designatur (3); atque eum etiam Chalcedonensis Concilii Patres *Episcopum universalem* appellarunt. Verum hoc nomen, in quod arrogantia sedis Constantinopolitanæ audacter invaserat, recusavit S. Gregorius M., contentus modesto nomine *Servi Servorum Dei*, quo ipse primum uti cœpit (4), et quo nunc etiam Summi Pontifices utuntur.

(1) Vide Thomassinum *vet. et nov. eccles. disciplin. part. 1 lib. 1 cap. 4 et lib. 5 cap. 2 num. 47*, et Mamachium *origin. et antiquit. christian. lib. 4 par. 1 cap. 4 § 9 nota 3 et seq. tom. 4 pag. 297 et seq.*

(2) Vide Du-Cangium *Glossar. med. et infim. græcitat.*, Mamachium *loc. cit. et not. 5 et seq.* Atque huc spectare videtur Walfridus Strabo *de rebus Eccles. cap. 7 in Bibliot. PP. tom. 10 col. 667 ed. Paris. an. 1624*; *Papa, cujusdam paternitatis nomen est, et Clericor. congruit dignit.* Hinc qui modo Archipresbyter, olim Protopapa dicebatur, et Innocent. III *lib. 15 ep. 60 ad Archiepisc. Theban. pag. 625 to. 2 ed. Baluzii Paris. 1682.* parochiam appellat *Papatum*, secundum usum, et consuetudinem Græcorum, à quibus omnis Sacerdos *Papa* dicebatur. Diverso tamen modo, uti recte est à Mamachio observatum *loc. cit. not. 4*, Græci flectunt vocem, cum Pontificem, et Sacerdotem *Papam* appellant.

(3) Jam inde à sæculo V Summum Pontificem ob eminentem ejus dignitatem *Papam*, nullo alio addito, appellari cœpisse, ostendit Thomassinus *vet. et nov. eccles. discipl. par. 1 lib. 1 cap. 50 num. 14* Sed ea de re vide Christianum Lupum *schol. in dictat. S. Gregorii VII can. 11 tom. 5 opp. pag. 215 ed. Venet. 1725*, Cajetanum Cennium disert.: 5 inter ejus *dissertat. Italicas Pistorii editas an. 1778 tom. 1 pag. 152 et seq.*, et librum *Del Primato dell' Apostolo S. Pietro è dei Romani Pontifici suoi successori cap. 2 §. 20 pag. 45 et seq. et in not. 10 pag. 47 et seq.*, ubi erudite agitur

de Papæ nomine, deque ceteris nominibus, quibus jure, et merito Romani Pontifices appellantur.

(4) Joannes Diaconus in *vit. S. Gregor. lib. 2 cap. 1 t. A opp. S. Gregorii col. 45 ed. Maurin. Paris. 1705.*

(N. S. Pontifex passim in veteri Ecclesia ab antiquis Patribus, et Conciliis meritissimo jure adpellatus est *Pater Patrum, Apostolicum culmen, Petra, et Fundamentum Ecclesiæ, Apex totius Episcopatus, Pontifex Christianorum, Summus Sacerdos, Ecclesiæ Universalis Antistes, Summus omnium Præsidum Pontifex, Ecclesiæ Caput, Christi Vicarius, Christi Ovilis Pastor, Christi vineæ Custos, Caput omnium Episcoporum, Caput unitatis, potissimus Sacerdos, Caput omnium Domini Sacerdotum etc.*)

13. Est autem Summus Pontifex jure divino Ecclesiæ caput, et centrum unitatis, Petri Succesor, Christi vicarius, omnium Christianorum pater, et doctor, atque habet in tota Ecclesia primatum non dignitatis solum, sed etiam jurisdictionis (1). Quare Pontifex Christianos omnes honore antecedit, atque in omnes jurisdictionem exercet, cum habeat *pascendi, regendi, et gubernandi universalem Ecclesiam... plenam potestatem* (2).

(1) Conc. Florent. in *definit. collect. Labbei tom. 18 col. 526 et 527*, quod pridem etiam expresserat Conc. Lugdunense II in *profess. fid. col. 512 tom. 14 eod. loc.* Testimonia celeberrima, quæ in primis à Patribus ex Evangelio afferuntur ad Petri, ejusque successorum primatum ostendendam, et ad quæ cetera referri commode possunt, sunt apud Matthæum XVI 18: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram edificabo Eccles. meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam; et tibi dabo claves regni caelorum etc;* apud Joannem XXI 15: *Pasce agnos meos, pasce oves meas;* apud Lucam XXII 32: *Rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* Recte ajebat S. Bernardus ad Eugenium III *lib. 2 de consider. cap. 8 col. 423 vol. 1 ed. Mabillonii Paris. 1719*: *Sunt quidem et alii caeli janitores, et gregum pastores. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos: Tibi universi crediti, unus unus. Nec modo ovium, sed et pastorum tu unus omnium pastor. Unde id probem, queris? Ex verbo Domini. Cui enim, non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum, sic absolute, et indiscrete totæ commissæ sunt oves? Si me amas, Petre, pasce oves meas. Quas? illius, vel illius populi, civitatis, aut regionis, aut certi regni? Oves meas, inquit. Cui non planum, non designasse aliquas, sed assignasse omnes? Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil. Et forte præsentibus ceteri condiscipuli erant, cum committens uni, unitatem omnibus commendaret in uno grege, et uno pastore... Inde est, quod alii singuli singulas sortiti sunt plebes, scientes sacramentum. Denique Jacobus, qui videbatur columna Ecclesiæ, contentus est Hierosolyma, Petro universitatem cedens.*

(2) Verba hæc sunt Concilii Florentini *loc. cit.* Confer etiam Concilium Lateranense IV in *decret. 5 de dignit. Patriarchar tom. 15 Concil. col. 957*, Concilium Constantiense, à quo damnata est propositio 41 Joannis Wiclefi agentis: *non est de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Eccles. tom. 16 col. 121; itemque propositio 9*

Joannis Hus col. 249 ib., consule præterea fidei professionem, quæ apud catholicos ubique gentium obtinet, quamque Clerus Gallicanus à calumniis vindicat hæreticorum tom. 1 Actor. Cler. Gallican. pag. 95 seqq. edit. Paris. an. 1716, et Expositionem fidei eidem Clero probatam ib. pag. 190. Videndæ autem in primis sunt Pii VI. Pontificis Maximi, literæ gravitatis, dignitatis, veritatis, auctoritatisque plenæ, quæ incipiunt *Super soliditate*, datæque sunt die 28. Novembris an. 1786.

14. Multa hinc jura sunt, quibus potitur Romanus Pontifex, quia caput Ecclesiæ est, centrumque unitatis, quia Primatum habet ordinis, et jurisdictionis, quia regere, et gubernare Ecclesiam universam debet. Nimirum cum unitas Ecclesiæ postulet, ut una sit omnium fidei, morum, ac generalium capitum disciplinæ consensus, consequens est, ut hæc regi, administræque Romani Pontificis judicio, et auctoritate debeant. Itaque earum rerum, quæ ad hæc cuncta pertinent, Summus Pontifex ab omnibus certior est faciendus, ad quod spectat jus petendarum, accipiendarumque relationum (1), ipseque de his rebus controversias judicat.

(1) *Non enim optimum*, inquit Sardicensis Concilii Patres in ep. synodic. ad Jul. 1 apud Labbæum tom. 2 conc. col. 690 ed. Ven., et valde congruentissimum esse videbitur, si ad caput, idest ad Petri Apostoli sedem de singulis quibuscumque provinciis Domini referant Sacerdotes? Sane primo ipso Ecclesiæ sæculo Corinthii Clementem P. de eorum Ecclesiæ statu certiores fecerunt, ab eoque datæ sunt ad illos literæ, quibus omnia considerata, et provisæ sunt, quæque extant apud Cotelerium PP. Apostol. tom. 1 pag. 145 ed. Antwerp. 1698 et quas memorat Eusebius histor. eccles. lib. 5 cap. 6 pag. 187 ed. Taur. 1746. Videndus idem Eusebius lib. 4 cap. 23 pag. 160, ubi ostendit, qua reverentia Corinthii tum ipsas Clementis, tum Soteris ejus successoris literas acceperint, et lib. 5 cap. 3 pag. 184, ubi refert Legationem II Ecclesiæ sæculo missam à Confessoribus Lugdunensibus ad Eleutherium Pontificem, pro Ecclesiarum statu. Confer etiam rescriptum Innocentii I ad Conc. Carthag. et ad Conc. Milevit. apud eundem Labbæum tom. 5 Conc. col. 44 et 47, Cyrillum Alexandrinum ep. ad Cælest. P. par. 1 Conc. Ephes. cap. 14 col. 889 eod. tom. 5, Bonifacium I ad Episc. Illyric. in collect. Romana Lucæ Holstenii par. 4 pag. 69, Hieronymum ep. 125 num. 10 tom. 1 pag. 901 ed. Vallarsii Veronæ, Augustinum ep. 186 al. 106 ad Paulin. num. 2 pag. 505 seq. tom. 2 opp. ed. Antwerp. 1700, Leonem M. ep. 12 ad Anas. Thessalon. cap. 11 opp. tom. 1 col. 690 ed. Venet. 1755. Mitto cetera testimonia, quæ collegit Mamachius del diritto libero della Chiesa, lib. 5 par. 2 cap. 5 not. 1 pag. 18 et seq.

(N. S. In Hispania luculentissima habemus monumenta, quibus demonstrari possit R. Pontificis Primatus. Ac primo, quoad Canonum curandam observantiam, exstat Siricii P. Epist. ad Himerium Tarracon. data 5 Id. Februar. an. 385, in qua præfatus Pontifex, cujus prædecessorem consuluerant Tarraconenses, diserte ait in fine: *Nunc Fraternalitatis tuæ animum ad servandos Canones... magis ac magis incitamus, ut hæc, quæ ad tuam consulta rescripsimus, in omnium Coepiscoporum nostrorum perferri fa-*

cias notionem. Tum et Innocentii I ad Episcop. Syn. Tolet., quos ad acutam Concilii Nicæni disciplinam observandam exstimulavit. Tum etiam Hilarii P. ad Ascanium, et reliquos Tarracon. Prov. Episc. data 5 Kalend. Januar. an. 465, in qua decernit: quod nihil deinceps contra Nicænorum Canonum constitutum tentetur. Tum denique Hormisdæ P. ad univers. Episc. Hispan. data 4 Nonas April. an. 521, in qua nihil nisi summa in promovenda Sacrorum Canonum observantia, vigilantia adparet.

Secundo, quantum ad fidei confirmanda dogmata, in eisque firmandos fideles, vel devios revocandos, ex eo vel maxime constat Primatus, quod Leo M. Turibio Asturicensi Episcopo scripserit 12 Kalend. Augusti an. 447, et cuncta sigillatim Priscillianæ hæresis capita diris devoverit, ac præterea Synodum totius Hispaniæ, vel saltem Galliciæ, ad extirpandas erroris reliquias indixerit. Dein ex Epist. Vigilii P. ad Profuturum Brac., qua Hispaniensis Ecclesia in detestandis Prisciliani, et Arii erroribus confirmaretur. Denique ex Epist. præfati Hormisdæ P. ad omnes Episc. Hispan., missa una cum Orientalium Patrum professione, ut unitatem fidei, et nostram cum eis communionem stabilendam curaret.)

15. Atque in eo quidem judicio, quod Pontifex *ex cathedra* emittit, hoc est universalis Magistri suscepta persona, in definiendis fidei controversiis errare non potest (1). Nam erroris expertem esse oportet, quem Christus Ecclesiæ præposuit, ut Christianos omnes cogat ad eandem secum unitatem, præsertim in fide, adeo ut qui ab ejus doctrina discedit, hæreticus, et schismaticus habeatur.

(1) Videndi Bellarminus de Romano Pontifice lib. 4 cap. 5 et seq. tom. 4 opp. pag. 394 ed. Ven. 1721, Melchior Canus de loc. theolog. lib. 6, Jacobus Ilyacin. Serry diss. 1 de Rom. Pont. falli et fallere nescio cap. 1 et seqq., Cardinalis Orsius, de irreformabili Romani Pontific. in definiendis fidei controversiis, judicio. Petrus Ballerin. de vi ac rat. Prim. Rom. Pontific. cap. 15 pag. 260 et seqq. ed. Augustæ Vind. 1770., Veith Richerii Sistem. sect. 2 §. 26 p. 121, Cl. Mamaehus antiq. Christian. tom. 5 par. 4 pag. 95 et seqq. et pag. 154 et seqq. et in lib. contr. Auctorem opusc. Quid est Papa? tom. 1 ep. 1 num. 14 pag. 57 et eqq., et Cl. Vincentius Lupolus Episcopus Telesiensis Jur. Eccles. prælect. tom. 2 cap. 2 §. 59 in not. Quando autem Pontifex aliquid ex cathedra definire, aut potius tamquam privatus Doctor rem agere videatur, explicat Ballerinius loc. cit. cap. 15 §. 6 pag. 285.

16. Jurisdictionis, et potestatis, quam Summum Pontificem in universam Ecclesiam habere diximus, multa sunt capita. Nimirum ipse leges ecclesiasticas condit, quibus universa Ecclesia teneatur (1), conditas, cum opus est, relaxat, (2) pœnis animadvertit in eos, qui legibus non obtemperant (3), judicat graviores causas ecclesiasticas (4), habetque jus appellationum (5). Cum enim recta earum ratio sit, ut ab inferiore judice ad super-

riorem provocetur, ac denique ad eum, ultra quem progredi iudicium non potest; facile intelligitur, in rebus ecclesiasticis appellandum demum esse Summum Pontificem, qui omnium est Princeps, et cujus iudicium soli Deo subicitur. Quod si in rebus civilibus semper postrema appellatio ad illum fertur, penes quem est summa earum rerum potestas; cur non etiam in rebus ecclesiasticis postrema hæc appellatio dabitur ad Summum Pontificem, qui tamquam princeps, et caput Ecclesiæ, summam in his rebus potestatem habere debet?

(1) Initio Romani Pontifices, uti demonstratum supra est in *Prolegom. cap. 5 §. 55 n. 2, et 3*, generales leges ut plurimum in concilio edere solebant, sed sæpe etiam mandata sua comprehendebant literis, quibus omnes parere cogebantur. Plures sunt hujusmodi literæ decretales, atque ex iis, ut omnes norunt, pars magna canonici juris conficitur. Dionysius Exiguus has decretales primus collegit sumpto initio à Siricio, sed tamen certum est, ab antiquioribus quoque Pontificibus datas fuisse similes literas, quæ extant apud Constantium *Epist. Roman. Pontif.* Certe ipse Siricius *ep. 1 ad Himer. Tarraconen. c. 1* apud Constantium *loc. cit. col. 624*, memorat *missa ad provincias à venerandæ memoriæ prædecessore meo Liberio generalia decreta*. Atque illa Siricii epistola *ad Himerium*, qua Sacerdotes, et Diaconi jussi sunt abstinere se ab uxoribus, quas ante sacros ordines duxerant, quot in Hispaniis, uti observat Bianchius *della potestà è polizia della Chiesa lib. 2 cap. 5 §. 5. tom. 4 pag. 458 et seq.*, turbas excitare debuisset; quod tollebat vetus consuetudo earum regionum, et civili reipublicæ damni aliquid inferri videbatur? Et tamen omnes Pontificiæ legi paruerunt, ac Siricii successor Innocentius I. eandem legem observari in Galliis voluit, datis literis ad Vitricium Rotomagensem, et Exsuperium Tolosanum apud Constantium *loc. cit. col. 745 seqq. et col. 789 seqq.* Dubitari vero non potest, quin hæc literæ vim legis habuerint, uti ostendit sanctio, seu pœna constituta in eos, qui his legibus non obtemperarent. Qua eadem sanctione munitæ sunt literæ ceterorum Pontificum, uti patet ex Zosimo *ep. 9 ad Hesych. Salonit.*, Celestino *ep. 5 n. 3* apud Constantium *loc. cit. col. 970 et 1074*, Leone M. *ep. 4 cap. 5 opp. tom. 1 col. 616 ed. Balerin. Venet. 1755*, aliisque compluribus, quos notimus, ne longiores simus. Confer Cl. Zaccariam *Anti-Febronio par. 2 lib. 2 cap. 1 et cap. 2* et confer librum Romæ editum an. 1791 cui titulus: *Testimonianze delle Chiese di Francia etc. tom. 1 Istruz. Pastorale di M. Vescovo d' Amiens p. 25, 27, 51, 55, 45, 49, 67, 89.*

(2) Ut relaxare quis possit legem, supra eam potestatem habeat necesse est. Hanc autem in leges ab universa Ecclesia conditas non alius habere potest, quam qui Ecclesiæ caput, princepsque est, cujus in totam Ecclesiam fertur jurisdictio. Atque hanc quidem potestatem propriam Summi Pontificis agnovit ipsa Synodus Basilensis *in ep. Synod. n. 5* apud Labbæum *conc. tom. 47 col. 484*, et agnovit ipse Dupinius *de antiq. Eccl. discipl. dissert. 4 cap. 2 §. 5*. Sane plenæ sunt ecclesiasticæ historiæ dispensationum, quæ à Sede Apostolica concessæ sunt. Paulo post initium IV. sæculi Melchisedes P. decretum edidit *de Episcopis, qui quibuscunque locis, si duo essent ordinati, quos dissensio geminasset, is confirmaretur, qui*

*fuisse ordinatus prior; alteri autem eorum plebs alia regenda provideretur, et hanc quidem dispensationem laudat Augustinus ep. 53 ad Glorium et Eleasium n. 16 pag. 72 tom. 2 opp. ed. Antwerp. 1700. Eodem IV. sæculo ad exitum vergente Siricius ep. 1 ad Himerium Tarrac. n. 49 apud Constantium ep. Pontif. Roman. col. 656 iis, qui ignorantes ad sacram militiam indebite irrepsissent, veniam dedit, ut in ordine, quem tenerent, perseverare possent; et initio V. sæculi Anastasius I. rogatu Episcoporum Africae clericis, qui Donatistarum partes sequuti fuerant, ministrare perarissit in ordinibus, quorum munera exercuerant, cum in ea secta versarentur. Confer Codicem Canonum Ecclesiæ African. c. 63 apud Justellum *Biblioth. Jur. can. tom. 1 pag. 565 ed. Paris. 1661. Constantium loc. cit. col. 755 et 754*, et Thomassinum *Vet. et nov. Eccl. discipl. par. 2 lib. 5 cap. 25*. Illustris est etiam venia data à Simplicio Pontifice *ep. 14 ad Zenon. apud Labbæum tom. 5 concil. col. 110*, rogatu Zenonis Imperatoris, qua firmata est ordinatio Episcopi Antiocheni, qui contra Nicænos Canones creatus fuerat. Synodus Romana VI. apud Labbæum *tom. 5 Conc. col. 509 ed. Venet.*, quæ pluribus constabat tum Italiae, tum aliorum provinciarum Episcopis, mirifice approbavit testimonium, quod tulit Symmachus Pontifex de auctoritate Sedis Apostolicæ concedendarum dispensationum, quas temporum ratio postularei. Consule Thomassinum *Vet. et nov. Eccl. Disciplin. par. 2 lib. 5 cap. 24*, Natalem Alexandrum *Hist. Eccles. histor. 5. sæc. tom. 5 cap. 5 art. 3 tom. 5 pag. 8 et de Photian. schismat. dissert. 4 §. 22 in fin. pag. 558 tom. 6 ed. Venet. 1776*, Mamachium *advers. auct. opusc. Quid est Papa? ep. 5 §. 11 tom. 1 pag. 252 ed. an. 1787*, et doctissimum Card. Gerdilium *Confutazione di duo libelli contro il Breve Super Soliditate tom. 1 pag. 55, 115 seqq. et tom. 2 pag. 123*, à quibus et alia dispensationum exempla referuntur.*

Non ergo Episcopi est super jure ecclesiastico communi dispensare: quæ generalis regula et Innocentii III *cap. 20 de Electione*, et Joan. XIII *Extrav. unic. de Relig. domibus* auctoritate nititur. Porro rationi repugnat, inferiorem superioris legem tollendi potestate potiri. Unde cordatiores Canonistæ talem solummodo facultatem Episcopis asserunt, cum ipsis jure scripto, vel legitima consuetudine, aut speciali delegatione concessa est; atque iis in casibus, in quibus nec Rom. Pontificem consulendi tempus datur, nec aliunde sine gravibus malis, nedum denegari, verum neque differri dispensatio potest; tunc enim præsumpta, et interpretativa S. Sedis delegatio accommodatur.—Sed de hoc sapienter Card. J. Soglia *Inst. J. Publ. Eccl. lib. 2. cap. 2, §. 49.*

(3) Quæ enim, inquit S. Cælestinus P. *epist. 5 num. 5* apud Constantium *loc. cit. col. 1074*, sola admonitionis auctoritate non corrigimus, necesse est per severitatem congruentem regulis vindicemus. Nota sunt omnibus quæ contra quartadecimanos, contra rebaptizantes, contra alios Pontificis legibus non parentes à Victore, Stephano, ceterisque Pontificibus gesta sunt. Consule præterea, quæ superiore *not. 1* diximus de pœna adversus eos constituta, qui Pontificis legibus non parent.

(4) Jus hoc, quo in qualibet societate potiri debet quisquis in ea supremum est caput, et summam habet jurisdictionem, semper Romanos Pontifices exercuisse certum est; atque hinc ad Sedem Apostolicam graviora quæque negotia semper referri consueverunt, ut de iis iudicium ferret. Si majores causæ, inquit Innocentius I. *ep. 2 ad Victric. Rotomag. cap. 3* apud Constantium *loc. cit. col. 749*, in medium fuerint devolutæ, ad sedem

Apostolicam, sicut Synodus statuit, et beata consuetudo exigit, post iudicium Episcopale referantur. Sed dignius præsertim cura, et observatu est Bonifacii I, locus ep. 15, ubi statuitur, graviore causas statim, primoque iudicio ad Sedem Apostolicam esse deferendas; ac multis, ut ipse inquit num. 6 col. 1042 apud Constantium patere ostenditur *documentis, maximas orientalium Ecclesias in magnis negotiis, in quibus opus esset disceptatione majore, sedem semper consuluisse Romanam, et quoties usus exigit, ejus auxilium postulasse.* Eadem hæc sententia expressa est in Capitularibus Regum Francorum *Capitular. Aquisgranem, an. 805* apud Baluzium tom. 1 cap. 4 col. 270 ed. Venet. 1772, ubi de gravioribus quibusdam rebus ecclesiasticis visum est *Apostolicam Sedem consulere, jubente canonica auctoritate, atque dicente: si majores causæ in medium fuerint devolutæ, ad Sedem Apostolicam, ut sancta synodus statuit, et beata consuetudo exigit, incurrantur referantur.* Confer etiam Zosimum ep. ad Episc. Gallie apud eundem Constantium col. 958, Sixtum III. ep. 8 ad Synod. Thessal. col. 1265. eod. loc. Leonem M. ep. 5, 6, 13, 14. tom. 1 col. 519, 622, 678, 685. edit. Ballerin. Atque hi omnes, cum de tali jure loquuntur, semper illud antiqua consuetudine receptum ostendant, ut proinde risum moveant, qui etiam ad hoc jus Sedis Apostolicæ pertrahunt Isidorianas Decretales, quæ multo postea prodierunt. Quid? Aliarum insignium orientalium Sedium hæc in re prærogativam quis ignorat? Antiochenæ Sedi, quæ S. Petrum habuit auctorem, hoc jus in toto Oriente ejusdem Sedis Antistiti Alexandro asseruit Innocentius I. ep. 24 num. 1 apud Constantium col. 852. *Ut sicut Metropolitanos auctoritate ordinis singulari, sil et celeres non sine permissu, conscientiaque tua sinas Episcopos procurari.* Et rationem post pauca addit: *quod enim te maxima expectat (hoc est, ut explicat Constantius, ad te pertinet) cura, præcipue tuum debent mereri iudicium.* Quid dicam de Episcopo Constantinopolitano, postquam in eam civitatem imperii sedes translata est? Socrates *histor. eccles. lib. 7 cap. 28 pag. 517 ed. Taurin. 1747* legem memorat, *qua sancitum est, ne præter sententiam Episcopi Constantinopolitani ulla fiat Sacerdotis (id est Episcopi) ordinatio.* Extat quoque Theodosii lex ad Philippum Præfectum Prætorio Illiryci L. 45 *Cod. Theod. de Episc. et Cler.* qua cautum est, ut in Illyricanis provinciis si quid dubitatis emergerit, id oporteat non absque scientia viri reverendissimi sacrosanctæ legis antistitis urbis Constantinopolitanæ, quæ Romæ veteris prærogativa lætatur, conventui sacerdotali, sanctoque iudicio reservari. Profecto si hoc privilegium concessum est Episcopo Constantinopolitano, quod ea urbs Romæ veteris prærogativa lætatur, petiori jure dici debet affixum Romæ Urbis Episcopo, ut in causis gravioribus nihil sine ejus scientia, et consensu fieret. Ea lex revocata quidem deinceps fuit: sed cum fuerit e medio sublata, ne jura Summi Pontificis aliquid caperent detrimenti, manifestum est eadem jura, quæ ut integra servarentur, lex illa abrogata fuit, in Episcoporum, aliisque gravioribus causis confirmatam fuisse.

(3) Jus appellationum, inquit Natalis Alexander *histor. eccl. sæc. 4 dissert. 28 de jur. appellationum etc. tom. 4 pag. 462 ed. Venet. an. 1776, est appendix Primatus S. Petro, et ejus successoribus à Christo collati, non est à Synodo Sardicensi, aut quavis alia institutum.* Revera complurima sunt exempla appellationum, quæ ante Synodum Sardicensem ad Sedem Apostolicam delatæ sunt. Videnda in primis est dissertatio Romæ edita anno 1768 *de appellationibus ad Romanum Pontificem*, et Joannis Marchetti dissertatio itam Romæ edita an. 1795. *Del Concilio di Sardica, e de suoi ca-*

noni su la forma de' guidizi ecclesiastici. Verum de appellationibus ad Sedem Apostolicam agam copiose lib. 5.

17. Ipse etiam Superioris jurisdictione solvit, quos solvendos iudicat (1), plenarias Indulgentias largitur (2), generate Concilium indicit, eique præsidet vel per se, vel per Legatos suos, atque ejus decreta confirmat (3). Quis enim omnes vocabit Episcopos, et eorum cætui præsidebit, et constituta confirmabit, nisi qui omnium est caput, qui omnes in unum commune centrum unitatis conjungit, et sine quo neque Episcopi universam Ecclesiam representare, neque eorum decreta Ecclesiæ universæ decreta haberi possunt?

(1) Consule S. Bernardum *de consider. lib. 5 cap. 4 num. 14 opp. tom. 2 pag. 492 edit. Venet. 1765.* et vide etiam Natalem Alexandrum *hist. sæc. 11 et 12 cap. 7 art. 8 pag. 155 tom. 7 cit. ed. Venet. et dissert. 12 de sac. Synod. Trident art. 16 schol. 15 tom. 9 pag. 534.* Verum ea de re alius erit agendi locus.

(2) Concilium Lateranense IV. cap. 62 apud Labbæum tom. 15 *Concil. col. 999 ed. Venet.* Constantiense in Bulla Martini V. *inter cunctas ibid. tom. 16 col. 762.* S. Thomas *supplem. 5 part. quæst. 26 art. 5.*

(3) Confer quæ supra diximus in *Prolegomen. cap. 5 §. 53. not. 1, 2, 3.*

18. Et quoniam Summo Pontifici non solum ovium, sed etiam Pastorum gubernatio, totiusque Ecclesiæ procuratio commissa est, curam etiam, et sollicitudinem habere debet Episcoporum, qui particulares Ecclesias regunt. Quare ipse creat (1), ac transfert Episcopos (2), eorumque arclat, et constringit potestatem, quam obnoxiam habet (3), eosdem propter crimina Episcopatu dejicit (4), atque etiam restituit (5); Episcopatus constituit (6), et plures in unum conjungit, aut unum distrahit in plures (7), cum alterutrum postulat Ecclesiæ utilitas, ejus sollicitudo Summo Pontifici incumbit.

(1) A Sixto Pontifice septem in Galliis Episcopos constitutos fuisse, narrat Gregorius Tironensis *Histor. Franc. lib. 1 cap. 23 col. 25 ed. Paris. 1699, et Tom. 2. Rerum Gallic. et Franc. Mart. Bouquet. Paris. 1759 pag. 147;* ab eodemque Pontifice primum ad Rhemensem Metropolitum directum fuisse Sixtum, scribit Hincmarus Rhemensis *Opusc. 55 c. 16 pag. 451. Tom. 2. ed. Paris 1645.* Primus Scotorum Episcopus Palladius, eoque vita functo, Patricius à Cælestino P. creatus est. Prosper in *Cronic. col. 744 ed. Paris. 1711.* Bedæ *lib. 1 hist. Gen. Angl. cap. 15 pag. 55 edid. Cantabr. 1645,* Marianus Scotus *lib. 2 cætat. 6 ad an. 451.* Alia multa ea de re monumenta habes apud Joannem Diaconum in *vit. S. Gregor. M. lib. 5 cap. 7 opp. S. Greg. tom. 4. col. 86 edit. Maurin. Paris. 1703,* et aliud apud Optatum Milevit. *contra Parmen. lib. 1 pag. 23 ed. Paris. 1676;* quem in lo-

Nostrates Reges Episcopos propria auctoritate deposuisse, non desunt qui asserere audeant: quod ut probeant, tria maxime exempla producunt; videlicet Sisebutum Eusebium Barcinonensem; Sanctium Crassum Sisenandum, Alphonsum VI Pelagium, Compostellanum Præsides, è sedibus projecisse contendunt. Quod ad primum attinet, licet rem narret J. Mariana (lib. 6, cap. 6.), at tamen M. Fr. H. Florez (*España Sagrada* t. 25 tr. 65, c. 2.), haud levibus rationibus ductus, demonstrat, neque talem ea tempestate exitisse Barcinon. Episcopum, nec Sisebutum Regem in quid simile intendisse; illud unice conatum, ut in prædictam cathedram adscenderet quidem ab ipso designatus Præsul, cujus institutioni etsi initio non faveret Tarracõnensis Metropoli, præcibus tamen Monarche motus, illius postea ordinationi annuit; de quo unice versatur Sisebuti epistola, quam pro destitutionis argumento consignat Mariana. De Sisenando quoque, coetaneis monumentis inixus, M. Florez (t. 19, tr. 59 c. 6) tradit eum, nec Ecclesiæ bona dissipasse, quod jactant illius depositionis assertores, nec revera à Sede ejectum; cum, ex adverso, à normannis, subditorum ac propria auctoritatis defensor, interfectus sit. Si de Pelagio (D. Didaco Pelaez) queratur, destitutus hic quidem fuit. Rex utique ejus expulsionem promovit; non vero per se attentavit; sed à Legato Apost. Ricardo, ac demum à PP. Urbano II et Pasehali II successive obtinuit, ut constat ex *Hist. Compostell. lib. 2, 5 etc.*

(5) Longum esset omnia colligere exempla Episcoporum, quos gradu motos Sedes Apostolica omni ætate restituit; pauca tantum indicabo, ex quibus de hoc jure certissimo Summorum Pontificum facile est judicare. S. Cyprianus ep. 68 pag. 114 ed. Rigaltii Paris. 1666 de Basillide justas ob causas deposito agens, *Roman pergens*, inquit, *Stephanum Collegam nostrum longe positum, ac tacite veritatis ignarum sefellit, ut exambiret, reponi se in Episcopatum, de quo fuerat juste depositus*. Ergo restituendi potestatem in Stephano Pontifice agnovit. Sæculo consequenti Eustachius Senastenus Episcopus, cum in Concilio Mitelensi Arianorum depositus fuisset, provocavit ad Liberium Pontificem, cujus sententia Sedi suæ restitutus fuit, uti testatur S. Basilius ep. 265 num. 5 pag. 406 tom. 5 opp. ed. Maurin. Paris. 1750, oblatisque literis ejusdem Pontificis, susceptus est à Patribus Concilii Tyanensis, quamvis antea hæreseos Arianae suspectus fuisset. *Quenam autem*, inquit S. Basilius, *sint illi à Beatissimo Episcopo Liberio proposita, et ad quæ consenserit, nobis clam est; nisi quod epistolam attulit, qua eum restituebat, eaque ostensa Concilio Tyanensi, in suum locum restitutus est*. Quin etiam cum ipse Eustachius deinceps in errores iterum lapsus fuisset, omnes Episcopi dioceseos Ponticæ in Tyanensi Synodo congregati eum damnare ausi non sunt, nisi primum de ejus crimine certiores faceret Summum Pontificem, ab eoque facultatem impetrarent, uti constat ex epistola Basili, cujus nunc mentionem feci. S. Joannes Chrysostomus non solum à Synodi judicio, à quo è gradu dejectus fuerat, ad Innocentium P. provocavit, sed etiam suas proposuit querelas adversus Theophilum Patriarcham Alexandrinum, ceterosque Episcopos, à quibus injurias acceperat, rogavitque Pontificem in epist. apud Palladium in ejus vita opp. Chrysostom. tom. 13 pag. 9 ed. Montfauconii Paris 1758 his verbis: *rogo ut per epistolas denunciatis, ea quæ tam inique acta sunt ab una parte, absentibus nobis, et non declinantibus judicium, nullum habere robur, sicut ex sua natura nullum habent, et ut qui talia ausi sunt, Ecclesiasticarum legum pœnis subjiciantur. Nos igitur, qui nec convicti, nec reprehensi sumus, nec rei demonstrati, literis vestris frui date, et charitate vestra, ceterisque omnibus, ut antea*. Qua in controversia etiam Theo-

philus, qui omnes illas contra Chrysostomum turbas excitaverat, ad Innocentium provocavit, datis literis, quibus lectis, uti narrat Palladius loc. cit. pag. 4, *Beatus Papa Innocentius parum absuit, quin temeritatem Theophili, atque superbiam condemnans exhorresceret, quod et solus scripsisset, nec claram ejus notitiam misisset, aut, cur, aut quibus assumptis negotiis Joan. deposuisset*. Pontifex Chrysostomum restituit, uti ostendit Palladius loc. cit. pag. 9 seq.; neque Alexandrum Antiochenum Patriarcham, et Acacium Beroensem Episcopum, Apostolicæ communionis participes fecit, nisi primum constaret omnibus esse conditionibus satisfactum in causa beati, et vere Deo digni Sacerdotis Joannis, uti ipse loquitur in ep. 19 ad Alexandr. Antioch. n. 1, col. 845. apud Constantium. Pertinet etiam ad hunc locum restitutio Theodoretus Episcopi Cyri, quam S. Leo M. fecit, uti patet ex ejus epist. 120 ad ipsum Theodoretum tom. 1 opp. col. 1218 ed. Ballerin., quæque etiam Concilio Chalcedonensi probata est. act. 3 tom. 4 col. 1525 collect. Labbæi, Hadriani Episcopi Thebani, quam S. Gregorius M. absolvit, uti constat ex ejus ep. 6 lib. 2 ad Joan. Epist. col. 627 tom. 2 ed. Maurin. Paris. 1705, et quæ omnium, quas commemoravi, antiquissima est, restitutio S. Athanasii, de qua late agitur in dissertatione Romæ edita an. 1763 de appellationibus ad Romanum Pontificem.

(6) Confer Innocentium I. ep. 25 ad Decent. Eugubin. num. 2 apud Constantium ep. Roman. Pontif. col. 856, et Gregorium M. lib. 2 ep. 14 col. 578 tom. 2 opp. ed. Maurin. Paris. 1705, et Confer etiam Cl. Zaccariam in Antifebronio par. 2 lib. 1 cap. 7 tom. 5, ubi multa, et præclara ea de re exempla colliguntur.

(7) Vide S. Leonem M. ep. 66 ad Episc. Metropol. Arelat. c. 2 opp. tom. 1 col. 999 ed. Ballerin. Venet. 1755, et S. Gregorium M. lib. 1 epist. 3 ad Bacaulum Formien. Episc. tom. 7 opp. ed. Venet. an. 1770 pag. 12 lib. 2 cp. 45 ad Benenatum Episc. pag. 142 ep. 50 ad Joan. Episc. pag. 150 lib. 5 ep. 20 ad Gratiosum Episc. pag. 178 lib. 6 ep. 10 ad Bonifacium Episc. pag. 557 lib. 4 epist. 29 ad Januar. Episc. pag. 256 et seq. qui quidem Minturnensem diocesium Formiensi, Misenenam Cumanae, Trium Tabernarum Velitranæ, S. Anthemiannam Nomentanæ, Carinensem Rhegiensi junxit, Phausanianam autem à Calaritano divulsit. Recte igitur, verèque scripsit Urbanus II. ep. 4 ad Rainoldum Remensem tom. 12 conc. coll. Labbæi col. 741, Apostolicæ Sedis esse *Episcopatus conjungere, conjunctos disjungere, aut etiam novos construere*.

Episcopatum creatio, ut et conjunctio ac divisio, licet à R. Pontifice decernatur, non tamen in exitum solet perducì sine Cath. Principum assensu, cum aperte ea negotia externum societatis ordinem attingant. Hoc maxime in Hispania servatum videmus, tum ob generalem rationem nuper indicatam, tum propter nostratum Regum in istarum ditionum Ecclesias universalem Patronatum; unde rogantibus ipsis Sanctitas Sua in adductis casibus ordinario procedit; ut accidit ex. gr. proximo sæculo in Tutelensis erectione Sedis, ac præsertim in Canariensis dismembratione; quod denique confirmatur ex Conventione an. 1851 (pag. 84 et seq. istius vol.), cujus ea de reconceptos articulos sect. 1, tit. 2, et 5 tit. 5 hujus lib. insertos habes.

Porro talia Hisp. Principum antiqua facta perperam traducentes coetanei quidam regnicolæ scriptores, illos in diocesium divisione aliisque similibus disciplinæ capitibus omnia propria manu usque ad XII sæculum egisse, affirmare non dubitant. Quantum à vero distent qui istiusmodi à se devorata absurda in vulgus proferunt, opportune observat Auctor oppusculi: *Tratado de*

la Potestad Eclesiástica, Hispalis an. 1837 in lucem editi, unde quæ sequuntur transcribere lubet:

En qué documento han leído (los novadores) que la potestad eclesiástica no intervenía en las disposiciones que tomaban los reyes sobre las diócesis y obispados? Lo que es de pensar, es que, con la aprobación y consentimiento, tácito ó espreso, de los obispos, se hacían las erecciones, supresiones y agregaciones de que se trata; ni lo contrario se infiere de modo alguno de los documentos de aquellos tiempos. Podían considerar que, debiéndose todo á nuestros reyes, á su piedad y religion, se mencionaba lo que los reyes hacían, sin espresar lo demas que concurría para ello. Además; ¿qué argumento se puede formar de unos documentos que están estendidos en un latin bárbaro, y en que se espresaban sin propiedad alguna, como puede advertir cualquiera que los lea? Se espresaban en aquellos tiempos oscuros y groseros como podían, sin cuidar de especificar las cosas como se acostumbra en tiempos de otra cultura y erudicion. Lo que debían conjeturar es, que los reyes hacían lo que dicen aquellos documentos, y los obispos accedían á ello, y con su consentimiento daban el valor que es absolutamente indispensable á lo que la potestad civil determinaba.

Ni hay necesidad de conjeturas; de los mismos documentos consta varias veces, que intervenía la aprobación de los obispos; y lo mismo se debe pensar de las demas en que no la mencionan. Segun la escritura que cita Roman en la historia de Braga, se celebró concilio de obispos en tiempo de D. Alonso el Casto para la ereccion del obispado de Oviedo (puede verse á Florez en su *España Sagrada*, t. 15, trat. 55, c. 9). D. Alonso el Magno, en el privilegio concedido al obispo Sabarico para establecer su silla en Mondoñedo y agregarle otros territorios, dice espresamente que lo hace con la aprobación de los obispos. Don Ordoño II, en el privilegio concedido á la Santa Iglesia de Lugo, en el que agrega á esta Iglesia varios territorios, dice que procede autorizado por la Silla Apostólica. La supresion del obispado de Simancas en tiempo de D. Ramiro III, se hizo en un concilio junto con el rey y otros varones ilustres, por los obispos, Rosendo de Iria (el Santo), Hermenegildo de Lugo, Diego de Orense, Teodomiro de Dume (esto es de Mondoñedo), Gonzalo de Astorga y Sisnando de Leon (*Script. Eccl. Astur.*, Era 1012.) Apenas se halla privilegio ó documento de nuestros reyes sobre estos puntos y aun otros, que no tenga la confirmacion de los obispos del reino; de modo que no se puede prudentemente dudar de la intervencion de los prelados eclesiásticos en estas determinaciones de los reyes.

En realidad, poco mas ó menos, sucedía entonces lo que ahora: los reyes, como patronos de las Iglesias de sus reinos, procedían en la parte que les correspondía á las erecciones y demas que se ha dicho; y la potestad eclesiástica intervenía como es indispensable.... Este derecho es el que ejercieron nuestros reyes, no solo hasta el siglo XII, sino hasta el presente, y aun en nuestros mismos dias.... La diferencia mas notable que hay de aquellos tiempos á estos es, que entonces bastaba la potestad eclesiástica de nuestros obispos; y ahora, por la variacion de la disciplina, se requiere en muchas cosas la del Romano Pontífice; en aquellos tiempos se hacían las cosas con demasiada sencillez, y ahora se hacen con mas formalidad; pero en sustancia, lo mismo que es ahora era entonces.... (Cap. 11.)

19. Sunt et alia Pontificiæ potestatis capita, quæ omnia pertinent ad amplam illam jurisdictionem, qua ubique fruitur Sum-

mus Pontifex, atque ad curam, et sollicitudinem, quam habere debet, Ecclesiæ universæ. Ea sunt, ut Breviarium, et Missale Romanum corrigat, ac mutet (1), ut Regulares Ordinis approbet, atque confirmet, easdemque etiam justis de causis è medio tollat (2), ut insignes pietate viros albo Beatorum, vel Sanctorum adscribat (3), ut propter amplam, quam habet in tota Ecclesia, jurisdictionem ubique terrarum pontificalia exercere solus possit (4). Cetera, quæ ad Summum Pontificem pertinent, suis locis opportunius explicabimus.

(1) Olim unusquisque Episcopus suæ diocesis liturgiam moderabatur, quæ tamen à catholice Ecclesiæ doctrina non disereparet. Atque hinc orta est diversitas illa cæremoniarum, et precum, quæ occurrit in liturgiis SS. Basilii, Chrysostomi, Ambrosii, de quibus agit Cardinalis Bona *rer. liturg. lib. 1 cap. 6 tom. 1 pag. 90 et seq. ed. Taurin. an. 1747.* Sed denique utilitas concordium precum, et illa, quæ ex crebra rerum mutatione oriebantur, incommoda fecerunt, ut S. Pius V. in *Const. Quo primum 147 pag. 116 tom. 4 par. 5 Bullar. ed. Mainardi* in divinis officis, sacrisque peragendis ab omnibus servari voluerit ordinem Ecclesiæ Romanæ, quæ aliarum mater, et magistra est.

(2) Honorius III. SS. Dominici, et Francisci Ordines confirmavit, quo quidem facto evidenter ostendit, jus esse Romani Pontificis novos Ordines non instituere solum, sed etiam confirmare. Concilium Lugdunense II., œcumenicum, *can. 25 apud Labbæum concil. tom. 14 col. 555 ed. Venet.* sanxit, ut Ordines post Concilium Lateranense instituti, nec tamen à Sede Apostolica confirmati supprimerentur. Itaque Synodus novorum confirmandorum Ordinum in Summo Pontifice potestatem agnovit. Pergit eadem Synodus *loc. cit.* jubetque consistere Ordines post Lateranense Concilium institutos, atque ab Apostolica Sede confirmatos.

V. legg. tit. 26, lib. 1 *Novis. Compilationis*, ac Conventionis initæ inter S. Pont. Pium IX et actualem Hisp. Cath. Regimam an. 1851 artic. 29 et 30; de quibus istius lib. tit. 9 agendum erit.

(3) Alexander II. Sedi Apostolicæ reservavit potestatem referendi in Sanctorum numerum eos, qui heroica virtute claruissent. Ambigi vero non potest, quin hæc reservatio jure, et merito facta fuerit; et Synodus quidem Constantiensis *sess. 20 col. 585 tom. 16 concil. Labbæi* id jus Concilio œcumenico, et Pontifici adscribit. Revera si vetus est regula, quod majores causæ ad Apostolicæ Sedis judicium deferantur, uti demonstratum supra est, si Romani Pontifices pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas criminum graviore suo potuerunt peculiari judicio reservare, ut inquit Synodus Tridentina *sess. 14 cap. 7 de penitent.*, quis neget, eos sibi reservare potuisse causam de *canonizatione* Sanctorum, quæ gravissima per se est, et ad virtutem celebrandam, atque ad rem Christianam cunctam pertinet? Jam inde à sæculo V., vel certe non multo post acta Martyrum ad Summum Pontificem *ex more* mitti consuevissent, testatur Mabillonius *Acta SS. Ord. S. Benedicti. præfat. in sæc. V. n. 95 pag. 46. ed. Venet.* ut vel ab eo auctoritatem acciperent, vel ut in Romano Serinio asservarentur, vel denique ut in sacris Romane Ecclesiæ dypticis Martyres locum obtinerent. Atque ita quidem scribit Mabillonius, quoniam se in veteri

codice legisse tradit, gesta B. Martyris, ut moris erat, Urbis Romæ Episcopo transmissa fuisse, ut sacris Martyrum memorialibus inderentur etc. Ex quo intelligitur, jam inde ab eo tempore acta Martyram *sa ris memoria- libus* rite indi non potuisse, nisi, ut moris erat, ad Pontificem transmissa, ab eoque iisdem memorialibus indita fuissent. Videndus ipse Mabillonius *loc. cit. n. 101 pag. 52. seqq.* qui plures refert à Romanis Pontificibus inter sanctos relatos. Confer etiam Benedictum XIV. *de Beatif. et Canonizat. SS. lib. 1 cap. 10 et 11*, et Mamachium in *Auctor. Opusc. Quid est Papa?* ep. 5 §. 15 pag. 264 et seq.

Iustorum hominum quatuor veluti gradus distinguuntur, quorum singulis singularia nomina applicantur: nempe *Servorum Dei*, *Venerabilium*, *Beatorum*, atque *Sanctorum*. Servi Dei proprie ex recenti disciplina appellantur, qui cum publica sanctitatis fama obierunt: Venerabiles, quorum sanctitatis fama iudiciali ratione comprobata est: Beati, quorum cultus Pontificio decreto, nondum tamen supremo iudicio permittitur, ac probatur, certis præstitutis neque excedendis modis, in aliqua provincia, diocesi, civitate, aut religiosa familia deferendus: Sancti denique, quos supremo Papæ iudicio in universa Ecclesia colendos esse mandatur. Unde discreta fuit *Beatificatio* ut loquantur nostri à *Canonizatione*: siquidem *Beatificatio* est *actus*, quo *Pont. Maximus* Beatorum titulo decorat iustorum animas, *indulgens certis locis, aut collegiis, ut illas cultu Beatis debito prosequantur*; *Canonizatio* autem est *actus Pont. Maximi, sententia definitiva pronuntiantis, iustorum quorundam animas cum Christo regnare, propterea que jubentis ut eadem in tota Ecclesia cultu Sanctis debito colantur*; dicta canonizatio, quasi adscriptio in Canonem sive in catalogum Sanctorum, Ita Cl. C. S. Berardi, *Comm. in 5 lib. Decretal. par. 1, diss. 5, cap. 5.*— V. Gonzalez Tellez ad cap. *Audivimus de rel. et vener. Sanct.*

(4) Sexcenta hujus generis tum antiqua, tum recentia monumenta afferre possem, sed operis brevitatis impedimento est. Unum afferam ex Joanne P. I., qui initio sæculi VI. die Dominico Resurrectionis in Ecclesia Constantinopolitana latino ritu pontificalia exerevit. Confer Pagium in *Baronium ad an. 525 n. 4 pag. 540 tom. 9 edit. Lucæ cit.*, et Card. Orsium *Istor. Eccles. lib. 59 n. 25.*

(N. S. R. Pontificis quoque est celebriora quædam vota relaxandi facultatem sibi tantummodo vindicare, uti reapse reservata sunt quinque vota, scilicet, castitatis perpetuæ, ingrediendi Religionem approbatam, et peregrinationis in Jerusalem, ad limina Apostolorum, et ad S. Jacobum in Compostella.)

20. Atque ea, quæ diximus, jura sunt Romani Pontificis in tota Ecclesia, quoniam in totam diffunditur Primatus, quem ipse habet tanquam Petri successor, qui que à Romana Sede disjungi non potest. Cum enim Christus Primatum attribuerit Petro, atque iis, qui Petro in Episcopatu succederent, cumque ipse Sedem posuerit Romæ, ubi mortuus est; sequitur, ut tantum Romani Pontifices Petri successores sint. Quare Primatus adimi Romanis Episcopis, atque in alium Episcopum transferri non potest, quoniam si transferretur, hic non esset Petri successor; at

vero nonnisi Petri successores, voluntate, institutioneque Dei, Ecclesiæ Principatum habere debent (1).

(1) Cum Petrus, ut inquit Benedictus XIV. *de Synod. diæces. lib. 2 cap. 1. num. 1*, Romæ sedem constituerit, eamque usque ad mortem retinuerit, sive id eveniret ex divino præcepto, seu expressa revelatione ipsi Petro specialiter à Deo facta, sive ex sola voluntate Petri, licet divinitus inspirata; inde factum est, ut supremi Pontificatus prerogativa ita insula remanserit Romanæ Sedi, ut qui in hac Petro succedit, necessario succedat in totius Ecclesiæ primatu Petro, ejusque legitimis successoribus à Christo collato. Confer, præter eundem Benedictum, Ballerinium *Vindic. auct. Pontif. etc. cap. 3 §. 2 pag. 225 et seq. Augustæ Vindel. an. 1770*. Mamachium *ad Auctor. opusc. Quid est Papa? ep. 6 n. 2 pag. 65 et seq.* Dissertationem Augustoduni editam an. 1782 cui titulus *Epistola Sillasipi à Lapide in causa, an Summus Pontificatus à Romana Ecclesia avelli, et alio transferri possit?* Cl. Bolgenium *L' Episcopato, ossia della potestà di governare la Chiesa par. 1 c. 5 n. 29 ad 40 pag. 59 et seq.* et doctissimum Card. Gerdilium *Confutazione di due libelli etc. tom. 1 pag. 175 et tom. 2 pag. 75, 80, 182, 190*. Primus autem Photius, vir schismaticus, ut animadvertit ipse Cardinalis Gerdilium *loc. cit. tom. 2 pag. 81*, totius Ecclesiæ Primatum ex cathedra antiquæ Romæ ad Sedem novæ Romæ transferri posse putavit, quem errorem antea conclusum, è regione schismaticorum, integravit Wicleffas propositione illa, quam Synodus Constantiensis damnavit: *Non est de necessitate salutis credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias.*

21. Sed Summus Pontifex est etiam Episcopus Urbis Romæ, Archiepiscopus, et Metropolita Romanæ Provinciæ (1), Primas Italiæ, Patriarcha Occidentis. Nec prætereunda potestas temporalis, sive politica, quam habet in tota ditione Ecclesiastica, more Principum ceterorum, qui summo potiuntur imperio. Potestas hæc, sive repetatur ex consensu populorum, sive ex Principum donationibus, sive ex diuturna præscriptione, sive etiam ex onerosis contractibus, tam justum porro est, tamque legitimum Pontificium Imperium, ut nemini potiora jura esse possint (2).

(1) Jus metropoliticum Summi Pontificis ultra centesimum ab urbe lapidem producendum, negant Jacobus Gothofredus, et Claudius Salmasius, quoniam hoc locorum intervallo contineri putant suburbicarias Ecclesias, quarum sollicitudinem gerere Pontificem, ex *can. 6 Nicæno* inquit Rufinus *hist. lib. 10 cap. 6 int. Auctor. Hist. eccles. p. 221 Basileæ 1528*. Sed longe ampliores hujus metropolitici juris fines esse, demonstrat Simonius tribus, quos adversus Gothofredum, et Salmasium evulgavit, libris, quorum primus inscribitur: *Censura conjecturæ anonymi scriptoris de suburbicariis regionibus, et ecclesiis*; alter: *Adventoria causidico Divionensi adversus Amici ad Amicum Epistola, de suburbicariis regionibus, et ecclesiis, cum censura conjecturæ alterius anonymi*; tertius: *Propempticum*. Confer Bianchium *della Potestà è della Polizia della Chiesa lib. 2 cap. 1*

§. 16, et Benedictum XIV de Synod. dioces. lib. 2 c. 2, qui jus metropolitani Summi Pontificis explicat copiose, et diligenter. Non tamen iisdem terminis Romana provincia omni ætate definita est, cum eam lapsu temporum ipsi Romani Pontifices, pavis constitutis sedibus Metropolitanis, imminuerint. Innocentius III in c. 5 de Offic. vicar., Romanam provinciam inter Capuanam, et Pisanam sitam dixit. Sed alia deinceps à Summis Pontificibus factæ sunt ejus provinciarum distractiones, et ideo quamquam ea nunc etiam posita dicatur inter Capuanam, Pisanamque provinciam, secundum Innocentii decretalem, tamen revera conficitur ex illis tantum Episcopis, qui inter utramque illam provinciam sedent, ac nulli Archiepiscopo subjecti sunt.

(2) Vid. Card. Orsium del Dominio temporale dei Papi, et Monumenta dominationis Pontificæ, sive codicem Carolinum, editum à Cennio Romæ 1760.

Hic forte quaeratur de ampla illa summaque potestate, quam per aliquot sæcula Rom. Pontifices in diversas Occidentis regiones exercuerunt, cujus vi in gravissimis quibusque politicis negotiis decidebant, Regibus eorum sententias reverenter audientibus; historico sane phænomeno, inter mediæ ætatis facta alte notando, quod cum extraordinariis circumstantiis, unde originem traxit, desisse observamus, et quod, etsi intra Canonice scientiæ fines plene non contineatur, istos tamen evidenter attingit. Cum nec spatium nec tempus sit talem questionem sub multiplici ipsius facie tractandi, ad AA., qui circa eam feliciter versati sunt, legentes remittere, opportunum existimavimus. Consuli ergo de illa utiliter poterit perillustris comitis Jos. de Maistre opus cui titulus: *du Pape*, Hispanis quidem haud ignotum; sed qui aliud de proposito omnibus numeris absolutum præ manibus habere desideret, ei commendamus ita denominatam: *Pouvoir du Pape au moyen-âge, ou Recherches historiques sur l'origine de la souveraineté temporelle du Saint-Siège, et sur le droit public du moyen-âge, relativement à la déposition des souverains...* par M.*** (scilicet *Gosselin*), directeur au Sem. de St. Sulpice: Nouvelle édition, considérablement augmentée, Parisiis, apud Lecoffre.

Quibus autem neutrum ex prælaudatis operibus evolendi copia sit, illorum gratia aliquot inserimus paragraphos eximii ejus, quod nostras J. Balmes in lucem edidit sub appellatione: *El Protestantismo comparado con el Catolicismo en sus relaciones con la civilización europea*: ubi antiqua ea Rom. Pontificum potestas expenditur, et à vulgaribus quibusdam impugnationibus vindicatur; qui videlicet locus sic se habet:

Ya que se ha querido blasonar de espíritu de observacion y de análisis de los hechos, era necesario reparar, que el poder temporal de los Papas se robusteció y estendió cuando aun no se hallaba verdaderamente constituido ninguno de los otros poderes: asi, el llamarle usurpador es, no solo una inexactitud, sino tambien un anacronismo. En el trastorno general en que se hallaron sumidas todas las sociedades europeas con la irrupcion de los bárbaros, en la informe y monstruosa amalgama que se hizo de razas, leyes, costumbres y tradiciones, no quedó ninguna basa sobre que pudiera labrarse la civilizacion y cultura, ningun punto luminoso que iluminára aquel caos, ningun elemento bastante á fecundar de nuevo las semillas de regeneracion que yacian sepultadas en medio de escombros y de sangre, sino el Cristianismo; y asi es que, dominando, humillando, anonadando los restos de las otras religiones, se eleva como solitaria columna en el centro de una ciudad arruinada, como antorcha brillante en medio de un horizonte de tinieblas.

·Bárbaros como eran los pueblos conquistadores, y engreídos con sus triunfos, doblegan sin embargo su cerviz bajo el cayado de los Pastores del rebaño de Jesucristo; y estos hombres tan nuevos para ellos, que les hablan un lenguaje superior y divino, adquieren sobre los feroces caudillos de aquellas hordas un ascendiente tan eficaz y duradero, que no fué bastante á destruirle el transcurso de los siglos. Hé aqui la raíz del *poder temporal*: y bien se alcanza que, elevado el Papa sobre todos los demas Pastores en el edificio de la Iglesia, como la soberbia cúpula sobre las demas partes de un magnífico templo, su poder debia tambien levantarse sobre el poder temporal de los simples obispos, echando ademas raíces mas profundas, mas robustas, mas trabadas y estendidas. Todos los principios de legislacion, todas las bases de la sociedad, todos los elementos de cultura, todo cuanto habia quedado de artes y de ciencias, todo estaba en manos de la Religion, y todo se puso, por consecuencia muy natural, bajo la sombra del solio pontificio; como que éste era el único poder que obraba con orden, concierto y regularidad, el único que ofrecia prendas de estabilidad y firmeza. Sucedióronse unas guerras á otras guerras, unos trastornos á otros trastornos, unas formas á otras formas; pero el hecho grande, general, dominante, fué siempre el mismo; y es cosa risible el oír á tanto hablador apellidar á un fenómeno tan natural, tan inevitable, y sobre todo tan provechoso, serie de atentados y de usurpaciones contra el poder temporal.

·Para que un poder sea usurpado, es menester que exista: y ¿dónde existia entonces? ¿En los reyes, juguete, y á menudo victima de orgullosos barones? ¿En los señores feudales, que estaban en lucha continua entre sí, y con los reyes y con los pueblos? ¿En el pueblo, tropa de esclavos que, merced á los esfuerzos de la Religion, se iba lentamente emancipando? ¿qué, reuniéndose para resistir á los señores, alzando la voz para reclamar la proteccion de los reyes, ó demandando á la Iglesia un auxilio contra los atropellamientos y vejaciones de unos y otros, era no mas que un confuso embrión de sociedad, sin reglas fijas, sin gobierno, sin leyes? ¿Con qué buena fé se han podido comparar nuestros tiempos con aquellos tiempos, queriendo aplicar las reglas de deslinde de autoridad, solo admisibles en sociedades que, habiendo ya desarrollado los elementos de vida y civilizacion, y asentadas sobre basas firmes y duraderas, ordenan las funciones de los poderes sociales, entrando en minuciosos detalles sobre el limite de las respectivas atribuciones?

·No debiera haberse olvidado que discurrir de otra manera, es pedir orden al caos, regularidad á las oleadas de una tormenta. No debiera haberse olvidado tampoco un hecho general y constante, como fundado en la misma naturaleza de las cosas, hecho de que da repetidas lecciones la historia de todos los tiempos y países, y que señaladamente se ha mostrado de un modo muy notable en las revoluciones de los pueblos modernos: cual es, que siempre que hay un gran desorden en la sociedad, se presenta un principio fuerte para contrarrestarle. Empiézase la lucha, se repiten, se avivan, se multiplican los choques; pero al fin cede el principio de desorden al principio de orden, y queda dominante por largo tiempo en la sociedad el que ha obtenido el triunfo. Este principio será mas ó menos justo, mas ó menos racional, mas ó menos violento, mas ó menos apto para llenar el objeto de su destino; pero sea cual fuere, y como quiera, siempre prevalece, á menos que durante la lucha no se presente otro mejor y mas fuerte, que pueda reemplazarle.

·Ahora bien; en los siglos medios este principio era la Iglesia cristiana; y

era ella la única que podía serlo, porque en sus dogmas tenia la verdad, en sus leyes la justicia, en su gobierno la regularidad y la prudencia. Ella era á la sazón el único elemento de vida, la depositaria del gran pensamiento que debia reorganizar la sociedad; y este pensamiento no era abstracto y vago, y si positivo, práctico, aplicable, como descendido de la boca de Aquel, cuya palabra fecunda la nada, y hace brotar la luz en medio de las tinieblas. Asi debia suceder que, habiendo penetrado hasta el corazon de la sociedad sus dogmas sublimes, se apoderase tambien de las costumbres su moral pura, fraternal y consoladora; y que las formas de gobierno, los sistemas de legislación, participasen mas ó menos de su poderosa y suave influencia. Estos son hechos, nada mas que hechos; y enlazándose con ellos otros, cual es, que el centro de esta Religión, que con tan legitimos títulos iba estendiendo su provechoso dominio, estaba en manos del Pontífice Romano, bien claro es que muy naturalmente debia encontrarse elevado su poder sobre todos los otros de la tierra.

Después de contemplar ese magnífico cuadro que á nuestros ojos desplega la fiel y sencilla narración de la historia, el pararse en los defectos ó vicios de algunos hombres, el alegar demasias, yerros ó vicios, patrimonio inseparable de la humanidad, el andar á caza de ellos al través de larga serie de tenebrosos siglos, amontonarlos, reunirlos en un punto de vista, para que hieran con mas fuerza, y sorprendan á la credulidad é ignorancia, el insistir sobre los mismos, exagerándolos, desfigurándolos y cubriéndolos de negros colores, es tener muy menguada la vista, es conocer muy escasamente la filosofía de la historia; y sobre todo es acreditarse de espíritu parcial, de miras poco elevadas, de sentimientos mezquinos y reaciosos. Es preciso decirlo en alta voz para que se oiga, es necesario repetirlo una y mil veces, para que no se olvide: no se respetan los límites que no existen, no se usurpa el poder cuando se crea, no se violan las leyes cuando se forman, no se inducen perturbaciones en la sociedad, cuando se desembrolla el caos que la envuelve. Esto hizo la Iglesia; esto hicieron los Papas. (Tom. 4 cap. 63.)

SECTIO II.

DE CARDINALIBUS, ET LEGATIS.

22 AD 24. CARDINALIUM NOMEN, ORIGO, DIGNITAS.—25. CARDINALES EPISCOPI, PRESBYTERI, DIACONI.—26. EORUM INSIGNIA, ET NUMERUS.—27. OFFICIUM.—28. JURA, ET PRIVILEGIA.—29. LEGATI APOSTOLICI.—30. LEGATI A LATERE.—31. LEGATI MISSI.—32. LEGATI NATI.

DIRECCIÓN GENERAL

Explicandæ, exercendæque potestatis causa Pontifex habet Curiam, et Senatum. Curiam faciunt Ministri, quorum alii suo funguntur munere in Dataria, alii in Cancellaria, alii in Foro judiciario (1). Senatum autem constituunt Cardinales, quo

nómine appellantur *Coadjutores, et Collaterales* (2) Summi Pontificis, quorum est eum consilio juvare in Ecclesiæ regimine, et administratione (3). Hoc nimirum munus est, semperque fuit Romanorum Cardinalium; quo probe stabilito, et fixo, de vera hujus amplissimæ Dignitatis origine non obscurum, neque incertum iudicium est (4).

(1) Vid. Card. de Luca *Relatio Romanæ Curiae*.

(2) Ita Cardinales vocat S. Bernardus ad Eugenium III *de Consider.* l. 4 c. 4 col. 444 vol. 1 ed. Paris. 1719. et ep. 257 col. 255 inquit Cardinalium esse opem ferre Pontifici in regimine Ecclesiæ universæ.

(N. S. Et Alphonsus Sap. Cardinalium Collegium dixit, partem esse corporis Papæ: *Leg. 25 Tit. 9 Part. 1.*)

(3) *Cap. 17 de elect. in 6. Conc. Trid. sess. 25 de reform. cap. 1 in fin.*

(4) Confer Cennium apud Catalanum *in præfat. ad annal. Muratorii* l. 5 p. 1 pag. 55 ed. Romæ, et *præfat. ad ejusdem dissertationes* l. 3 p. 1 pag. 14. et *in not. ad disser.* 61 pag. 5 et 15 l. 3 p. 2. Santinellum *in disser. della dignità del Cardinalato inter opuscula Angeli Catalogera* l. 26 p. 597. Card. Bromatum *dissert. dell' antica preminenza del Cardinalato*, Coghellium *Notit. Cardinal. Platum de Cardin. dignit. et offic.* c. 2 §. 1 ad 5 p. 25 Romæ 1753, et Cl. P. Josephum *Tamagnam origine, e prerogative dei Cardinali.*

23. Omnes Ecclesiæ suum semper habuere Senatum, et Presbyterium, conflatum ex Presbyteris, et Diaconis (1), quorum consilio Episcopus in regenda diœcesi utebatur. Itaque et Ecclesia Romana semper habuit Senatum suum (2); quique eum faciunt, semper præstare debuerunt senatibus ceterarum Ecclesiarum, uti his Ecclesiis præstat Romana, cujus ille nobilissimæ partes, et præcipua membra sunt (3). Non igitur quod Cardinalium nomen reliquis quoque Ecclesiis esset commune (4), consequens est, ut idem esset gradus, eademque dignitas Cardinalium, qui Romanæ, et qui aliarum Ecclesiarum senatum constituebant.

(1) S. Ignatius Martyr, qui I. Ecclesiæ sæculo florebat, in omnibus fere epistolis, quas extant apud Cotelierum *PP. Apostol. l. 2 ed. Amstelædami* 1724, commendat obsequium, et reverentiam erga Senatum Presbyterorum, cum quo Diaconos etiam memorat, et qui una cum Episcopo suæ Ecclesiæ regimini præerat. *Episcopo*, inquit *ep. ad Philad. n. 7 p. 146. intendite, et Presbyteris, et Diaconis.* Et *ep. ad Smyrn. n. 8 p. 148. Episcopum, aut sequimini, sicut Jesus Christus Patrem, Presbyteros sicut Apostolos, Diaconos autem veneramini sicut mandato Dei ministrantem.* Vide etiam ejusdem Ignatii *ep. ad Magnesianos n. 6 p. 55, et ad Trallianos n. 7 p. 65 dicit hæc: Qui vero foris est, hic is est, qui sine Episcopo, et Presbyteris, et Diaconis quidquam agit.* Hinc sæpe occurrunt hæræ datæ ad Pres-

era ella la única que podía serlo, porque en sus dogmas tenia la verdad, en sus leyes la justicia, en su gobierno la regularidad y la prudencia. Ella era á la sazón el único elemento de vida, la depositaria del gran pensamiento que debía reorganizar la sociedad; y este pensamiento no era abstracto y vago, y si positivo, práctico, aplicable, como descendido de la boca de Aquel, cuya palabra fecunda la nada, y hace brotar la luz en medio de las tinieblas. Asi debia suceder que, habiendo penetrado hasta el corazon de la sociedad sus dogmas sublimes, se apoderase tambien de las costumbres su moral pura, fraternal y consoladora; y que las formas de gobierno, los sistemas de legislación, participasen mas ó menos de su poderosa y suave influencia. Estos son hechos, nada mas que hechos; y enlazándose con ellos otros, cual es, que el centro de esta Religión, que con tan legitimos títulos iba estendiendo su provechoso dominio, estaba en manos del Pontífice Romano, bien claro es que muy naturalmente debia encontrarse elevado su poder sobre todos los otros de la tierra.

Después de contemplar ese magnífico cuadro que á nuestros ojos desplega la fiel y sencilla narración de la historia, el pararse en los defectos ó vicios de algunos hombres, el alegar demasias, yerros ó vicios, patrimonio inseparable de la humanidad, el andar á caza de ellos al través de larga serie de tenebrosos siglos, amontonarlos, reunirlos en un punto de vista, para que hieran con mas fuerza, y sorprendan á la credulidad é ignorancia, el insistir sobre los mismos, exagerándolos, desfigurándolos y cubriéndolos de negros colores, es tener muy menguada la vista, es conocer muy escasamente la filosofía de la historia; y sobre todo es acreditarse de espíritu parcial, de miras poco elevadas, de sentimientos mezquinos y reaciosos. Es preciso decirlo en alta voz para que se oiga, es necesario repetirlo una y mil veces, para que no se olvide: no se respetan los límites que no existen, no se usurpa el poder cuando se crea, no se violan las leyes cuando se forman, no se inducen perturbaciones en la sociedad, cuando se desembrolla el caos que la envuelve. Esto hizo la Iglesia; esto hicieron los Papas. (Tom. 4 cap. 63.)

SECTIO II.

DE CARDINALIBUS, ET LEGATIS.

22 AD 24. CARDINALIUM NOMEN, ORIGO, DIGNITAS.—25. CARDINALES EPISCOPI, PRESBYTERI, DIACONI.—26. EORUM INSIGNIA, ET NUMERUS.—27. OFFICIUM.—28. JURA, ET PRIVILEGIA.—29. LEGATI APOSTOLICI.—30. LEGATI A LATERE.—31. LEGATI MISSI.—32. LEGATI NATI.

Explicandæ, exercendæque potestatis causa Pontifex habet Curiam, et Senatum. Curiam conficiunt Ministri, quorum alii suo funguntur munere in Dataria, alii in Cancellaria, alii in Foro judiciario (1). Senatum autem constituunt Cardinales, quo

nómine appellantur *Coadjutores, et Collaterales* (2) Summi Pontificis, quorum est eum consilio juvare in Ecclesiæ regimine, et administratione (3). Hoc nimirum munus est, semperque fuit Romanorum Cardinalium; quo probe stabilito, et fixo, de vera hujus amplissimæ Dignitatis origine non obscurum, neque incertum judicium est (4).

(1) Vid. Card. de Luca *Relatio Romanæ Curiae*.

(2) Ita Cardinales vocat S. Bernardus ad Eugenium III *de Consider.* l. 4 c. 4 col. 444 vol. 1 ed. Paris. 1719. et ep. 257 col. 255 inquit Cardinalium esse opem ferre Pontifici in regimine Ecclesiæ universæ.

(N. S. Et Alphonsus Sap. Cardinalium Collegium dixit, partem esse corporis Papæ: *Leg. 25 Tit. 9 Part. 1.*)

(3) *Cap. 17 de elect. in 6. Conc. Trid. sess. 25 de reform. cap. 1 in fin.*

(4) Confer Cennium apud Catalanum *in præfat. ad annal. Muratorii* l. 5 p. 1 pag. 55 ed. Romæ, et *præfat. ad ejusdem dissertationes* l. 3 p. 1 pag. 14. et *in not. ad disser.* 61 pag. 5 et 15 l. 5 p. 2. Santinellum *in disser. della dignità del Cardinalato inter opuscula Angeli Catalogera* l. 26 p. 597. Card. Bromatum *dissert. dell' antica preminenza del Cardinalato*, Coghellium *Notit. Cardinal. Platum de Cardin. dignit. et offic.* c. 2 §. 1 ad 5 p. 25 Romæ 1753, et Cl. P. Josephum Tamagnam *origine, e prerogative dei Cardinali*.

23. Omnes Ecclesiæ suum semper habuere Senatum, et Presbyterium, conflatum ex Presbyteris, et Diaconis (1), quorum consilio Episcopus in regenda diœcesi utebatur. Itaque et Ecclesia Romana semper habuit Senatum suum (2); quique eum conficiunt, semper præstare debuerunt senatibus ceterarum Ecclesiarum, uti his Ecclesiis præstat Romana, cujus ille nobilissimæ partes, et præcipua membra sunt (3). Non igitur quod Cardinalium nomen reliquis quoque Ecclesiis esset commune (4), consequens est, ut idem esset gradus, eademque dignitas Cardinalium, qui Romanæ, et qui aliarum Ecclesiarum senatum constituiebant.

(1) S. Ignatius Martyr, qui I. Ecclesiæ sæculo florebat, in omnibus fere epistolis, quas extant apud Cotelierum *PP. Apostol. l. 2 ed. Amstelædami* 1724, commendat obsequium, et reverentiam erga Senatum Presbyterorum, cum quo Diaconos etiam memorat, et qui una cum Episcopo suæ Ecclesiæ regimini præerat. *Episcopo*, inquit *ep. ad Philad. n. 7 p. 146, intendite, et Presbyteris, et Diaconis.* Et *ep. ad Smyrn. n. 8 p. 148. Episcopum, aut sequimini, sicut Jesus Christus Patrem, Presbyteros sicut Apostolos, Diaconos autem veneramini sicut mandato Dei ministrantem.* Vide etiam ejusdem Ignatii *ep. ad Magnesianos n. 6 p. 55, et ad Trallianos n. 7 p. 65 dicit hæc: Qui vero foris est, hic is est, qui sine Episcopo, et Presbyteris, et Diaconis quidquam agit.* Hinc sæpe occurrunt hæræ datæ ad Pres-

byteros, et Diaconos, hoc est, ad Senatum Ecclesiae. Conter *ep. Cypriani ad Cornelium* apud Constantium c. 151, et confer can. 24 Concilii Antiocheni an. 341 apud Labbaeum tom. 2 col. 595 ed. Venet., ubi statuitur quod manifesta sint, quae ad Ecclesiam pertinent, cum cognitione Presbyterorum, et Diaconorum qui sunt circa eum, hoc est, Episcopum.

(2) *Omni igitur actu ad me perlato*, inquit Cornelius P. ep. 6 ad Cypr. n. 2 c. 156, placuit contrahi Presbyterium.

(3) Vide Sixti V Const. 76 t. 4 par. 4 pag. 279. Bullar.

(4) Cardinales appellati videntur à *cardinibus*, quia nimirum fixi, et immobiles essent tamquam cardines, et circa eos Ecclesiae, veluti valvae circa cardines, volverentur. Omnes igitur, qui certae Ecclesiae erant addicti, sive *incardinati*, ut ei semper vel praesent, vel servirent, cardinales dicebantur, iis oppositi, qui certo tantum tempore Ecclesiam regebant, vel ei tamquam auxiliares adiacebantur. Ita Gelasius P. can. 5 dist. 24. Episcopum Cardinalem opponit Episcopo *Visitatori*, qui scilicet tamquam Visitator ad tempus Ecclesiam curate, non ei perpetuo addictus esse debebat. Gregorius M. pluries memorat Episcopos, et Presbyteros Cardinales, quos describit tamquam addictos certae Ecclesiae, in qua officium suum explicare debebant. Romani Correctores in can. 5 dist. 71 censent, eum, qui de una ad alteram Ecclesiam transferebatur, sive Episcopum, sive Presbyterum, sive Diaconum, in priori Ecclesia *ordinatum*, in altera *incardinatum* à Gregorio dici consuevisse. Quo sensu idem Pontifex can. 5 c. 21 q. 1, Agnellum Fundorum Episcopum, ab hostibus vastata ejus civitate, Cardinalem Episcopum Terracinae constituit. Petro hujus civitatis Episcopo vita functo. Idem lib. 1 ep. 85 ad Januarium Episcopum Calaritanum opp. tom. 11. col. 566 ed. Paris. 1705 scribens, *Liberatus*, inquit, qui *Diaconi fungi perhibetur officio, si à decessore tuo non est factus Cardinalis, ordinalis à te Diaconibus nulla debet ratione preponi*. A Romanis Correctoribus dissentire videtur Jo. Diaconus in vit. S. Gregorii M. lib. 5 c. 41 opp. S. Gregor. tom. 4 col. 88 ed. cit., cum inquit: *Cardinales molenter in Parochiis ordinatos forensibus, in pristinum cardinem Gregorius revocabat*. Cum cardinis nomen primae etiam Ecclesiae tribuat Joannes, manifestum est, tam in altera, quam in prima Ecclesia Cardinalem ordinari consuevisse, atque aetate Gregorii latius, quam Correctores putarint, *cardinandi* vocabulum patuisse. Certe et clerici, qui semper serviebant Ecclesiae, cui primum in ordinatione adscripti fuerant, Cardinales dicebantur. Sed Canonici praesertim Ecclesiae Cathedralis, qui inter ceteros clericos praecipuum, et nobiliorum tenebant locum, medio aeo *Cardinales* appellabantur, quod multis datis monumentis ostendit Cl. P. Tamagna *Origine, è prerogative de' Cardinali par. 4 cap. 5*. Atque hi quidem eo vocabantur nomine praesertim, quod addicti essent *cardini*, hoc est Episcopo, et Ecclesiae cathedrali, quae proprie *cardo* dicebatur. *Vincentius Archipresbyter cardinis* occurrit in vetusto codice Ecclesiae Lucensis an. 904 apud Muratorium *Antiquit. med. aevi tom. 6 col. 407*; apud Campium *Hist. Eccles. Placent. pag. 405*. *Andreas Diaconus Cardinis S. Placentinae Ecclesiae*. Mitto cetera, ne sim prolixitate molestior. Ex quibus intelligitur, Ecclesias omnes suos habuisse Cardinales, quo nomine comprehendebantur, qui proprius Episcopo adhaerebant, erantque addicti Ecclesiae cathedrali, ac principem inter ceteros clericos locum obtinebant. At quod non Romanae solum, sed aliis etiam Ecclesiis commune fuerit Cardinalium nomen, non inde effici potest, quod Romanorum, ceterorumque Cardinalium idem munus, eademque dignitas fuerit; quemadmodum nemo Summum Pontificem ceteris Episcopis parem faciat, quod olim euncti Papae dicebantur.

Illi enim erant Sacerdotes, aut Diaconi, et Canonici particularium Ecclesiarum, et erant consiliarii Episcopi in gubernio Ecclesiae suae; sed Romani Cardinales semper opem tulerunt Summo Pontifici in regimine Ecclesiae universae. Decet diligenter attendere ad officium, et dignitatem Romanorum Cardinalium, ne quis nominis similitudine in errorem raptus, eos cum Cardinalibus aliarum Ecclesiarum comparandos putet, quod multi faciunt, atque eorum exemplo facit Dominicus Cavallarius *Inst. Jur. Canon. par. 1 cap. 42*. De nomine Cardinalis videndus Muratorius *Dissertationi sopra le antichità Italiane dissert. 61 tom. 3 par. 2 pag. 5 edit. Romae 1755*; qui tamen errat vehementer, sicuti in *notis* animalvertit Cennius, cum inter Romanos, ceterosque Cardinales nullum olim discrimen fuisse contendit, et videndus in primis Tamagna *loc. cit.* Illud mihi certum, exploratumque est, veram haberi non posse opinionem illorum, qui Cardinales eisdem omnino, ac Parochos fuisse sentiunt. Nam Parochi certe non erant Canonici, qui Cardinales dicebantur; praeterea Cardinales in Civitate fuisse constat, verum nullos in ea Parochos (si Romanam, et Alexandrinam Urbem excipimus, ubi peculiaris consuetudo obtinuit) ante annum millesimum extitisse, cum Episcopus una eum suo clero omnia tunc parochialia munera gereret, perspicue demonstrat Marius Lupus Bergomenis *de Parochiis ante Christum millesimum*.

(N. S. In Hispania quoque Clerici ita adscripti, et quasi ad cardinem Ecclesiae cui fuerant ordinati, adligati erant, ut ad aliam transeuntes, *desertores* adpellaverit Syn. Hispal. II Can. 3. At Clericos Cardinalium nomine insignitos non invenimus usque ad seculum XII, quo Archiepiscopus Didacus Gelmirez septem instituit in ejus Ecclesia Compostellana, ex concessione, ut fertur, Paschalis II sub die 31 Decemb. an. 1102, quibus quidem Cardinalibus indulsit idem Paschalis, ut intra Ecclesiam majoribus festis Mitra uterentur; sed nec Episcopalis, nec Cardinalitiae dignitatis jura concessit.)

Compostell. istae dignitates suppressae, sunt, ut hujus tit. sect. 8 observabimus. Octo similes habuit ad nostra usque tempora Auriensis Ecclesiae cathedralis; quas an. 1504 extitisse, ex ipsius Archivo constat.

24. Erat quidem Romanorum Cardinalium officium, ut praesent Locis Sacris, hoc est Titulis, quos S. Evaristus Pontifex in variis Urbis regionibus constituerat (1), quoniam nimia populi multitudo per unum regi, et curari difficile poterat; ideoque et aliis opus erat Ecclesiis, in quibus Christiani convenirent ad sacras peragendas synaxes, et sacramenta à Sacerdotum manibus percipienda (2). Sed quod ii, praeter hoc ipsum officium, etiam Pontifici opem ferebant in regimine Ecclesiae universae, dum contra reliqui Cardinales tantum curam cum Episcopo gerebant peculiaris Ecclesiae suae, certe Presbyteris reliquarum Ecclesiarum quammaxime praestare debuerunt. Hinc dignitatis antelati ipsi Episcopis (3), in quos vacua Sede Apostolica auctoritatem exercuerunt (4); hinc non tantum, ut ceteri, nomen acceperunt ab Ecclesiis, quibus erant *incardinati*, sed etiam, idque potissimum, ab Ecclesia Romana, cui erant addicti, quaeque *cardo* est, centrumque, et caput omnium Ecclesiarum (5),

hinc demum nunc ceteræ fere Ecclesiæ deseruerunt hoc nomen, quo designatur amplissima Dignitas eorum, ex quibus Summi Pontificis Senatus efficitur.

(1) Vide, qui ea de re late, atque erudite disputat, Cardinalem Nicolaum Antonellium in *dissert. de Titulis*, quos S. Evaristus Romanis Presbyteris distribuit.

(2) Romani Cardinales in suis titulis non tantum sacerdotalem potestatem exercebant, verum etiam quædam gerebant munera, quæ tunc ab Episcopis gerebantur, uti rectissime animadvertit Cardinalis Antonellius *loco mox indicato*.

(3) Vide indicatam Dissertationem Caroli Bromati, et canonem Concilii Romani *can. 5 dist. 79*, ex quo patet, plures fuisse Episcopos, qui Romanæ Ecclesiæ Cardinales fieri cupiebant, adeo ut contra ipsos poenam etiam indicere oportuerit.

(4) Vacua Sede Apostolica propter obitum Fabiani Pontificis, Presbyteri, et Diaconi Ecclesiæ Romanæ, qui unius anni spatio toti Ecclesiæ præfuerunt, gravissimas dederunt litteras ad S. Cyprianum, atque ad Clerum Carthaginensem, et Cyprianus *ep. 13 et 22 p. 26 et 54 ed. Rigaltii Paris 1686* eorum, quæ gesserat, ratione rediit diligenter, ipsorum agnovit, probavitque potestatem. *Quæ litteræ Presbyterorum, et Diaconorum, hoc est Cardinalium Ecclesiæ Romanæ, ut testatur Cornelius P. ep. 10 num. 5 apud Constantium ep. Rom. Pontif. col. 161, per totum mundum missæ sunt, et in notitiam ecclesiis omnibus, et fratribus perlatæ sunt.* Audiendus de his Cleri Romani literis ipse Constantius *loc. cit. El sapientium quidem, inquit, spirant primo Ecclesiæ clero dignam. Is nempe nimio potestatis suæ studio minime percitus, episcopos vicinos, ac remotos, qui Romæ aderant, secum vocare, eorumque consilia uti non dedignatur.*

(5) Leo IV in oratione habita ad Synodum Romanam *an. 855 tom. 9 col. 1155 collect. Labbei ed. Venet. Anastasius*, inquit, *Presbyter Cardinis nostri, quem nos in titulo B. Marcelli Martyris, atque Pontificis ordinavimus.* Hic porro Anastasius inordinatus erat titulo B. Marcelli, et tamen dicitur *Presbyter cardinis nostri*, quia nimirum non tantum præerat titulo S. Marcelli, sed etiam erat Cardinalis, scilicet proprius adherens Romano Pontifici cardini, et capiti Ecclesiæ universæ. Eodem modo Hadrianus II, cum Legatos in Gallias mitteret, eorum alterum *ep. 25 et 24 apud Labbeum tom. 10 conc. col. 429 et 430 appellat: religiosum Presbyterum cardinis nostri*; et Joannes VIII, ad Angelbergam Augustam scribens *ep. 85 apud Labbeum tom. 1 col. 63*, ad eam mittit litteras *per latorem præsentium Petrum, cardinis nostri Presbyterum.* Merito igitur Leo IX *ep. 1 cap. 22 apud Labbeum tom. 11 col. 1537, Sicut cardine*, inquit, *totum regitur ostium, ita Petro, et successoribus ejus totius Ecclesiæ disponitur emolumentum. Unde clerici ejus Cardinales dicuntur; cardini utique illi, quo cetera moventur, vicini adherentes.* Et Concilium Basileense *sess. 25 cap. 4 tom. 17 collect. ejusd. col. 529* eos vult institui Cardinales, qui sicut nomine, ita re ipsa cardines sint, super quos ostia universalis versentur, et sustentantur Ecclesiæ. Ex his autem omnibus, quæ diximus, facile intelligitur, quantum à vero aberraverint, qui serius ortam putant R. Cardinalium Dignitatem, quorum è numero sunt etiam eruditi Monachi Congregationis S. Mauri in S. Gregor. M. lib. 1 ep. 15 ad Balbinum *tom. 2 col. 501 ed. Paris. 1705.*

25. Initio non alii erant Romæ, quam Presbyteri, et Diaconi Cardinales. Accesserunt postea viciniore Episcopi, qui Cardinales dicti sunt, posteaquam Lateranensi Basilicæ adscripti fuerunt, quique suo non desunt muneri Episcopatus, licet Romæ commorentur, ut Summo Pontifici opem præbeant in regimine Ecclesiæ universæ. Hi olim erant septem numero, nempe: Ostiensis Veliterno conjunctus, Portuensis, Albanus, Prænestinus, Sabinus, Tusculanus, et S. Rufinæ, seu Silvæ Candidæ; sed Episcopatu S. Rufinæ cum Portuensi conjuncto, sex hodie recensentur (1).

(1) De Episcopis Cardinalibus suburbicariis videndus Andreucci *Hierarch. Eccles. tract. 5*, et videndi sunt etiam Panvinus, qui late agit de *Episcopatibus, Titulis, Diaconis Cardinalium*, Tamagna *loc. cit. cap. 4 art. 5.*

26. Ornarunt plurimum Cardinales Innocentius IV, et Paulus II. (1), quorum alter dedit rubrum galerum, alter rubrum pannum, quo equitantes sternerent equos, aliaque honores insignia, quæ primum Cardinalibus ex clero sæculari data sunt, deinceps Gregorius XIV. (2) etiam Regularibus rubrum pileum attribuit. Denique Urbanus VIII. eos titulo *Eminentissimi* honestavit. Incertus olim, et varius eorum numerus fuit (3); nunc septuaginta esse debent, quem numerum definit Sixtus V., exemplo septuaginta Seniorum, quos secum assumpsit Moyses (4); atque ex iis quinquaginta oportet esse Presbyteros, Diaconos quatuordecim, Episcopos sex ex vicinioribus, uti diximus, Episcopatibus.

(1) Confer Thomassinum *Vet. et nov. eccles. disciplin. par. 1 lib. 2 c. 113 num. 7*, et Michaellem Canensium in *vita Pauli II.* editam à Cardinali Quirinio.

(2) *Constit. Sanctissimus 22 p. 276 t. 5 par. 1 Bullar.*

(3) Vide ea de re Thomassinum *loc. cit. cap. 114 n. 15*, et Platum *De Cardinalis dignit. et offic. cap. 2 §. 5. pag. 53 et seq.*, ibique Triam *in notis ed. Romæ 1753.*

(4) *Constit. Postquam verus 76 t. 4 par. 4 p. 279 Bullarii.*

27. Solus Pontifex creat Cardinales. Eorum munus est, uti diximus, consilio juvare Pontificem pro bono Christianæ Reipublicæ, Ecclesiam regere, donec ipsa illo caret, suffragium ferre in electione, quæ ab ipsis tantum perficitur, Summi Pontificis (1), quod jus non habent Cardinales, nisi Diaconatus ordinem acceperint, aut eam facultatem nominatim à Pontifice

impetraverint. Suum vero munus explent Cardinales, aut in Consistorio (2) coram Summo Pontifice, aut in Congregationibus, quæ cœtus sunt Cardinalium à Pontificibus instituti ad certa negotia curanda, discutienda, ac definienda. Harum singulis singuli præficiuntur Cardinales, excepta Congregatione Inquisitionis, cujus Summus Pontifex sibi servat prefecturam. Earum aliæ sunt ordinariæ, quæ scilicet perpetuo sunt addictæ certis negotiis expediendis, aliæ extraordinariæ, quæ pro certis rebus præter consuetudinem indici solent, quibus absolutis dissolvuntur.

(1) Videsis Mamachium *ad Auctor. opusc. Quid est Papa ep. 7 num. 4 tom. 2 pag. 112 et seq.*

(2) Consistorium vel secretum est, vel publicum: secreto Cardinales cum Pontifice intersunt, ad publicum aliis etiam aditus patet.

Consistorium veteres dixerunt locum, in quo Princeps de publicis rebus consultat, ac deliberat cum suis consistorianis (*Gothofred.*) Unde cardinalium consensus coram Pontifice in ejus Palatio per modum Senatus, *consistorium* appellatur.

Quod vero Cardinalium Congregationes spectat, inter ordinarias præcipuæ sunt: *Consistorialis*, pro expediendis negotiis quæ in Consistorio finiuntur; *Inquisitionis*, et *Indicis*, de quibus agit Cl. Auctor *lib. 4 tit. 7 et 8; Rituum*, cujus est non solum de carimonis quæstiones dirimere, sed et pro *Beatificatione ac Canonizatione* processus instruere; *Concil. Trident. Interpretum* ad ejus gener. Synod. executionem et declarationem; de *Episcoporum ac Regularium* causis, quæ inter Prælatos ac sibi subditos, et in Regular. Ordinibus ortas controversias decedit: de *Propaganda Fide*, cujus sat nomen objectum exprimit etc.

Ex veteri privilegio, quædam Nationes aliquot cardinales habent, quos precibus et commendationibus Cath. Principum, ex propriis istorum subditis nominat Rom. Pontifex, quique vulgo dicuntur *cardinales de las Coronas*. In Hispania duo communiter Episcopi præclara illa dignitate conspiciuntur.

28. Habent autem Cardinales in suis Titulis amplam jurisdictionem in iis, quæ ad earum Ecclesiarum servitium pertinent (1), et *incompatibilia* refinent beneficia, quæ decent eorum dignitatem (2), et testamentum condunt per privatam syngrapham, missis testibus, quos Jus Civile desiderat (3); denique eorum *familiarium*, ut vocant, beneficia quis impetrare non potest, nisi ipsorum consensus accedat (4).

(1) Innocentius XII. *Constit. Romanus Pontifex* 52 §. 9 p. 275 t. 9 *Bullar.*; per quam constitutionem, uti monet Pitonius *de Controv. Patron. alleg. 41 n. 51* nunc certum est, Cardinales in suis titulis non habere jurisdictionem quasi Episcopalem. Vid. Giraldum *Expos. jur. Pontif. par. 1 tit. 55 sect. 197 p. 115 et 126 t. 1*, ubi etiam explicatur jurisdictio, quam Cardinales Titulares habent in Ecclesiis Regularibus.

(2) Sixtus V. *Const. 125 pag. 417 t. 4 p. 4 Bullarii.*

(3) Card. de Luc. *de Testam. disc. 1 num. 2.*

(4) Vide *Regulam 52 Cancellar.*, ibique Rigantium.

29. Serviunt etiam Romano Pontifici Legati, quorum est in provinciis, et regnis illius vices sustinere. Scilicet cum Summo Pontifici cura sit à Christo commissa, gubernatioque Ecclesiæ universæ, ipse vero adesse ubique non possit, in locis, à quibus abest, partes suas per Legatos implere debet (1). Itaque jus mittendi Legatos in Pontificio Primatu penitus affixum, atque insitum est, et ideo Romani Pontifices semper apud Christianos Principes suos Legatos (2), et eos quidem jurisdictione præditos (3) habuerunt.

(1) Constat inter omnes catholicos, jus mittendi Legatos ad Principes annexum esse Primatu, quem ubique habet Summus Pontifex, et cujus gratia curam, ac sollicitudinem habere debet Ecclesiæ universæ. Id fatentur, atque ex ipsa Primatus ratione, et natura repetunt Scriptores Sedi Apostolicæ infensi, Febronius *de Stat. Eccles. cap. 2. §. 10.* Pehem *prælect. in Jus ecclesiast. par. 1 §. 268 et 269.* Dalham *in Dis. præv. ad Concil. Salisburgen. §. 12 pag. 17 col. 1.* Ceterum totum hoc argumentum ita graviter, accurate, solide, copiose tractavit SANCTISSIMUS D. N. P. PIUS VI. in opere Romæ edito an. 1789, cui titulus *Responsio ad Metropolitanos Moguntinum, Trevirensium, Coloniensem, et Salisburgensem super Nunciaturis Apostolicis*, ut nihil amplius, prorsusque nihil sit, quod in hoc argumenti genere desiderari possit.

(2) Primus S. Leo M. fuisse videtur, à quo apud Imperatorem stabilis, ac perpetuus constitutus est Sedis Apostolicæ Legatus, qui totius Ecclesiæ negotia procuraret, uti patet ex ejus *Epist. 111 ad Marcian. ep. 112 ad Pulcher. Aug. et ep. 115 ad Julian. Episc. Coens. opp. tom. 4 col. 1187, 1189, et 1190 edit. Ballerin. Venet. 1755.* Atque hi quidem *Responsales*, sive *Apocrisarii* dicebantur, quibus antiquiores sunt Vicarii Apostolici, qui similiter Legati erant, quos Summi Pontifices in regnis, atque provinciis constituiebant, et quibus graviora committebant negotia, quæ ad iudicium Sedis Apostolicæ pertinebant. S. Innocentius I. *Prædecessores* suos, ut ipse inquit, *Apostolicos imitatus*, Anysisum Thessalonicensem Episcopum Vicarium, et Legatum suum constituit, eique causas omnes commisit, quæ per totum Illyricum orientur, uti patet ex ejus *epist. 1 ad ipsum Anysisum apud Constantium col. 756.* Quod idem munus ipse Innocentius, ac Bonifacius contulerunt in Rufum, similiter Thessalonicensem Episcopum, Innocentius *ep. 15 ad Rufum col. 315*, et Bonifacius *ep. 4 ad eundem col. 1019 loc. cit.*, Sixtus III. in Anastasium *ep. 8 ad Synod. Thessal. col. 1265 loc. indic.*, Zosimus pro causis Galliarum in Episcopum Arelatensem *ep. 5 et 6 ad Hilarium Episcopum col. 559 et 960 eod. loc.*, Gregorius M. pro causis Siciliae in Episcopum Syracusanum *lib. 2 ep. 7 ad Maximian. Episc. Syracusan. tom. 2 col. 575 edit. Maurin. Paris 1705*, Simplicius, et Hormisdas in Zenonem, atque in Sallustium pro causis Beticæ, et Lusitanæ: in alios denique ceteri Pontifices, de quibus omnibus copiosissime, gravissimeque agit PIUS VI. *cit. oper. cap. 8 sect. 2 et pag. 185 et seq.*

Zenoni, et Sallustio adire oportet, ex Hisp. Episcopis, Turibium Asturicensem, ac Joannem Tarraconensem, à Leone M. primum, alterum ab Hormisda legatione decoratos; denique Leandrum Hispalensem, qui parem honorem à Pelagio II recepit.*

(3) Qua de causa S. Leo M. Julianum Coensem Episcopum, suum apud Marcianum Imperatorem Legatum constituerit, et qua eum potestate praeditum esse voluerit, ostendit ipse Leo *cit. ep. 111: Vicem ipsi meam, inquit, contra temporis nostris haereticos delegavi, atque propter Ecclesiarum, pacisque custodiam, ut à comitatu vestro non abesset, exegi: et cit. ep. 115 ad Julian., Studeat ergo, ait, dilectio tua, frater carissime, piom, et necessariam curam sollicitudini Apostolicæ Sedis impendere.... ut divino fultus auxilio, speculari de Constantinopolitane Urbis opportunitate non desinas. Sed clarius et luculentius Leone antiquior S. Innocentius I. s. Rufum Thessalonicensem Episcopum, vicarium Apostolicum constituere declarat exemplo D. Pauli qui Tito, quæ curet apud Cretam, Timotheo qua per Asiam disponat, commissit *loc. cit. col. 816. Hoc exemplo fretus Innocentius, explicat jurisdictionem, quam Apostolico Vicario committit: ut cum aliqua ecclesiastica ratio vel in tua, vel in memoratis provinciis agitata, cognoscendaque fuerit, quos velis Episcoporum socios quibuscumque de Ecclesiis assumas tecum, quorum et fide, et moderatione quidquid necessitas, causave flagitaverit, optimus dirigas arbiter, et præcipuus, quippe à nobis electus, definias intercessor. Tum addit: nam voluntatem hanc nostram per unamquamque provinciam salis, ut decebat, mani festavimus *ib. col. 817. Innocentii vestigiis insistens S. Gregorius M. ep. 54 Univer. Episc. Galliar. qui sub regno Childeberti sunt, lib. 5 opp. tom. 41 col. 785 edit. Paris. 1795, Apostolico Vicario Virgilio Episcopo Arelatensi amplam tribuit auctoritatem, ejusque officia describit, quæ sunt, ut sedulo de fidei integritate servanda laboret: ut si inter Fratres, Consecratosque nostros aliqua evenerit forte contentio, auctoritatis suæ vigore, vicibus nempe Sedis Apostolicæ functus, discreta moderatione compescat; ut si qua oriatur controversia, quæ aliorum etiam præsentiam, ac iudicium postulet, congregatis sibi in numero competentis fratribus, et coepiscopis nostris, salubriter hoc servata æquitate discutiat, et canonica integritate definiat: ut denique si qua sit causa gravior, quæ Sedis Apostolicæ iudicium requirat, Vicarius rem totam cognoscere debeat, ac relatione sua ad nostram studeat perducere notionem, quatenus à nobis valeat congrua sine dubio sententia terminari. An jurisdictio Apostolico Vicario concessa clarius explicari potuisset? Hujus quoque juris Sedis Apostolicæ præclarum exhibet testimonium Joannes VIII ep. 75. Nobili Viro Lamberto apud Labræum *Conc. tom. 2 col. 60. Porro quia dixistis, quod sine consensu tuo Legationes nusquam mittere deberemus, ususque hic non fuerit, nec literis legitur, nec à quoquam superstite unquam fuisse reminiscitur factum: et ideo Sedes Apostolica libera semper existens liberam ubique suam mittit Legationem, habens Domini auctoritatem dicentis: Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. Paucis hæc attigi, quæ multo uberius, gravioris, accuratius pertranctur in laud opere PII VI. cap. 3 sect. 5 et seq. pag. num. 46 et seq. pag. 205 et seq.****

30. Sunt autem Legati vel à latere, vel missi, vel nati. Legati à latere sunt Cardinales, quos Summus Pontifex, quasi ex

suo dimissos latere, cui semper adhærere censentur, aut ad Supremos Principes, aut in ditionis Ecclesiasticæ provincias mittit. Hi supra ceteros Legatos eminent, et eorum in provinciam adventu silet aliorum Legatorum potestas (1). Utuntur apostolicis insignibus (2), absolvunt excommunicatos propter violationem clericorum (3), et amplissima fruuntur potestate, quam describunt Litteræ Apostolicæ, per quas Legationis munus accipiunt (4).

(1) Cap. 3 de Offic. Legati.

(2) Cap. 25 de Privileg.

(3) Cap. 9 de Offic. Legati.

(4) Vide Platum de Card. dignit. et Offic. c. 22, et Giraldum Exposit. Jur. Pontific. par. 1 tit. 20 sect. 170 p. 101 et seq., ubi Legatorum potestas late explicatur.

31. Sunt etiam Legati missi non ex Cardinalium collegio, et Nuntii vocantur, quos Sedes Apostolica mittit ad Supremos Principes, quique in provinciis, et regnis, ubi legationis munere funguntur, explicant Pontificiam jurisdictionem. Eorum potestas definitur literis, quibus ipsis à Summo Pontifice officium commissum est, neque Legato misso adhibetur fides, nisi is primum literas ipsas protulerit (1).

(1) Can. ult. dist. 97.

(N. S. A sæculo XI non parum excrevit numerus, et auctoritas Legatorum in Hispania. Horum officium in eo maxime erat, quod controversias inter Episcopos exortas finirent, Concilia convocarent, ac Metropolitæ ad Canonum promulgationem, et observantiam cogerent. Unde ab Urbano II missus est Renerius Cardinalis, ut Archiepiscoporum Narbonensis, et Tarraconensis extingueret controversias de Primatu, Toletano Archiepiscopo nuper adserto: ab Innocentio II Guido Cardinalis, qui Synodum Burgensem collegit: ab Honorio III Joannes Cardinalis, qui Synodum Herdensem coegit cujus Constitutiones Asparragus, Archiepiscopus Tarraconensis, ex injuncto sibi à Legato munere promulgavit.)

Quod ad auctoritatem attinet Nuntii Apost. in Hispania, constat eum jam sæculo XVI nedum in gratiæ, sed et in justitiæ negotia officium exercuisse. (Leg. 1. tit. 4 lib. 2 Novis. Compilat.)

Hæc de re habenda præ oculis sunt illius Nunciaturæ Constituta (Ordenanzas) an 1640 admissa (Leg. 2 ejusd. tit.) necnon Breve Pont. Clementis XIII diei 18 Decemb. 1766, ubi prædicti Nuntii jurisdictioni et facultates stabiliuntur (Leg. 4 repet. tit.); ad quæ referuntur aliquæ aliæ nostratis juris dispositiones (reliq. præcit. tit. leg.)

32. Sunt denique Legati nati, quorum dignitati conjunctum est legationis officium, ita ut Legati fiant, statim ac dignitatem

consequuntur. Eo jure fruuntur Episcopi Cantuariensis, et Eboracensis in Anglia, Remensis, Bituricensis, et Lugdunensis in Gallia, in Hispania Toletanus, et Bracarensis, in Germania Salsburgensis, in Italia Pisanus.

(N. S. Nec tantum Episcopis, verum et Principi alicui, ob præclara in Ecclesiam merita, munus *Legati nati* à Sede Apostolica aliquando adtributum est. Ita Sicilia Rex Legatus natus R. Pontificis est in toto Regno; sive ex Bulla Urbani II Salerni an. 1098 edita, quam *Monarchiæ Siciliae* vulgo nuncupant; sive ex Bulla Benedicti XIII 3 Kal. Septembr. an. 1728 emanata, quæ vim concordia habet. Et merito quidem hoc nomine donatur; ea enim Pontifex pacis studiosissimus dissidia, quæ R. Sedem inter, ac Reges Siciliae diu exarserant, sapienter extinxit.)

Animadvertere hic non abs re erit, minime confundendos Sanet. Sedis Legatos cum Pontificiis *Delegatis*. Illorum enim auctoritas extra iudicium ut plurimum, istorum essentialiter in iudicio, et quidem de privatorum litibus vel causis, explicatur. Quod ad Delegatos spectat, in mente habere oportet, tum canonem Innocen. III, in conc. Lateran. IV sancitum, *cap. 28 de Rescriptis*, quo generaliter cavetur, ne quis ejusmodi commissionis vigore ultra duas dietas à propria diocesi trahatur; tum similem Bonifacii VIII epistolam, quæ Delegatorum determinat qualitates, *cap. 41 predict. tit. in 6.*; ac multas alias Apostol. dispositiones, ubi pro illius, de qua agitur, jurisdictionis exercitio regulæ præscribuntur, *lit. de offic. et potest. Jud. Deleg. et in Decretalibus et in 6.* Tridentina quoque Synodus, *ses. 25 cap. 10 de Ref.*, præcipit, ut in provinciarum aut episcopalibus conciliis, quatuor saltem pro unaquaque diocesi designentur personæ, dotibus à Bonifacio VIII statutis præditæ, quæ exclusivè causæ committendæ sint; adjiciens, ut hæc celeriter expediantur, litigatorum artibus quavis ratione repulsis.

SECTIO III.

DE PATRIARCHIS, PRIMATIBUS, METROPOLITIS.

53. ORIGO, ET NOMEN PATRIARCHARUM.—54. DIVISIO ORIENTIS, ET OCCIDENTIS INTER MAJORES PATRIARCHAS.—55. NUNC PATRIARCHÆ ORIENTALES TANTUM TITULARES SUNT.—56. PATRIARCHARUM JUS, ET POTESTAS.—57. PATRIARCHÆ MINORES.—58. PRIMATES.—59. METROPOLITE, ET EORUM ORIGO.—40 ET 41. EORUM JURISDICTIO.—42. PALLIUM.—45 AD 45. EJUS USUS, ET AUCTORITAS.

33.

Episcopis ordine pares, jurisdictione tamen, et imperio superiores sunt etiam Patriarchæ, Primates, Metropolitæ. Patriarchas quasi *Patrum Principes* interpretatur Isidorus (1); et jus quidem patriarchicum Nicæno concilio antiquius est (2). Sed ejus nominis prima mentio occurrit in Concilio Chalcedonensi (3),

illudque primum singulari quadam ratione Summo Pontifici, deinceps etiam Alexandrino, Antiocheno, postque Hierosolymitano, aliisque nonnullis Exarchis imitatione quadam tributum est (4).

(1) *Can. 1 dist. 21.* Videndus Svicerus, ea de re disputans.

(2) Concilium Nicænum *can. 6 tom. 2 col. 1755 collect. Labbæi*, cujus hæc verba sunt: *Antiqui mores serventur, qui sunt in Aegypto, Libia, et Pentapoli, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quandoquidem et Episcopo Romano hoc est consuetum. Similiter et in Antiochia, et in aliis provinciis sua privilegia, ac suæ dignitates, et auctoritates Ecclesiis serventur.* Verba antiqui mores serventur satis clare ostendunt, jus patriarchicum, quod habebant Episcopi Romanus, Alexandrinus, Antiochenus, ante concilium Nicænum fuisse institutum. Nimirum tres hæc sedes, non tantum quod essent locatæ in principibus Romani Imperii civitatibus, sed etiam, idque potissimum, quod à D. Petro originem repeterent, semper Ecclesiæ Patres præcipuo quodam honore sunt prosequuti. Quæ cum ratio sit Patriarchi juris tribus illis sedibus affixi, haud sane à vero aberrare videntur, qui in summa primam ejus originem ab ipsis Apostolis repetunt. Vid. Thomassinum *Vet. et nov. eccles. discipl. par. 1 lib. 1 cap. 7 et 8 tom. 1.* et Jo. Antonium Bianchi *della Potestà e della polizia della Chiesa lib. 2 cap. 1 pag. 4 et seq. tom. 4.* Scio equidem quanta, et quam gravis sit de sexto illo canone concilli Nicæni inter eruditos disputatio. Sunt enim, qui eo tantum de jure metropolitico, non verò de jure patriarchico Ecclesiarum Romanæ, Alexandrinæ, Antiochenæ actum fuisse defendunt, atque hanc sententiam novissime sequitur Dominicus Cavallarius *Inst. Jur. Canon. par. 1 cap. 10 §. 1 in not.*, ut exinde efficere quis possit, Nicæno Concilio recentiore esse Patriarchatum Ecclesiæ Romanæ in Occidentem universum. Sed, uti post Sirmondum animadvertit Petrus de Marca *Concord. Sacerdot. et Imper. lib. 1 cap. 3 §. 7.* Alexandrini, et Antiocheni Episcoporum jura in concilio Nicæno patriarchica certe fuerunt, non metropolitica. Nam Alexandrino Episcopo potestas conceditur non solum in Aegyptum, sed etiam in Pentapolim, et Lybiam; et Antiocheno Episcopo ab eadem Synodo non unius, alteriusve provinciæ, sed totius dioceseos orientalis, hoc est provinciarum quindecim, quæ oriente continebantur, administrationem fuisse commissam, diserte tradunt, Hieronymus *lib. contr. Joan. Hierosolymitan. cap. 57 tom. 2 col. 447 ed Vallursii Veronæ*, et Innocentius *1 ep. 24 ad Alexandrum Antiochen.* apud Constantium *col. 351.* Ergo patriarchica etiam esse debuerunt jura Ecclesiæ Romanæ, ad quorum exemplum illa componuntur patriarchica jura Episcoporum Alexandrini, et Antiocheni, uti ostendunt canonis verba: *Quandoquidem et Episcopo Romano hoc est consuetum.* Difficile est autem sano homini suadere, quod Cavallarius, putat, Hieronymum, et Innocentium, qui non procul ætate aberant à concilio Nicæno, quique vim ejus canonum ignorare non poterant, errasse tam graviter, ut aliam quam quæ esset revera, Nicæno canonis sententiam adscriberent. Quid? Cum actum de Patriarchatu Constantinopolitano est, quid aliud adversus eum opposuerunt Romani Pontifices, quam canonem Nicænum, qui tantum Ecclesiarum Romanæ, Alexandrinæ, Antiochenæ jus patriarchicum agnovit? Ergo jus hoc patriarchicum revera agnitum, probatumque est Nicæna Synodo, uti late demonstrat Petrus de Marca *loc. cit.*

(3) Concilium Chalcedonense *act. 1 tom. 2 col. 257 collect. concil. Har-*

consequuntur. Eo jure fruuntur Episcopi Cantuariensis, et Eboracensis in Anglia, Remensis, Bituricensis, et Lugdunensis in Gallia, in Hispania Toletanus, et Bracarensis, in Germania Salsburgensis, in Italia Pisanus.

(N. S. Nec tantum Episcopis, verum et Principi alicui, ob præclara in Ecclesiam merita, munus *Legati nati* à Sede Apostolica aliquando adtributum est. Ita Sicilia Rex Legatus natus R. Pontificis est in toto Regno; sive ex Bulla Urbani II Salerni an. 1098 edita, quam *Monarchiæ Siciliae* vulgo nuncupant; sive ex Bulla Benedicti XIII 3 Kal. Septembr. an. 1728 emanata, quæ vim concordia habet. Et merito quidem hoc nomine donatur; ea enim Pontifex pacis studiosissimus dissidia, quæ R. Sedem inter, ac Reges Siciliae diu exarserant, sapienter extinxit.)

Animadvertere hic non abs re erit, minime confundendos Sanet. Sedis Legatos cum Pontificiis *Delegatis*. Illorum enim auctoritas extra iudicium ut plurimum, istorum essentialiter in iudicio, et quidem de privatorum litibus vel causis, explicatur. Quod ad Delegatos spectat, in mente habere oportet, tum canonem Innocen. III, in conc. Lateran. IV sancitum, *cap. 28 de Rescriptis*, quo generaliter cavetur, ne quis ejusmodi commissionis vigore ultra duas dietas à propria diocesi trahatur; tum similem Bonifacii VIII epistolam, quæ Delegatorum determinat qualitates, *cap. 41 predict. tit. in 6.*; ac multas alias Apostol. dispositiones, ubi pro illius, de qua agitur, jurisdictionis exercitio regulæ præscribuntur, *lit. de offic. et potest. Jud. Deleg. et in Decretalibus et in 6.* Tridentina quoque Synodus, *ses. 25 cap. 10 de Ref.*, præcipit, ut in provinciarum aut episcopalibus conciliis, quatuor saltem pro unaquaque diocesi designentur personæ, dotibus à Bonifacio VIII statutis præditæ, quæ exclusivè causæ committendæ sint; adjiciens, ut hæc celeriter expediantur, litigatorum artibus quavis ratione repulsis.

SECTIO III.

DE PATRIARCHIS, PRIMATIBUS, METROPOLITIS.

53. ORIGO, ET NOMEN PATRIARCHARUM.—54. DIVISIO ORIENTIS, ET OCCIDENTIS INTER MAJORES PATRIARCHAS.—55. NUNC PATRIARCHÆ ORIENTALES TANTUM TITULARES SUNT.—56. PATRIARCHARUM JUS, ET POTESTAS.—57. PATRIARCHÆ MINORES.—58. PRIMATES.—59. METROPOLITE, ET EORUM ORIGO.—40 ET 41. EORUM JURISDICTIO.—42. PALLIUM.—45 AD 45. EJUS USUS, ET AUCTORITAS.

33.

Episcopis ordine pares, jurisdictione tamen, et imperio superiores sunt etiam Patriarchæ, Primates, Metropolitæ. Patriarchas quasi *Patrum Principes* interpretatur Isidorus (1); et jus quidem patriarchicum Nicæno concilio antiquius est (2). Sed ejus nominis prima mentio occurrit in Concilio Chalcedonensi (3),

illudque primum singulari quadam ratione Summo Pontifici, deinceps etiam Alexandrino, Antiocheno, postque Hierosolymitano, aliisque nonnullis Exarchis imitatione quadam tributum est (4).

(1) *Can. 1 dist. 21.* Videndus Svicerus, ea de re disputans.

(2) Concilium Nicænum *can. 6 tom. 2 col. 1755 collect. Labbæi*, cujus hæc verba sunt: *Antiqui mores serventur, qui sunt in Aegypto, Libia, et Pentapoli, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quandoquidem et Episcopo Romano hoc est consuetum. Similiter et in Antiochia, et in aliis provinciis sua privilegia, ac suæ dignitates, et auctoritates Ecclesiis serventur.* Verba antiqui mores serventur satis clare ostendunt, jus patriarchicum, quod habebant Episcopi Romanus, Alexandrinus, Antiochenus, ante concilium Nicænum fuisse institutum. Nimirum tres hæc sedes, non tantum quod essent locatæ in principibus Romani Imperii civitatibus, sed etiam, idque potissimum, quod à D. Petro originem repeterent, semper Ecclesiæ Patres præcipuo quodam honore sunt prosequuti. Quæ eum ratio sit Patriarchi juris tribus illis sedibus affixi, haud sane à vero aberrare videntur, qui in summa primam ejus originem ab ipsis Apostolis repetunt. Vid. Thomassinum *Vet. et nov. eccles. discipl. par. 1 lib. 1 cap. 7 et 8 tom. 1.* et Jo. Antonium Bianchi *della Potestà e della polizia della Chiesa lib. 2 cap. 1 pag. 4 et seq. tom. 4.* Scio equidem quanta, et quam gravis sit de sexto illo canone concilli Nicæni inter eruditos disputatio. Sunt enim, qui eo tantum de jure metropolitico, non verò de jure patriarchico Ecclesiarum Romanæ, Alexandrinæ, Antiochenæ actum fuisse defendunt, atque hanc sententiam novissime sequitur Dominicus Cavallarius *Inst. Jur. Canon. par. 1 cap. 10 §. 1 in not.*, ut exinde efficere quis possit, Nicæno Concilio recentiore esse Patriarchatum Ecclesiæ Romanæ in Occidentem universum. Sed, uti post Sirmondum animadvertit Petrus de Marca *Concord. Sacerdot. et Imper. lib. 1 cap. 3 §. 7.* Alexandrini, et Antiocheni Episcoporum jura in concilio Nicæno patriarchica certe fuerunt, non metropolitica. Nam Alexandrino Episcopo potestas conceditur non solum in Aegyptum, sed etiam in Pentapolim, et Lybiam; et Antiocheno Episcopo ab eadem Synodo non unius, alteriusve provinciæ, sed totius dioceseos orientalis, hoc est provinciarum quindecim, quæ oriente continebantur, administrationem fuisse commissam, diserte tradunt, Hieronymus *lib. contr. Joan. Hierosolymitan. cap. 57 tom. 2 col. 447 ed Vallursii Veronæ*, et Innocentius *1 ep. 24 ad Alexandrum Antiochen.* apud Constantium *col. 351.* Ergo patriarchica etiam esse debuerunt jura Ecclesiæ Romanæ, ad quorum exemplum illa componuntur patriarchica jura Episcoporum Alexandrini, et Antiocheni, uti ostendunt canonis verba: *Quandoquidem et Episcopo Romano hoc est consuetum.* Difficile est autem sano homini suadere, quod Cavallarius, putat, Hieronymum, et Innocentium, qui non procul ætate aberant à concilio Nicæno, quique vim ejus canonum ignorare non poterant, errasse tam graviter, ut aliam quam quæ esset revera, Nicæno canonis sententiam adscriberent. Quid? Cum actum de Patriarchatu Constantinopolitano est, quid aliud adversus eum opposuerunt Romani Pontifices, quam canonem Nicænum, qui tantum Ecclesiarum Romanæ, Alexandrinæ, Antiochenæ jus patriarchicum agnovit? Ergo jus hoc patriarchicum revera agnitum, probatumque est Nicæna Synodo, uti late demonstrat Petrus de Marca *loc. cit.*

(3) Concilium Chalcedonense *act. 1 tom. 2 col. 257 collect. concil. Har-*

duini ed. Paris. de Leone Summo Pontifice hæc habet: *Leoni multi anni. Patriarchæ multi anni.* Et act. 5 col. 521 Theodorus. et Ischiron Diaconi Alexandrini: *Sanctissimo et universali Archiepiscopo, et Patriarchæ magnæ Romæ.* Et col. 552 Sophronius Presbyter Alexandrinus: *Sanctissimo et beatissimo universali magnæ Romæ Patriarchæ Leoni.* Patriarcham etiam S. Leonem appellarunt Theodosius junior, et Marcianus in literis, quæ referuntur act. 1 concilii Chalcedonensis par. 1 col. 59 et part. 5 col. 672 lpc. cit. Ante Synodum Chalcedonensem Patriarchas memorat Socrates lib. 5. cap. 8 pag. 270 ed. Valesii Cantabrigi an. 1720; at eos non veros, et ordinarios Patriarchas, sed extraordinarios fuisse Legatos ad stabiliendam fidem in singulis diocesisibus à concilio constitutos, observat Valesius in not. ad eundem locum. Quem autem Patriarcham vocat Hadrianus apud Vopiscum in Saturatio inter Script. Histor. Aug. tom. 2 pag. 72. Lugdun. Batav. 1671, eum non Christianam, sed Judæam fuisse ostendit Binghamus orig. Ecclesiast. lib. 2 cap. 17 §. 5 pag. 259 tom. 1 ed. cit. Diligenter, atque erudite ea de re disputat Marnæus Orig. et antiquit. Christian. lib. 4 cap. 4 §. 5 num. 2 tom. 4 pag. 550. Ceterum Patriarchæ vocabantur etiam Archiepiscopi, atque hæc spectat Concilium Chalcedonense act. 16 col. 621 cit. coll. Harduini, et Liberatus Brivar. cap. 47 in Reg. Conc. col. tom. 12 pag. 476 Paris. 1644; itemque Exarchi diocesis, qui cum Exarchis provinciæ confundi non debent. Hi enim erant Metropolitæ, uni scilicet provinciæ prepositi, atque ad hos pertinet can. 6 Concilii Sardicensis pag. 641 tom. 1 Concil. ed. Harduini Paris.; illi autem præerat diocesi, quæ plures provincias complectebatur.

(4) Proprie ad præcipuos Exarchas Patriarchæ appellatio pertinet, sed interdum etiam ad Exarchas minorum gentium, qualis ex gr. erat Episcopus Cæsariensis, traducta est.

34. Post Romanum, qui Summus Pontifex est, atque Ecclesiæ præest universæ, multoque ceteris auctoritate, ac dignitate præstat (1), duos agnovit Nicæna Synodus præcipuos Episcopos, qui recentiori ætate Patriarchæ dicti sunt: Alexandrinum, et Antiochenum. Accessit postea Constantinopolitanus, ac demum etiam Patriarcha Hierosolymitanus (2). Itaque quatuor hodie sunt Patriarchæ Orientales: Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus (3); regiones vero, quæ sunt in Europa, Africa, America Summo Pontifici, tamquam Occidentis Patriarchæ, subjiuntur (4).

(1) De potestate, quam semper Summi Pontifices in quatuor majores Patriarchas exerceverunt, videndus Carolus à S. Paulo Geographia sacra lib. 1 num. 1 et seq. pag. 41 et seq. Paris. 1641.

(2) Constantinopolitani Concilii Patres can. 5 tom. 2 concil. col. 1125 collect. Labbæi edil. Venet. ejus Urbis Episcopum dignitate Patriarchatus ornarunt, quod deinceps probavit etiam Concilium Chalcedonense can. 28 tom. 4 concil. col. 1691 ejusd. collect. Noluerunt id initio ratum habere Summi Pontifices, quod esset contra Nicænum canonem 6; sed postea, molibus precibus Imperatorum, ratum habuerunt. Denique honos etiam Patriarchatus, probante Sede Apostolica, à Theodasio Juniore datus est Ecclesiæ Hie-

rosolymitanæ; qua de re cum orta essent dissilia inter Antiochenum, et Hierosolymitanum Episcopum, ea lege composita sunt in Concilio Chalcedonensi, ut tres Palæstinæ Hierosolymitano Episcopo, utraque autem Phœnicia, et Arabia Antiocheno subicerentur.

(5) Ordinem hunc dignitatis inter quatuor Patriarchas orientales constituit Innocentius III. in Concilio Lateranensi IV. Can. 25 de privil. De quatuor Patriarchis Orientalibus late agit Michael Le Quien in opere, cui titulus: *Oriens Christianus, in quatuor Patriarchatus digestus.*

(4) De occidentali Patriarchatu Summi Pontificis pauca dicenda sunt, quoniam non desunt qui Patriarchatum ipsum non totum initio Occidentem comprehendisse contendunt, eaque est etiam opinio Dominiaci Cavallarii in *Instit. Jur. Canon. part. 1 cap. 10 §. 4.* Sed quisquis id sentit, ignorat profecto celeberrimam, et jam IV. sæculo receptam totius Christiani orbis divisionem in Orientales, et Occidentales Ecclesias, quam divisionem à veteri consuetudine repetit Pseudo-Synodus Sardicensis à Semi-Arianis habita in *epist. synodice. apud Labbæum tom. 2. Concil. col. 740.* Sed ut hoc mittam schismaticorum hominum testimonium, ipsam hæc divisionem compertissimam faciunt S. Ambrosius in gestis Concilii Aquilejensis, cui ipse præfuit, col. 1165 et 1166 tom. 2 collect. Concil. Labbæi ed. Venet.; S. Hieronymus ep. 97 num. 4 col. 577 tom. 1 ed. Vallarsii, Summi que Pontifices apud Constantium, nimirum Cælestinus I. ep. 15 ad Nestor. col. 1115. Liberius ep. 11 col. 444, Bonifacius I. ep. 15 col. 1059; præterea Constantinopolitani Concilii Patres in *epist. ad Damas. et Occident. Episc.* apud eundem Constantium col. 558. Quibus autem terminis Orientales Ecclesiæ continentur, diserte explicat Concilium Constantinopolitanum can. 2 apud Labbæum tom. 2 col. 1125. edil. Venet. Nimirum ejus concilii Patres Ecclesias illas intra Dioceses Thraciam, Ponticam, Asianam, Orientem et Ægyptum coercuerunt; ceteras vero dioceses omnes, scilicet integrum Illyricum, Italianam, Gallias, Britanias, Hispanias, et Africam Occidenti reliquerunt. Omnes hæc dioceses Occidentis Patriarchatus complectebatur, atque in toto Occidente non alius unquam Patriarcha, quam Romanus fuit. Itaque Patriarchatus Romanus (hic tantum loquimur de jure patriarchico Summi Pontificis, non de Primatu, quem habet in universa Ecclesia, quique totum Orientem, atque Occidentem complectitur) multo latius patebat, quam singuli paterent orientales Patriarchatus; nam hi suam singuli in oriente diocesim habebant, illi autem omnes occidentis dioceses commissæ erant, duæ nimirum in Italia, integrum Illyricum, quod postea sectum est in dioceses duas, Galliæ, Britanniæ, Hispaniæ, Africae. Atque hæc certe causa est, propter quam Arelatensis Concilii Patres in *epist. ad Silvestrum tom. 1 collect. Conc. Labbæi col. 249* cum *Majores Dioceses tenere dixerint, et vero diocesis nomine ea tempestate plures provincias comprehensas fuisse constat, uti ostendit Emmanuel Schelstratus Antiquit. Eccles. tom. 2 dissert. 6 cap. 5 num. 2 pag. 424. Romæ 1697.* Ad hunc totius Occidentis Patriarchatum, quem Summus Pontifex obtinebat, spectant S. Basilius ep. 259 pag. 568 tom. 3 opp. ed. Maurin. Paris 1750 cum eum *occidentalium Coriphæum* appellat; S. Augustinus contra Julian. lib. 1 cap. 4 tom. 10 col. 505 ed. Maurin. Venet 1755, cum S. Innocentium Pontificem occidentali Ecclesiæ præpositum describit; S. Hieronymus ep. ad Marcum 17 col. 45 tom. 1 ed. Vallarsii, qui uti Petro Alexandrino Patriarchæ totum Ægyptum, ita S. Damaso Pontifici totum occidentem adscribit, et rursus *contra Vigilant. num. 2 col. 589. tom. 2 ed. cit.* ubi in tota Christiano orbe non alias agnoscit Ecclesias, quam *Orientis, Ægypti, et Sedis Apostolicæ, hoc est totius Occidentis. In-*

nocentius ipse, quem toti Occidenti præpositum laudabat Augustinus, non solum earum, quas supra memoravi, occidentalium dioceseon principatum, excepto Illyrico (de quo tamen agit *ep. 13 ad Rufum Thessalonie.* apud Constantium col. 315, et in *decret. cap. 35* apud Pithæum *Cod. Can. vet. Eccles. Rom. pag. 204. Paris. 1687.*) Romanæ Sedi vindicat *ep. 25 ad Decent. Episc. Eugubini. num. 2 col. 856* apud Constantium, sed etiam hujus institutionis originem ex eo repetit, quod Occidentis Ecclesiæ à Petro, ejusve in Sede Romana successoribus fuerint constitutæ. Mitto loca alia sexcenta Patrum, et Conciliorum, ex quibus patet, Summum Pontificem Occidentis Patriarcham ab omnibus semper habitum, atque appellatum fuisse. Quid autem Occidentis nomine intelligunt Patres, Concilia, Scriptores omnes, nisi illas octo dioceses, quarum supra est facta mentio, quæque totum Occidentem conficiebant? Itaque si Summus Pontifex Occidentis Patriarcha est, omnium certe illarum dioceseon Patriarcha esse debet. Vide Leonem Allatum *de Eccl. occident. et orient. perpet. consens. lib. 1 cap. 12 pag. 188 Colon. Agrippin. 1648.* Christianum Lupum *ad can. 6 Conc. Nicæni. tom. 1 pag. 244 ed Venet. an. 1724.* Natalem Alexandrum *Histor. Eccles. ad sæc. 4 dissert. 20 prop. 1 tom. 4 pag. 106 et seq. ed. Venet. 1776.* qui de Nicæni canonis 6 interpretatione late agunt; et vide Petrum de Marea *Concord. Sacerd. et imper. lib. 1 cap. 5.* Emmanuelem Schelestratum *Antiq. Eccles. tom. 2 dissert. 6 per tot. pag. 409.* Carolum à S. Paulo *Geografia sacra lib. 2 n. 8 et seq. pag. 15 et seq. Paris. 1641.* Hallier *de Sac. ordinat. par. 2 cap. 4 sect. 5 art. 5.* Morinum *Exercit. eccles. lib. 1 exerc. 6 p. 47 Paris 1669.* qui omnes de jure Patriarchico Summi Pontificis in totum Occidentem late, ac nervose disputant.

35. Nunc orientalium Patriarcharum sedibus Barbarorum tyrannide oppressis, tamen Sedes Apostolica Patriarchas creat, qui Romæ commorantur solo insigniti titulo, et nulla præditi jurisdictione, ne insignium Ecclesiarum memoria oblivione deleatur. Quæ eadem causa est, propter quam creantur etiam Episcopis *Titulares*, quos Episcopos *in partibus* appellamus (1), et quorum est Episcopis opem ferre in iis, quæ sunt ordinis Episcopalis, præsertim cum diocesis tam late patet, ut unus Episcopus omnibus ubique muneribus obeundis idoneus non sit (2).

(1) De Episcopis Titularibus videnda in primis est Homilia plena eloquentiæ, elegantiæ, et doctrinæ, quam habuit SS. D. N. PIUS SEXTUS in Basilica S. Pauli die 4 Octobris an. 1778 in consecratione Hieronymi Crivelli Episcopi Nepesini, et Sutrii, ac Petri Aloysii Galletti Episcopi Cyrenensis, et videndus etiam Andreæ Hierarch. *Eccles. tract. 1.*

(2) Erant olim et Episcopi gentium, ex quibus horum titularium Episcoporum origo repetenda videtur. Eos ordinabat Sedes Apostolica, ut mitteret ad gentes, quæ ad Christianam Religionem essent instituendæ. Vide Petrum Constantium *ep. Roman. Pontif. pag. 3 et 6.* et Franciscum Blanchinum *tom. 2 Anastasii in not. ad vit. S. Eleutherii pag. 142.*

De titularibus Episcopis V. Alex. Aur. Pellicia, *De Christ. Eccl. Politia, lib. 1 sect. 2 c. 10.* Tales nostra natio habuit, maxime cum à Saracenis complures hujus regni Provinciæ detinerentur: ut observant Archiep. D. Ro-

dericus Jimenez *de Reb. Hisp. l. 1. c. 48.* et Mariana lib. 7 c. 48.—Sed et Gothorum tempore aliquos in Hispania fuisse, supponit G. Cardillus in præclaro opere de Tolet. Concil., cap. 29.

Quod ad Oriental. Eccles. Patriarchas attinet, notanda Allocutio habita à SS. Pont. Pio IX in secreto Consistorio diei 4 Octobris an. 1847, ubi nunciata fuit nominatio Presbyteri Jos. Valerga in Hierosolymitanam Sedem, ut apud Sancta Loca resideret, et propriam sibi jurisdictionem, quantum fas esset, explicaret: quod revera ad effectum perduxisse, sat omnibus notum est.*

36. Potestatem, quam Metropolitanæ habent in Suffraganeos, eandem fere à Sacris Canonibus habent Patriarchæ in Metropolitanitas. Præcipua eorum jura, et privilegia sunt, ut post Summum Pontificem, et Cardinales sedeant ordine dignitatis; ut Metropolitanis pallium concedant, posteaquam ipsi à Pontifice acceperunt; ut crucem præseferant per univærsam tractum sui Patriarchatus, nisi occurrat Summus Pontifex, aut ejus à latere Legatus; ut à suis Metropolitanis ad eos appelletur (1).

(1) *Cap. 25 de privileg.*

37. Reliqui Patriarchæ minores dicuntur, uti sunt Patriarcha Venetus, Indiarum, Ulisiponensis. Hi non procul distant à Primatibus, ac medium tenent locum inter majores Patriarchas, ac Metropolitanas. Eorum potestas trahitur in omnes certi regni, ac nationis Metropolitanas, et Episcopos; ipsi vero Majori Patriarchæ subjiuntur, cujus intra fines Episcopatum tenent.

(N. S. In Hispania, Indiarum Regno à Paganorum expugnato dominio, curavit Philippus III, ut Patriarcha sub hoc nomine institueretur; id quod probavit Paulus V, qui Didaco Guzmano primum Indiarum Patriarchæ titulum, absque ulla prorsus in Indos Episcopos jurisdictione, indulsit an. 1615; quem novis Reges Nostri cumulare studentes prærogativis, Indiarum Patriarchæ, Pro-Capellani Majoris, ut vocant, Regiæ Aulæ, primi Regii Elemosynarii, et Vicarii Generalis totius Hispaniæ exercitus, et Antislitis insignis Equestris Ordinis Caroli III dignitates superaddere constituerunt; eique Romani etiam Pontifices Cardinalitiæ dignitatis galerum mittere non gravantur.)

Indiarum Patriarchatus creationem à S. Sede impetrari, Legato Hieronymo de Vich in mandatis dedit, an. 1545, Ferdinandus V, Rex; unde eam non multo post, verosimiliter sub Carolo I, obtentam, asserit recentissimus nostras scriptor, qui alios ante Didacum de Guzman tali titulo decoratos extitisse, ex veteri Castellæ Cameræ archivo comprobat.*

38. Proximus post eos locus est Primatum, et Metropolitanarum; sed illi his antecellunt. Nam Primates omnibus præsent

Metropolitans, atque provinciis regni, aut nationis, ubi primatum habent. Hujusmodi sunt Antistites Bituricensis, Lugdunensis, Toletanus, Salisburgensis, Pisanus, alique, quibus à Metropolitans concessæ appellationes, et jus anteferendæ crucis datum. Sed hodie tantum Primati Lugdunensi reliquum est jus appellationum, ceteri solam honoris prerogativam retinent (1).

(1) De antiqua Primatum dignitate, ac potestate magna inter erulitos disputatio est. Sunt enim qui eos Patriarchas, sunt qui Metropolitans fuisse putant, et sunt qui ab utrisque distinguunt. Sane apud Afros, uti patet ex Concilio Africano *cap. 65* apud Pithæum *Codex can. vet. Eccles. Roman. pag. 160 Paris 1637*, Primates Metropolitæ erant; atque hinc Numidiæ Metropolitam *Primatem* Augustinus vocat *ep. 219 n. 6 col. 1015 l. 2*, et Antistes Carthaginensis à Possidio *in Vita August. c. 8 col. 262 l. 10 opp. August. Primas*, in Concilio Ephesio *act. 1 l. 1 col. 1419 coll. Harduini Metropolitam* appellatur. Ex quo confici videtur posse, nullum inter Primatem, et Metropolitam discrimen intercedere. Accedit quod *cap. 3 de For. competen.* cautum est, ut orta lite inter Episcopos diversarum provinciarum, dentur iudices à Primati, cujus in provincia sedet locus, de quo disputatur. Cum autem proprius Episcoporum iudex Metropolitam sit, certe Primas Metropolitam videtur. At vero Innocentius III apud Bosquetum *in ejus gestis pag. 60* inquit: *apud nos hæc duo nomina Primas, et Patriarcha pene penitus idem sonant, cum Patriarchæ, et Primates teneant unam formam, licet eorum nomina sint diversa*. Eadem occurrunt in apocryphis literis Clementis, Aniceti, Anaclei, Lucii PP., quæ apud Gratianum extant *can. 1 et 2 dist. 80, et can. 1 et 2 dist. 99*. Denique qui alium à Patriarcha, et Metropolitam Primatem faciunt, nituntur canone 9 Concilii Chalcedonensis apud Labbæum *tom. 4 col. 1636 ed. Venet.*, quo habentur hæc: *Si autem cum ipsius provincie Metropolitanus Episcopus, vel clericus controversiam habeat, diæcesis Evarchum adeat, vel Imperialis Urbis Constantinopolis thronum*. Primas igitur alius est à Metropolitam, et alius à Constantinopolitano Episcopo, hoc est Patriarcha. Paucæ de hæc controversia dicam. Cum primum Ecclesia Primatis vocabulum usurpare cepit, eo significavit Metropolitam, Episcopis Arelatensi, et Viennensi de Primatus honore contententibus, Taurinense Concilium *an. 597 can. 2* apud eundem Labbæum *tom. 2 col. 1535* ita respondit: *qui ex iis approbaverit, suam civitatem esse metropolitam, is totius provincie honorem Primatus obtineat*. Ita Africani Primates Metropolitæ erant, et ita Primas Metropolitam est *in cap. 3 de For. competen.*, quod ex Africano Concilio desumptum est. Sed postea Primatis vox traducta est ad Patriarchas, et novo hoc sensu vox hæc usurpari primum cepit in falsis decretalibus Clementis, Aniceti, Anaclei, Lucii, quæ sunt *in can. 1 et 2 dist. 80, et can. 1 et 2 dist. 99*; forte quod auctor eorum decretalium nulum discrimen fecit inter *Evarcham, aut Primatem diæcesis*, qui Patriarcha est, interque *Primatem provincie*, qui est Metropolitam. Mirum autem videri non debet, quod aliquis à Metropolitæ iudicio provocare posset vel ad Primatem diæcesis, hoc est Patriarcham, vel ad Constantinopolitanum Antistitem, uti sancitum est canone 9 Concilii Chalcedonensis. Nam id peculiari jure, et extra ordinem datum erat Episcopo Constantinopolitano, ut in causis non suarum Metropolitanarum per Orientem primo iudicio decerneret; quod patet exemplo Flaviani Patriarchæ Constan-

tinopolitani, qui iudices dedit in causa Ithæ Metropolitæ Edesseni, qui suerat Patriarchæ Antiocheno, uti constat et Concilio Chalcedonensi *act. 10 col. 507 et seq. tom. 2 collect. Harduini*.

(N. S. In Hispania, quantum ex nostris Conciliis colligere est, Primates olim iidem erant, qui Metropolitæ; at postea Metropolitanorum non pauci in Primatis titulum intendere ceperunt. Primatus honore insignivit Bernardus Archiepiscopus Toletanus Urbanus II in Constit. data Agnanæ idib. Octob. an. 1083. Quædam ipsius verba lubet transcribere: *Teque (sicut ejusdem urbis antiquitus constat exstitisse Pontifices) in totis Hispaniarum Regnis Primalem privilegii nostri sanctione statuimus..... et auctoritatem pristinam Toletanæ Ecclesie restituere non negamus.... Primatem te universi Hispaniarum Præsules respicient., et ad te si quid inter eos questione dignum fuerit, referent*. Et sane ipsi aliquam supra reliquos Hispaniæ Metropolitans præferentiam tribuere videtur Syn. Tolet. XII *Can. 6*. Sed protinus apud Apostolicam Sedem audita sunt Narbonensis, et Tarraconensis querelæ, quas Legatus ab Urbano missus sedare cupiens, Toletanum nedum in collato sibi titulo confirmavit, sed et Legati à Latere Pontificis prærogativa decoravit; quin et indultum Toletano privilegium apertis eisdemque fere verbis, quibus Urbanus, eidem Bernardo adseruerunt Paschalis II 2 Novemb. an. 1110, Gelasius II 15 Novemb. an. 1119, et Calixtus II 5 Novemb. an. 1122; Raymundo Honorius II 30 Novemb. an. 1125, et Lucius II 15 Martii an. 1144; Joanni Eugenius III 15 Februarii an. 1152 etc.

Non ideo sopitæ sunt controversiæ: diu et acriter disceptatum est de Primatu à Compostellano, Bracarensi, et aliis. Hæc serio perpendens pacis studiosissimus Eugenius, non semel omnibus iunxit Hispaniarum Episcopis, ut Toletano tanquam Primati parere non dubitarent; immo suspensionem inflicturum se comminatus est Bracarensi, nisi à die 19 Decembris usque ad Dominicam in Palmis Primatum Toletanum agnoscere deliberaret. Et quum ab Anastasio IV indultum impetrasset exemptionis à Toletano Compostellanus, illud Hadrianus IV, ac his Alexander III irritum habuere, eo quod *neque de communi, neque de sanioris partis fratrum consilio fuisset elicium*. Tandem vero Toletani Primatum supra Bracarensem, et Compostellanum firmavit Alexander III 15 Julii an. 1163, et supra Hispanensem Honorius III; quo circa Philippus V eundem Toletanum ob dignitatis sublimitatem *Excellentiæ* titulo decoraverit *Leg. 1, Tit. 12 Lib. 6 Novis. Compil.*, et iteratas Tarraconensis Archiepiscopi in Primatis epitheto firmiter sustinendo. Videtur *cap. 2 de Auct. et usu Pallii, Collect. Canon. Tarracon. an. 1591*: immo neque desierunt hucusque seipso primates appellare. Nos igitur, partium studio penitus sepositis, non possumus Tarraconenses Archiepiscopos Primates nominare.)

89. Metropolitam uni præest provincie, et Episcopis, qui ea

comprehenduntur. Dignitatem hanc ante Concilium Nicænum viguisse compertum est (1), multique sunt viri docti, et graves, qui ejus originem repetunt ab Apostolis, à quibus hujusce dignitatis, et juris non obscura relicta sunt monumenta, ut recte status Ecclesiasticæ Hierarchiæ constitueretur (2). Metropolitæ nomen à metropoli procedit, quæ est urbs provinciæ caput. Qui in ea civitate Episcopatum gerebant, dicti sunt Metropolitæ, ac deinceps etiam Archiepiscopi; quod postremum vocabulum etsi olim latius pateret, tamen lapsu temporum translatum est ad eos, qui provinciæ uni essent præpositi, quales Metropolitæ sunt. Itaque ratio, et mos hominum fecit, ut Metropolitica dignitas hæreret civitati, quæ in provincia habebat principatum, et ad quam omnes confluebant; postea à sacris canonibus jura, et privilegia dignitate consentanea fuere attributa (3).

(1) Fuisse Metropolitas ante Concilium Nicænum, perspicuum est ex ipsius Concilii *can. 6 et 7 tom. 2 col. 55 collect. Labbæi*. Idem colligitur ex Epiphano *Advers. Hæres. lib. 2 tom. 2 hæc. 48 n. 1 ed. Petavii Paris. 1622*, Athanasio *de Senten. Dionysii n. 5. l. 1 pag. 194 ed. Patav. an. 1777*, atque ex Concilio Illiberitano *can. 58 apud Labbæum tom. 1 col. 999 ed. Venet.*, ubi memoratur *prima cathedra*, quæ Metropolitæ est.

(2) Specimen satis clarum, et expressum metropoliticæ dignitatis Apostoli dederunt in Tito, et Timotheo, quorum alteri omnes in Creta insula ecclesias, alteri totam Asiam provinciam commissam fuisse constat. Vid. Chrysostomum *Hom. 2 in Tit. et hom. 1 in 1 Timoth. pag. 547 et 757 t. 11 opp. ed. Montfauconii Paris.* atque Eusebium *Hist. Eccles. lib. 5 cap. 4 pag. 90 ed. Valesii Cantabrigiæ 1720*. Idem de successoribus Timothei, et Titii testatur ipse Eusebius *lib. 5 cap. 4 pag. 168*, de Polycrate, qui Asiæ Episcopus, de Philippo, qui omnibus Cretæ insulæ Ecclesiis, de Irenæo, qui Galliæ, de Palma, qui Ponto, de Theophilo Casariensi, et Narcisso Hierosolymitano, qui Palestinæ Episcopus præfuit, *lib. 4 cap. 25 et lib. 5 cap. 25 pag. 145 et 190*. Ac meo quidem judicio ita componi videtur posse vetus illa quæstio, num Metropolitica dignitas ab Apostolis, an post eorum ætatem ab Ecclesia fuerit instituta. Ejus certe specimen ab Apostolis est relictum; sed res demum omnis consecutis temporibus absoluta, et perfecta est. Videndus Usserius *de Orig. Episc. et Metropolit.*, Beveregius *Cod. can. vindicat. lib. 2 cap. 5 num. 42*, de Marca *Concord. sacerdot. et imper. lib. 6 cap. 1 num. 5*, Thomassinus *Vet. et nov. Eccl. discipl. lib. 4 part. 1 cap. 2*, Mamachi *Orig. et antiq. Christian. lib. 4 cap. 4 §. 5 num. 4 pag. 555 tom. 4*. Ceterum Metropolitæ vocabulum recentius est, et qui deinceps eo nomine appellati sunt canone 57. Apostolorum apud Cotelerium *PP. Apost. tom. 1 pag. 446 Amstelædami 1724* dicuntur Concilio Sardicensi *can. 9 apud Labbæum tom. 9 col. 676*. Episcopi *Metropolis*, Augustino *Brev. col. lat. 5 cap. 18 t. 9 col. 570 ed. Venet. 1753*. *Principes*, atque in Concilio Carthaginiensi III *can. 26 apud citatum Labbæum tom. 2 col. 1405* statutum est, ne primus Antistes, alio nomine, quam *primæ Sedis Episcopus* vocaretur. Cumque apud Afros hæc dignitas, excepta Ecclesia Carthaginiensi, quæ in tota Africa primatum habebat, non hæreret certæ Sedi, sed is provinciam regeret, qui se-

rior ordinatione erat, factum hinc est, ut qui provinciæ præerant, *Senes* appellarentur. Ita Xantippus Numidiæ Primas semel atque iterum *Senex* appellatur in Concilio Africano *cap. 67 apud Pithæum Codex. Canon. vet. Eccles. Roman. pag. 161. Paris. 1687*; et pluries etiam eodem vocabulo utitur Augustinus *ep. 64, 65, 144 col. 155, 154, 456 tom. 2 edit. Maurin Venet. 1729*.

(N. S. In Hispania autem perpetuus Metropolitæ titulus uni videtur adfixus Ecclesiæ in præfato *Can. 58 Illiberit*: id quod extra dubitationem obtinebat exeunte eodem sæculo IV, uti colligitur ex Epist. Siricii ad Him. an. 585.)

(3) Concilium Antiochenum *can. 9 apud Labbæum tom. 2 col. 590*. Episcopus, inquit, qui sunt in unaquaque provincia, seire oportet, Episcopum, qui præest metropoli, etiam curam suscipere totius provinciæ, eo quod in metropolim undequaque concurrunt omnes, qui habent negotia. Et huc etiam spectat Concilium Taurinense *can. 2 apud eundem Labbæum tom. 2 col. 1385*, Concilium Chalcedonense *can. 12 et 17 tom. 4 col. 1687 ejusd. collect.*, Concilium Trullanum *can. 58 col. 1566 tom. 7*.

(N. S. Igitur jam inde ab Apostolorum ætate Metropolitanarum vestigia adparent; at vero nullibi ante Concilium Nicænum *Can. 6* nomen illud invenies, neque in Hispania ante Tarracon. an. 516 *Can. 5*; primitus enim dicebantur *Primæ Cathedræ Episcopi, Primates Provinciæ, Principes, et Primæ Sedis Episcopi*.

Metropolitæ quoque Archiepiscopi cognominati sunt, quasi primi inter Episcopos; quæ quidem vox non simul ac inventa est, omnibus tributa est Metropolitis, sed expectatissimis dumtaxat Episcopis, iisque nonnisi in Oriente, neque ante sæculum IV apud Athanasium in Catalogo, quem Meletius Alexandro dedit, et Epiphanium *Hæres. 68, et 69*. Verum usitatio fieri cepit à sæculo V, et in Occidentem inducta incunte sæculo VII. Tandem vero à sæculo VIII cuncti fere Metropolitæ Archiepiscopi dictione decorati sunt; ea tamen non videmus usos esse Hispaniarum Episcopos in subscriptionibus usque ad Cone. Ovetense an. 1115.

Hispania igitur, quæ Constantini Magni decreto in quinque civiles Provincias partita erat, in easdem quoque Ecclesiasticas divisa erat, habente saltem sæculo IV, uti evincitur ex præf. Epist. Siricii, in Carthaginensem, nempe, Bæticam, Lusitanam, Gallaicam, et Tarraconensem, quarum institutæ sunt Metropolitanæ, Toletana in Carthaginiensi, Hispalensis in Bætica, Emeritensis in Lusitania, Bracarenensis in Gallaicia, Tarraconensis in Tarraconensi. Sunt qui putent, Carthaginensem Spartariam primo constitutam esse Carthaginensis Provinciæ Metropolim: nos vero nullum hujusmodi tuendæ opinioni momentum invenimus, et Cajetanus Gennius *Antiquit. Eccl. Hisp. Tom. 1 Dissert. 2 cap. 5 à §. 9* acerrime contendit, Toletum fuisse semper ejusdem Provinciæ Metropolim, cui nostrum etiam calculum addimus; post comperta quoque à Card. de Aguirre Acta Conc. Ovetensis an. circiter 875, in quorum §. 7 hæc traduntur: *Legimus Gothos dignitatem Carthaginiensis Toletum transtulisse*; quippe quæ de dignitate civilis Metropolis intelligenda esse, existimamus. Narbonensis, quæ quum sibi eam adsciverit Ataulphus, facta est alterum Hispaniæ nostræ membrum, Narbonæ summ habuit Metropolitanam. Duas alias Hispaniarum Provincias prætermittimus, Tingitanam videlicet, seu Transfretanam in Africa, et Insularum Balearium: eo quod neutra earum ad Hispaniam Ecclesiam pertinuisse videatur.

Anno 569, quo celebratum est Lucense Concilium, Lucæ datum est secundam esse Gallaiciæ Provinciæ Metropolim; et quamvis non una sit de

hoc Concilio eruditorum opinio, exploratum tamen est, tribus annis ab eodem Concilio, Bracaram simul, et Lucum fuisse Metropoles, id quod evincitur ex Præf. ad Syn. Bracar. II an. 572. *Quum Galliciæ Provinciæ Episcopi tam ex Bracarensi, quam ex Lucensi Synodo cum suis Metropolitanis.... convenissent:* quin et in prioribus fortassis Codicibus subscribunt, primo, *Martinus Bracarensis Metropolitanæ* cum suis Suffraganeis, dein *Nitigis Lucensis Metropolitanæ Ecclesiæ* cum ejus itidem Suffraganeis.

Quænam fuerit sæculo IX hujus Galliciæ Provinciæ Metropolis, ambigua sane res est, et prorsus obscura. Ovetum fuisse putabimus, si fides adhibenda est Roderico Archiepiscopo Toletano; quippe qui *Lib. 4. De rebus Hispaniæ cap. 18* refert, Joannis VIII mandato collectum esse Concilium Ovetense, ut Ecclesia hæc Metropolitanæ decoraretur dignitate, id quod innuit quoque Callixtus II in quodam Rescripto an. 1122 apud Sandoval. Et sane in Actis præf. Syn. Ovetens. §. 5. Bracara simul, et Lucus Ovetensi Salvatoris Ecclesiæ subjectæ decernuntur. At si credimus Catalogo Emilianensi, quem Florezius suæ inseruit *Hisp. Sacræ Tom. 4 Tract. 3 cap. 6 num. 348*, exaratum an. 885 existimans, sola Bracara in Galliciæ Metropolitanæ potiebatur honore.

At undecimo sæculo, in quo nullum jam vestigium aparet Metropolitanæ honoris Oveti tributi, immo Ovetensis Episcopus sola Episcopi dictione decoratus legitur in Exord. Conc. Cojacen. an. 1050, inter alios forsitan disceptabatur, ita ut *Vimarius Episcopus Lucensis* Metropolitanæ titulo insignitus subscribat Syn. Compostellanae an. 1056, et *Didacus Archiepiscopus Jacobensis*, id est Compostellanus, Conc. Ovetensi an. 1115; quin et in Catalogo à Florezio editis, ubi supra *Cap. 7* nunc Gallicianus Metropolitanæ, *Archiepiscopus Emeritensis, vel Compostellanus*, nunc *Archiepiscopus Emeritensis, Compostellanus* dicitur, donec tandem Callixtus II an. 1120 Metropolitanæ dignitatem Compostellano adjudicandam decrevit, primusque institutus est Archiepiscopus Didacus Gelmirez, ut adparet ex Bulla, quam Florezius exhibet *Tom. 20*. Unde amissa penitus à Lucensibus antiqua prærogativa, et Bracara alterius Regis subjecta ditioni, una inter Gallicos Metropolitanæ Ecclesiastica Compostella est.

In Tarraconensi tres aliæ constitutæ sunt Metropoles, Valentina ab Innocentio VIII an. 1292, primusque electus Archiepiscopus Rodericus à Borgia, qui deinde ejusdem Innocentii in Sede Romana fuit Successor. Cæsaraugustana à Joanne XXII, et in Syn. Cæsaraugust. an. 1518 sub Petro de Luna confirmata, Burgensis à Gregorio XIII 22 Octob. an. 1574.

In Bætica quoque secunda erecta est Metropolis, Granatensis videlicet ab Alexandro VI, primusque electus Archiepiscopus Ferdinandus à Talavera, charitate, et rerum gerendarum scientia clarissimus.

Unde quum Majoricensium Ecclesia Valentinae facta fuerit Suffraganea, et Narbonensis Provincia inter Galliarum Regis ditiones jamdiu enumeretur, octo exstant hodie in Hispania Metropolitanæ, scilicet Toletanus in Castella Nova, Hispalensis in Bætica, Compostellanus in Galliciæ, Granatensis in Granatensi Regno, Burgensis in Castella Veteri, Tarraconensis in Catalaunia, Cæsaraugustanus in Aragonia, Valentinus in Valentia: binique Episcopatus exempti, Ovetensis videlicet, cujus exemptio à Metropolitanæ dignitate quondam illi tributa forte provenit, et Legionensis ex privilegio, ut ferunt, Lucii Papæ. Videtis *Agilium Gonzalez Theatr. Eccl. Legion.*

Episcopi igitur, qui Metropolitanis subsunt, vocantur *Suffraganei*, hoc est *Auxiliares: cap. 41 de Electione*. Qui licet olim decem minimum esse deberent, tamen usu receptum est, ut etiam longe minores numero esse pos-

sint. Apud nos, licet olim Metropolitanæ plus decem sub se haberent Suffraganeos, non ita Bracarensis et Lucensis post peractam à Concilio divisionem, quidquid sit de hoc Concilio Lucensi, Bætica enim, Galliciæ, et Narbonensis sæculo IX decem minus præfuerunt Suffraganeis. V. Catalog. Emilian. apud Florez. *ubi supra*. Quantum ad hodiernam spectat divisionem, sola Compostellana duodecim habet Suffraganeos; cæterarum vero nulla decem.)

Hæc Selvagii Adnotat.—En quomodo Concordatum an. 1851 dioceses, de quæ sermo in adit. ad sect. 4 tit. 2 hujus libri, per provincias distribuit:

Art. 6. Prædictarum Diocesium distributio, quod ad cujusque subjectionem suis Metropolitanis attinet, erit quæ sequitur.

• Assignabuntur in suffraganeas Metropolitanæ Burgensi, Ecclesiæ Calaguritana seu Lucroniensis, Legionensis, Oxomiensis, Palentina, Santanderiensis et Victoriensis.

• Compostellanae, Auriensis, Lucensis, Mindoniensis, Ovetensis et Tudensis.

• Cæsaraugustanae, Jacensis, Oscensis, Pampilonensis, Terulensis et Tirasconensis.

• Granatensis, Almeriensis, Carthaginensis, seu Murciensis, Gienensis, Guadiceensis et Malacitana.

• Hispalensi, Canariensis, Cordubensis, Gaditana et Paensis.

• Tarraconensi, Barchinonensi, Gerundensis, Illerdensis, Dertusensis, Urgellensis et Vicensis.

• Toletanae, Cauriensis, Cluniensis, Conchensis, Matritensis, Placentina et Seguntina.

• Valentinae, Majoricensis, Minoricensis, Oriolensis, seu Aloniensis, et Segobricensis seu Castillonensis.

• Vallisoletanae, Abulensis, Asturiensis, Salmaticensis, Segoviensis et Zamorensis.

Art. 7. Novi fines et peculiaris earundem diocesium circumscriptio, quo citius fieri possit, ac servatis in Apostolicam Sedem statuatur, quamobrem Summus Pontifex suo et ejusdem Sedis apud Majestatem Catholicæ Nuntio necessarias facultates delegabit ad opus, collatis cum Regio Gubernio consiliis perficiendum.

Art. 8. Singuli Episcopi, et quibus præsent, Ecclesiæ canonicam suis Metropolitanis subjectionem præferent; ac proinde privilegium exemptionis, quo episcopatus Legionensis et Ovetensis pridem gaudebant, cessabit.

Vallisoletana Ecclesia nondum in metropolitanam erecta est; nec in executionem perlata statuta istius nova provincialium distributio. Solummodo tenet præscripta Legioni et Oveti sedium Archiepiscopis Burgensi et Compostellano submissio, vi Reg. Decreti cum Apost. Nuntii ad sensu lati die 17 Octobris ejusd. anni., art. 4.

40. Metropolitæ jurisdictionem habet in omnes suæ provinciae Episcopos, quos Suffraganeos vocat. Quare supplet eorum negligentiam (1), eosque vocat ad synodum provincialem (2), inquit in absentiam, atque ad residendum compellit (3), negligentibus ad officium cogit, jus dicit inter eos, qui à Suffraganeorum judicio ad se provocant (4), denique in tota provincia Crucem præfert, insigne jurisdictionis suæ (5).

(1) Synodus VII in can. *Cum simus c. 9 qu. 3.* Concilium Lateranense III can. 8 apud Labhæum tom. 15 col. 421, cap. *Licet de Supplen. neglig. prælat. cap. 7 de Offic. ordin.*, Conc. Trident. *sess. 24 cap. 20 de Reform.*

(2) *Can. 6 dist. 13.*, Conc. Trident. *sess. 24 cap. 2 de Reform.* Syn. Tarrac. *can. 6. et Bracar. 1. cap. 6.*

(3) Conc. Trident. *sess. 25 cap. 1 de Reform.*, Pius IV in *Bulla de salute gregis 12 pag. 56 tom. 4 par. 2 Bullarii.* Hodie tamen Episcopi sine venia Summi Pontificis à suis Ecclesiis abesse non possunt. Benedictus XIV in *Const. Ad universæ 18 de Residen. episc. tom. 2 ejus Bullar. pag. 73 ed. Rom. 1754.*

(4) *Cap. 11 de offic. judic. ordin., cap. 3 de Appellat. in 6.* Videnda tamen ea de re est *Constitutio ad militantis 48*, itemque *Constitutio Romanæ Curie 115*, Benedicti XIV in *ejus Bullar. tom. 1 pag. 81 et 285*, ubi certus est definitus appellationum modus, ne quid ex iis damni oriatur.

(5) *Clement. Archiepiscopo de privil.*

41. Majores tamen causæ criminales Episcoporum, in quibus de eorum depositione agitur, ad iudicium pertinent Romani Pontificis (1), minores ad Concilium provinciale (2). Olim Metropolitæ lustrare etiam poterant dioceses Suffraganeorum suorum (3), nunc non possunt, nisi causa in provinciali synodo cognita, et probata sit (4). Atque hæc quidem omnia pertinent ad præfecturam, et eminentiora jura, quæ supra Episcopos insunt in Patriarchis, et Metropolitanis. Nam ipsi habent etiam in diocesi sua jura Episcopalia, quæ sibi cum reliquis Episcopis communia sunt.

(1) Vetus est, sed jam à multis explosa, atque ejecta calumnia, quod falsæ decretales Isidori majores criminales Episcoporum causas Romani Pontificis iudicio servaverint. Hæc cantilena est hæreticorum, atque eorum omnium, quorum in Sede Apostolicam insigne odium est; hoc nobis præter ceteros objiciunt Febronius, et Eybelius, et hoc item Institutionibus non multis ab hinc annis editis Cavallarius *par. 1 cap. 8 §. 4.* Sed quæ magis frigida, et jejuna calumnia excogitari potest, cum exploratissimum sit, idque etiam fateatur Blondellus, homo videlicet è numero hæreticorum, Isidorianas decretales nullum novum jus induxisse, sed omnes esse excerptas ex sententiis Sanctorum Patrum, ex veris Summorum Pontificum post Siricium constitutionibus, canonibus conciliorum, Romanis legibus, et disciplinam comprehendere, quæ jam obtinebat? Revera majores causæ, quæ ad Episcoporum accusationes pertinent, jam ante Isidorum servatæ erant iudicio Sedis Apostolicæ, sine ejus consensu definiri non poterant, uti constat in primis ex S. Leone *ep. 6 c. 5 col. 622, ep. 13 col. 678, et ep. 14 col. 682 t. 1 opp. ed. Ballerin.*, atque ex S. Gregorio *ep. 7 et 36 lib. 5 col. 650, et 650, ep. 5, 24 et 65 lib. 8 col. 794, 809, 858 tom. 2 ed. Maurin. Paris. 1705;* et jam ante Zosimus *ep. 1 ad Episc. Gall. apud Constantium col. 938* graviores Episcoporum causas Summi Pontificis iudicio servatas declaraverat, cum scriberet: *Ad cujus (Patrocli Arelatensis, Vicarii Apostolici) notitiam, si quid illic negotiorum emergerit, referri censemus, nisi magnitudo cause etiam nostrum requirat examen.* Quo etiam spectat ejusdem Zosi-

mi *commonitorium* apud eundem Constantium col. 931, ubi describitur Sardicensis Canon de appellationibus ad Sedem Apostolicam. Vide *Notam 4 ad §. 16 et Notam 4 ad §. 18 tit. 9*, et vide el. *Blasium de Collect. Canon. Isidor. Mercator. cap. 9 pag. 95 et seq.*, ubi tota hæc materia solide, et erudite pertractatur.

(2) Conc. Trident. *sess. 24 cap. 5 de Reform.*

(3) *Cap. 1 de Censib. in 6.*

(4) Conc. Trident. *sess. 24 cap. 5 de Reform.*, Urbanus VIII *Const. Exponi nobis 570 tom. 6 par. 1 pag. 277 Bullar.*

(N. S. Metropolitanarum antiqua jura quod spectat, præcipua erant: 1 Episcoporum suffraganeorum electiones confirmare, eosdemque ordinare; uti ipse Metropolitæ à sua Provinciali Synodo confirmandus erat; Syn. Tolet. IV *Can. 19* alias 48.

2. Controversias inter Suffraganeos subortas auctoritate sua decidere, ab iisque acceptare provocationem: Syn. Emerit. *Can. 8*, et Tolet. XIII *Can. 11.*

3. Episcopos in suo munere adimplendo negligentes, instar patris, et doctoris monere, et corrigere: Syn. Tolet. XI *Can. 2.*

4. Ecclesiasticos Canones, ac Imperiales Sanctiones ad ecclesiasticum regimen pertinentes evulgare, Suffraganeis communicare, et providere, ut observentur: Siricius Papa *Epist. ad Him. Tarracon. in fine.*

5. Ubi sedes aliqua Episcopalis intra suam Provinciam vacaret, ejus curam gerere, negotia dirigere, redditus in tuto ponere, maturamque novi Episcopi electionem procurare; Syn. Tolet. IX *Can. 7*; id quod viciniorum Episcopum quondam spectabat. Syn. Valent. *Can. 2.*

6. In diem, quo Pascha celebrandum esset, inquirere, de coque Provincia Episcopos admonere: Syn. Tolet. IV *Can. 5.*

7. Sacrarum precum ordinem constituere, ac quemcunque aliam à Metropolitanæ Ecclesiæ diversum abrogare: Syn. Gerund. *Can. 1*, et Tolet. XI *Can. 3.*)

42. Omnes Patriarchæ, et Metropolitæ, præter cetera pontificalia ornamenta, habent pallium, cujus origo à divisione ecclesiasticarum provinciarum videtur repetenda, eo præsertim tempore, quo Sacerdotes à Diaconis, à Sacerdotibus Episcopi, atque inter eos qui principem obtinebant locum, vestibus distingui cœperunt. Neque enim aliud, præter pallium, videtur occurrere ornamentum genus, quo Episcopi inter se discernantur (1). Est autem pallium fascia lanea candida (2), tres circiter digilos lata, in modum circuli contexta, quæ humeros cingit, habetque ab utraque parte lineas in pectus, et humeros impendentes, cum sex sericis, nigrisque crucibus intextis, tribusque aciculis aureis consuitur, et alligatur (3). Sumitur ex altari, ubi conditum est B. Petri corpus; idcirco ex eodem Petri corpore sumptum dicitur, ac per ipsum plenior Patriarcharum, et Metropolitanarum potestas designatur (4). Olim à Sede Apostolica suis Vicariis, ut plurimum, tribuebatur (5); nunc ab ea datur omnibus Patriarchis, et Metropolitanis (6).

(1) In tanta originis pallii obscuritate hæc ceteris probabilior conjectura videtur, quam tradit Carolus Gagliardus *Instit. Jur. Canon. lib. 1 tit. 17 num. 5*. Cardinalis Baronius *ad an. 536 num. 65 pag. 291 tom. 4 edit. Lucæ*, pallium ab Ecclesia inductum putat exemplo Rationalis, et Superhumeralis, cujus mentio est in Exodo *cap. 28 vers. 4*, et quo tantum Summus sacerdos, alius præterea nemo, utebatur. Ita, inquit, in *Christianæ Religionis Sacerdotio genus illud indumenti, quod pallium dicimus, Summi tantum Pontificis cessit usui, ab eo tamen compluribus Episcopis magna ex causa communicatum*. Certe, ut est à Mamachio animadversum *ad Auctor. opusc. Quid est Papa? ep. 3 n. 10 tom. 1 pag. 228* jam usque à primis nominis christiani temporibus Romani Pontifices Metropolitanarum dignitatem indicens quibusdam firmare, ac roborare consueverunt; atque inter hæc indicia pallium esse, nemo inficiabitur. Præclare S. Gregorius M. *lib. 2 ep. 22 ad Univers. Illyric. Episc. pag. 717 tom. 7 ed l' enet. 1770*, de Joanne electo cunctis suffragiis Episcopo Justinianæ primæ loquens: *juxta postulationis vestre desiderium, inquit, prædictum Fratrem, et Coepiscopum nostrum in eo, in quo est, Sacerdotis Ordine constitutus, nostri assensus auctoritate, firmamus, ratamque nos ejus consecrationem habere, dirigentes pallium indicamus*. Ea pallium firmati à Sede Apostolica Archiepiscopatus indicium. Qui pallium Patriarcharum, et Metropolitanarum imperatorum fuisse ornamentum, atque ab Imperatoribus Ecclesiæ concessum putant, ii nituntur fundamentis, quæ eruditorum omnium judicio falsa sunt. Hujus generis est certe rescriptum Valentiniani III, quod habet Agnellus *lib. Poet. in vit. S. Maxim. p. 34 ed. Mutin. 1708*, idque late demonstrant Baronius *ad an. 452 n. 94 seqq. pag. 446 seq. tom. 7 ed. Lucæ*; Schelestratus *Antiqu. eccles. dissert. 4 cap. 5 num. 7*; Norisius, *Dissert. hist. de Synod. V cap. 10.*; Christianus Lupus, *Dissert. 2 de Africanæ Eccles. Rom. appellat. c. 8 pag. 176 et seq. opp. tom. 8 ed. Venet. 1727*; Bacchini in præfot. à Laudatum Agnelli *librum pag. 20 n. 12 et seq.*, ac de *Eccles. Hierarch. orig. par. 5 pag. 578 et seq. ed. Mutinæ an. 1705*. Multos in errorem induxit pallii vocabulum, quod erat generale nomen indumenti, quo omnes utebantur, et quo totum corpus tegebatur. Sed quis ex eo conficiat, omnino simile fuisse pallium, quod ornamentum loco conceditur Patriarchis, et Metropolitanis, ut ab Episcopis distinguantur? Hoc quoque pallium initio usque ad talos fuisse productum multi tradiderunt ex eo, quod *lib. 15. Annal. n. 5 tom. 2 pag. 108 ed. Paris. an. 1687* narrat Zonaras, Anastasium, Germani Patriarchæ vestigiis insistentem, ejus omophorion calcasse, ut ita eum morderet, ne properaret; sed, ut recte est à Christiano Lupo in *cit. dissert. de African. Eccles. appell. c. 7 p. 174 t. 8 opp. ed. cit.* animadversum, eo loco Zonaras loquitur de stola, hoc est de manicata veste talari, non autem de pallio, quod tantum intra Ecclesiam gerebatur. At vero Anastasius S. Germani vestem extra Ecclesiam caleavit.

(2) Die S. Agnetis Virginis, qui est dies 21. Januarii, in ejusdem Agnetis templo in via Nomentana, singulis annis duo candidi agni offerri, ac benedici solent, cum in Missa imploratur Agnus Dei, deincepsque Apostolicis Subdiaconis traduntur, atque in aliquo sanctimonialium monasterio nutriuntur, donec suo tempore tondeantur. Ex ea vero lana permixta reliquæ lanæ, cum in filum deducta fuerit, pallia conficiuntur.

(3) Antiquam pallii formam describit Innocentius III *lib. 1 Myst. miss. cap. 63 tom. 1 p. 553. Colon. 1575* his verbis: *Fit enim pallium de candida lana contextum, habens desuper circum humeros constringentem, et duas lineas ab utraque parte dependentes; quatuor autem cruces purpu-*

reas, ante, et retro, à dextris, et à sinistris, sed à sinistris est duplex, et simplex à dextris. Nunc sex cruces sunt, eæque nigri coloris. Vid. Card. Bona *Rer. Liturg. lib. 1 cap. 24 §. 16 tom. 2 pag. 272*, et Sala in *not. 1 pag. 275 Taurin. 1749*.

(4) *Cap. 4 de Elect.*

(5) Temporis injuria perierunt antiquiora monumenta, quorum ope statui certo possit, quo primum tempore Romani Pontifices Metropolitanis Pallium attribueri cœperint. Hoc certum est, Symmachum, qui initio VI. sæculi Pontificatum gessit, illud concessisse Theodoro Laureacensi, uti patet ex ejus *ep. 41* apud Labbæum *tom. 5 conc. col. 440*, cumque illud Pontifex se indulgere dicat *more majorum*, facile intelligitur, pallii à Sede Apostolica obtinendi jam tum fuisse morem plane veterem. Vigilius Auxanio Arelatensi Episcopo *ep. 7* apud eundem Labbæum *tom. 5 col. 1501* pallium dedit, *sicut decessori tuo*, inquit, *Prædecessor noster sanctæ recordationis Symmachus legitur contulisse*. Unde intelligimus, et Cæsario qui fuit decessor Auxanii, pallium à Symmacho fuisse concessum. Eodem VI. sæculo Pelagius I cum Vicarium Apostolicum creasset Sapaudum Episcopum item Arelatensem, literis ad eum datis *an. 557* apud eundem Labbæum *tom. 6 col. 747* pallium etiam ei se attribueri dixit, *ut in tanto loci fastigio constitutus, præclaro quoque habitu decoraretur*. Huc etiam referendus est Rabanus de *Inst. cler. l. 1 c. 23 t. 6 opp. p. 8 ed. Colon. Agrip. 1626* cum ait: *super hæc autem omnia Summi Pontifici propter Apostolicam vicem pallii honor decernitur*. Petrus de Marca *Concord. Sacerd. et Imper. lib. 6 cap. 7 n. 1*, ut suam de Gallicano pallio à Romano distincto sententiam confirmet, statuit, atate Gregorii M. solum Arelatensem Episcopum illud in Gallia gestasse. Sed ex vita Desiderii Viennensis Archiepiscopi apud Henschenium, et Papebrochium ad diem 25 Maii *tom. 5 Act. SS. pag. 252 Antwerp. an. 1685* manifestum est, eum quoque, cum Archiepiscopus factus est, *ex more Romam misisse pro adipiscendo Sedis Apostolicæ pallio*. Quibus ex verbis intelligimus Desiderium non primum fuisse Viennensem Episcopum, qui à Sede Apostolica pallium postulavit. Ex eodem loco deprehenditur, quam falsa sit sententia Petri de Marca de *Conc. Sacerd. et Imper. lib. 6 cap. 6*, qui ait Romanos Pontifices summam in mittendis palliis ad Episcopos Gallicanos curam adhibuisse, ut jus Metropolitanicum à Vicariatu Sedis Apostolicæ oriri videretur, atque ut iis novum jugum novaque servitus imponeretur. Non enim pallium sua sponte offert Gregorius, ut jugum aliquod imponat, sed ipse Desiderius à Gregorio postulat *de more*, quod indicat antiquam consuetudinem; cujus mentio est etiam apud ipsum Gregorium *lib. 4 ep. 1 col. 632*, et clarius *ep. 11 lib. 9 col. 957 tom. 2 ed. Maurin. Paris. 1705*. Revera tantum abest, quod rectissime est à Gravesonio *Histor. Eccl. sec. 9. colloq. 6 tom. 5 pag. 202 ed. Venet.* observatum, ut Summi Pontifices curam in mittendis ad Gallicanos Præsules palliis adhibuerint, ut potius ferventibus Regum precibus, et ardentibus Episcoporum votis inducerentur ad usum pallii Episcopis concedendum. Quod si Romani Pontifices per usum pallii novam servitutem Episcopis imponere intendissent, omni procul dubio nec Reges in gratiam Metropolitanorum suorum unquam istud pallium à Romanis Pontificibus postulassent, nec Metropolitanis novam, et insolitam hanc servitutem sibi imponi passi fuissent, nedum ambiissent. Par est sententia eorum, qui olim sine Imperatoris auctoritate pallium à Romano Pontifice concedi potuisse negant, ex eoque numero est etiam Dominicus Cavallarius *Instit. Jur. Canon. par. 1 c. 9 §. 2*. Nam hæc sententia nititur rescripto Valentiniani III, et nititur errore, quod ecclesiasticum pallium in-

peratorium ornamentum fuerit. Vid. Christianum Lupum *cit. dissert. de Afric. Eccl. Roman. appellat. cap. 8 pag. 176*, Bianchium *della Potestà e della Polizia della Chiesa lib. 3 c. 2 §. 2, 3, 4 tom. 5 par. 1 p. 178 et seq.*, Bonam *Rer. liturg. lib. 1 cap. 24 §. 16*, et Salam *in not. pag. 272 et seq. tom. 2 ed. Taurin. 1749.*

Haud despicienda videtur observatio, quam in suo *Juris Canonici Dictionario* emitit can. hon. André, art. *Palio* §. 1, quamque ex alibi citata Matrit. versione transcribimus; videlicet:

«Parece por muchas cartas de los papas, que no concedian esta señal de distincion sino con permiso de los emperadores. Tenemos un ejemplo notable de esta deferencia de los pontifices romanos con los emperadores, en lo que escribió el Papa Vigilio; pues contestando éste á Auxanio, arzobispo de Arlés, que le habia pedido el *palio*, le dijo que no podia dispensarle esta gracia sin saber antes si lo creia conveniente el emperador. La misma precaucion tomó este papa cuando trató de enviar el *palio* á Aureliano, sucesor de Auxanio, y el Papa San Gregorio hizo lo mismo para conceder esta gracia á Syagrio, obispo de Autun, como vemos en su carta á Juan, diácono apocrisario suyo en Constantinopla, á quien encarga pidiere el permiso á Mauricio que reinaba entonces. (Labbe tom. 5. *Concil. c. 519.*)

«Observa sobre esto Tomasino, que siendo el Papa súbdito del emperador de Constantinopla, no queria dispensar gracias estraordinarias, ni unirse por nuevos vínculos á estados estrañeros sin advertirselo; que á pesar de la conveniencia ó necesidad que hubiese en obtener el consentimiento del emperador y del rey, siempre era por la autoridad Apostólica por la que el Papa concedia el *palio*: *Beati Petri sancta auctoritate concedimus*. San Gregorio envió tambien el *palio* á Vigilio, obispo de Arlés, pero sin consultar al emperador, como confiesa el mismo Marca: lo que prueba que en las circunstancias ordinarias los papas no recurrían al príncipe para conceder el *palio*.*

(6) *Græcis Episcopis commune pallium est, quod quemadmodum evenerit, narrat Luitprandus in Legatione 11. Constantinopolitana ad Nicephorum Phocam nomine Olthonis apud Muratorium Script. Rer. Ital. to. 2 pag. 488 ubi inquit: Romanus Imperator filium suum Theophylactum eunuchum Patriarcham constituit: cunque eum Alberici cupiditas non lateret, missis ei muneribus satis magnis, effecit, ut ex Papæ nomine Theophylacto Patriarchæ litteræ mitterentur; qua auctoritate cum ipse tum successores ejus absque Paparum permisso palliis uterentur, ex eo turpi commercio vituperandus mos inolevit, ut non solum Patriarch. sed etiam Episc. totius Græciæ palliis utantur. Quod quam absurdum sit, censore opus non est.* Consule eundem Luitprandum, qui hoc Alberici facinus narrat, *de Reb. Europ. lib. 3 cap. 12 apud Duchesnum t. 3 Hist. Franc. p. 598.* Ceterum VIII. dumtaxat exeunte sæculo obtinere cœpit consuetudo, ut omnibus indiscriminatim Archiepiscopis pallium concederetur, ut colligi potest ex *tom. 2 oper. posthum. Mabillonii*, ubi occurrit dissertatio Theoderici Ruinart *de Pallio Archiepiscopali cap. 11 pag. 457.* Multa autem, præter auctores, quos modo indicavimus, de pallio scripserunt Petrus de Marca *Concord. sacerdot. et imper. lib. 6 c. 6 et 7.*, Nicolaus de Bralio *diss. de Pallio, Patres Maurini in S. Gregor. M. lib. 5 ep. 23 col. 518 tom. 2 ed. Paris. 1705*, locisque aliis earundem epistolarum, Dominicus Georgeus *de Liturg. Rom. Pontif. t. 1 p. 210 et se.*, aliique complures. Ac videnda in primis est Constitutio *Rerum ecclesiasticarum 60 Benedicti XIV. t. 2 ejus Bullar. p. 294 laud. ed.* ubi multa habentur de pallio, quæ ad recentiorum pertinent disciplinam.

43. Solus Romanus Pontifex, cujus potestas nullam habet definitam regionem, cujus terminis septa teneatur, pallio ubique utitur, et semper; ceteri non nisi intra fines suæ jurisdictionis, et statis, certisque diebus, cum pontificalia conficiunt; scilicet die Natali Christi Servatoris, die S. Stephani, S. Joannis, Circumcisionis, Epiphaniæ, Palmarum, feria V. in Cæna Domini, in Sabbato sancto, in Paschate, et feria secunda, ac tertia post Pascha, Dominica in albis, in Ascensione Domini, in Dominica Pentecostes, in festo Corporis Christi, in nativitate S. Joannis Baptistæ, in festis omnium Apostolorum, ac quatuor diebus festis B. Mariæ Virginis, nimirum Purificationis, Annuntiationis, Assumptionis, et Nativitatis, in commemoratione omnium Saetorum, in dedicatione Ecclesiarum, in præcipuis festis diebus Ecclesiæ Archiepiscopalis, in ordinatione clericorum, in consecratione Episcoporum, et Virginum, et in die anniversaria, quam Archiepiscopus celebrat, suæ consecrationis, dieque item anniversaria dedicationis Ecclesiæ (1).

(1) *Cap. 4 et 6 de Auctor. et usu pallii*, ibiqu. Gloss. et Pontificale Romanum par. 1 tit. de Pallio.

(N. S. Quamvis possent olim Archiepiscopi Pallio intra Provinciam ornatu incedere: *Cap. 1 de Auct. et usu pallii*; jure tamen novo peculiare jus est Compostellani: *Cap. 5 ejusdem*, nisi hoc ei de novo interdictum videatur à Trident. *Sess. 6 Ref. cap. 5*, ut putarunt nonnulli)

44. Pallio ita est adjunctum munus Archiepiscopale, ut eonondum accepto ne Archiepiscopi quidem nomen quis mereatur (1), neque synodum provinciam indicere possit, neque chrisma conficere, neque Episcopos consecrare, neque alia obire munera sive Metropolitana, sive Episcopalia (2). Petendum est intra tres menses ab exacta consecratione, et quidem enixis precibus, sive, ut in more est, *instante, instantius, instantissime* (3), à Summo Pontifice in Consistorio Cardinalium; petit per se ipsum, si in Urbe sit, Archiepiscopus, si absit, per Procuratorem. Antequam detur, exigitur juramentum fidei, et obedientiæ erga Summum Pontificem (4): præsentem in Urbe datur à primo Diacono Cardinali, absentem ab aliquo Archiepiscopo, cui Summus Pontifex rem commisit.

(1) *Cap. 5 de Auct. et usu pallii.*

(2) *Cap. 28 §. Super eo de Elect.*

(3) *Can. 1 et 2 dist. 100.* Vide Nicolaum de Bralio *cit. dissert. de Pallio cap. 12.*

(4) Formulam juramenti, quod absentis Archiepiscopi Procurator præstare debet, habes in cit. *Constit. Rerum ecclesiasticarum* Benedicti XIV.

(N. S. Pro Hispaniarum Regnis, ad ornandos Pallio Indiarum Archiepiscopos delegatur hodie facultas aliuenti ex Dignitatibus ejusd. Ecclesiæ. Vide *sis Vilar de Regim. Eccl. Part. 1 Q. art. 3.*)

45. Ita autem pallium adhæret personæ Archiepiscopi, ut neque alteri commodari possit, et secundum, ac tertium petendum sit, si quis iterum, ac tertio Ecclesiam mutet (1). Denique ubi Archiepiscopus sepelitur, cum eo simul pallium, vel pallia, si plura accepit, humanda sunt (2). Singulari privilegio Cardinalis Episcopus Ostiensis, cum Romanum Pontificem consecrat, pallio utitur (3), et beneficio etiam Sedis Apostolicæ quibusdam Episcopis pallii usus concessus est (4).

(1) *Cap. 4 de Postulat. Prælat.*, ibique Glossa in fin.

(N. S. Atque hæc de re hujus Pallii petitio magis ac magis in necessitatem abiit: licet quandoque etiam non petentibus concessum sit, uti Leandro Hispanensi Gregorius Mag. *Epist. 121 Lib. 4 indict. 2.*)

(2) *Cap. 2 de Auct. et us. pal.*

(3) Vid. Card. Petra tom. 5 ad *Const. 5 Pii 2. sect. unic.*, et Catalaam in *Comment. ad Pontif. Roman. par. 1 tit. 14 § 3 num. 5 pag. 259.*

(4) Ita Aretino Episcopo pallium dedit Clemens XII. *Const. Insignes 14 tom. 15 pag. 105 Bullar.* et ita quibusdam aliis Episcopis ab aliis Summis Pontificibus similiter pallii ipsius usus concessus est.

SECTIO IV.

DE COADJUTORIBUS.

46. COADJUTORUM OFFICIUM, ET ORIGO.—47 ET 48. EORUM SPECIES; ET QUI EOS CONSTITUAT?

46.

De Episcopis nunc pro eorum jurisdictione rediret oratio; sed quoniam uno loco comprehendimus universam eorum potestatem tum ordinis, tum jurisdictionis, pergimus ad reliquos Magistratus, atque ad Ministros, quorum est Episcopis in dioceseos regimine opitulari. Sit initium à Coadjutoribus. Senio, aut mala valetudine confectos Episcopos, aliosque Ecclesiæ ministros de gradu dimovere, injustum, atque inhumanum visum est. Ergo ab antiquis temporibus instituti sunt Coadjutores, qui impedito Antistiti subsidium compararent, ejusque vicem suslinerent. Primum Coadjutorum Episcoporum exemplum præbere videtur Ec-

clesia Hierosolymitana, ubi Coadjutor datus fuit Alexander Narciso Hierosolymitano Episcopo, qui annos natus erat centum, et viginti (1). Sed illustre præ ceteris est exemplum Augustini, qui Valerio Episcopo Hipponensi malæ valetudinis, seniique causa coadjutor accessit (2).

(1) Primum hoc alicujus coadjutoris exemplum esse judicat Henricus Valesius in *Euseb. lib. 6 cap. 11 pag. 268 edit. Cantabrigiæ an. 1720.* Sed multa deinceps exempla coadjutorum occurrunt. Theotecnus Episcopus Cæsariensis sibi Anatolium coadjutorem adseivit, ac successorem designavit, et ambo communi studio Ecclesiæ præfuerunt, uti testatur Eusebius *Hist. lib. 7 cap. 52 pag. 570 ed. Valesii Cantabr. 1720.* Maximum simul cum Macario Episcopum Hierosolymitanum fuisse, scribit Sozomenus *Hist. lib. 2 cap. 20 pag. 70 cit. ed. Valesii*; et Orionem Episcopum Palæbiscensem sibi coadjutorem, et successorem Siderium elegisse, tradit Synesius *ep. 67 pag. 209 ed. Petav. Paris. 1635.* Theodoretus *lib. 5 cap. 4 pag. 197 cit. ed. Valesii* memorat Joannem Episcopum Apameæ, qui coadjutorem habuit Stephanum, et Ambrosius, sive potius auctor epistolæ *de Causa Bonosi tom. 3 opp. S. Ambrosii col. 1095 ed. Maurin. Venet. 1751,* Senecionem, qui Basso Episcopo coadjutor fuit.

(2) Possidius in *Vit. Augustin cap. 8 col. 262 tom. 10 opp. S. Augustin. ed. Venet. an. 1753.* Et Augustinus quidem, vivo adhuc Valerio, Episcopus ordinatus est, quamobrem ei scrupulus animo insedit, ut ipse ait *ep. c. 13 col. 21 790 tom. 2 ed. cit.: adhuc in corpore posito beatæ memoriæ Patre, et Episcopo meo sine Valerio Episcopus ordinatus sum, et sedi cum illo, quod Concilio Nicæno prohibitum fuisse nesciebam, nec ipse sciebat.* Hinc Eraclium collegam elegit, at Episcopum non ordinavit: *Quod reprehensum est, inquit, loc. cit. in me, nolo reprehendi in filio meo. Erit Præbyter, uti est, quando Deus voluerit, futurus Episcopus.* Spectat Augustinus ad Nicænum canonem 8, quo cautum erat, ne duo in una urbe essent Episcopi; verum hic canon non obtinebat, cum justa erat causa, propter quam duo in una civitate Episcopi constituerentur, uti ostendunt exempla, quæ paulo ante indicavimus.

Duos non semel in Hispania Episcopos uni Sedi præsedisse, occasione maxime et Arianorum et Priscilianistarum ad fidem conversorum, ex historia demonstratum est. V. Florez *España Sagrada t. 6, pag. 150, n. 22; G. Cardillum de Tolet. Concil. cap. 42.* Extra hos vero casus numquam talis Prælatorum dualitas apud nos permessa, ut ex Hilarii ad Asean. Tarrac. epistola liquido constat. (Aguirre, *Cone. Coll. t. 2.*)

(N. S. Perpetuum Episcopo Coadjutorem dare antiquitus Synodi Provincialis, plebe etiam consentiente, jus erat, eodem prorsus modo, quo Episcopi eligebantur; at jure novo ejuscumque generis Coadjutores non nisi à R. Pontifice dantur Episcopis; dumtaxat in Ecclesiis nimis ab Urbe dissitis, auctoritate Apostolica, vel ipse Episcopus cum adsensu Capituli unum, vel plures sibi Coadjutores adseiscit, vel Episcopo impote, duæ partes Capituli Coadjutorem constituent. Demum ubi Episcopus Coadjutorem, quo ipsi omnino opus est, accipere nolit, Apostolicis Rescriptis est Ecclesiæ providendum.

Hispaniarum Ecclesia ab Episcopatum successione prorsus abhorruit. Exemplo sit Epistola Patrum Tarracœnens. ad Hilarum P. eo fine directa, ut

(4) Formulam juramenti, quod absentis Archiepiscopi Procurator præstare debet, habes in cit. *Constit. Rerum ecclesiasticarum* Benedicti XIV.

(N. S. Pro Hispaniarum Regnis, ad ornandos Pallio Indiarum Archiepiscopos delegatur hodie facultas alicui ex Dignitatibus ejusd. Ecclesiæ. Vide *sis Vilar de Regim. Eccl. Part. 1 Q. art. 3.*)

45. Ita autem pallium adhæret personæ Archiepiscopi, ut neque alteri commodari possit, et secundum, ac tertium petendum sit, si quis iterum, ac tertio Ecclesiam mutet (1). Denique ubi Archiepiscopus sepelitur, cum eo simul pallium, vel pallia, si plura accepit, humanda sunt (2). Singulari privilegio Cardinalis Episcopus Ostiensis, cum Romanum Pontificem consecrat, pallio utitur (3), et beneficio etiam Sedis Apostolicæ quibusdam Episcopis pallii usus concessus est (4).

(1) *Cap. 4 de Postulat. Prælat.*, ibique Glossa in fin.

(N. S. Atque hæc de re hujus Pallii petitio magis ac magis in necessitatem abiit: licet quandoque etiam non petentibus concessum sit, uti Leandro Hispanensi Gregorius Mag. *Epist. 121 Lib. 4 indict. 2.*)

(2) *Cap. 2 de Auct. et us. pal.*

(3) Vid. Card. Petra tom. 5 ad *Const. 5 Pii 2. sect. unic.*, et Catalaam in *Comment. ad Pontif. Roman. par. 1 tit. 14 § 3 num. 5 pag. 259.*

(4) Ita Aretino Episcopo pallium dedit Clemens XII. *Const. Insignes 14 tom. 15 pag. 105 Bullar.* et ita quibusdam aliis Episcopis ab aliis Summis Pontificibus similiter pallii ipsius usus concessus est.

SECTIO IV.

DE COADJUTORIBUS.

46. COADJUTORUM OFFICIUM, ET ORIGO.—47 ET 48. EORUM SPECIES; ET QUI EOS CONSTITUAT?

46.

De Episcopis nunc pro eorum jurisdictione rediret oratio; sed quoniam uno loco comprehendimus universam eorum potestatem tum ordinis, tum jurisdictionis, pergimus ad reliquos Magistratus, atque ad Ministros, quorum est Episcopis in dioceseos regimine opitulari. Sit initium à Coadjutoribus. Senio, aut mala valetudine confectos Episcopos, aliosque Ecclesiæ ministros de gradu dimovere, injustum, atque inhumanum visum est. Ergo ab antiquis temporibus instituti sunt Coadjutores, qui impedito Antistiti subsidium compararent, ejusque vicem suslinerent. Primum Coadjutorum Episcoporum exemplum præbere videtur Ec-

clesia Hierosolymitana, ubi Coadjutor datus fuit Alexander Narciso Hierosolymitano Episcopo, qui annos natus erat centum, et viginti (1). Sed illustre præ ceteris est exemplum Augustini, qui Valerio Episcopo Hipponensi malæ valetudinis, senique causa coadjutor accessit (2).

(1) Primum hoc alicujus coadjutoris exemplum esse judicat Henricus Valesius in *Euseb. lib. 6 cap. 11 pag. 268 edit. Cantabrigiæ an. 1720.* Sed multa deinceps exempla coadjutorum occurrunt. Theoteenus Episcopus Cæsariensis sibi Anatolium coadjutorem adseivit, ac successorem designavit, et ambo communi studio Ecclesiæ præfuerunt, uti testatur Eusebius *Hist. lib. 7 cap. 52 pag. 570 ed. Valesii Cantabr. 1720.* Maximum simul cum Macario Episcopum Hierosolymitanum fuisse, scribit Sozomenus *Hist. lib. 2 cap. 20 pag. 70 cit. ed. Valesii*; et Orionem Episcopum Palæbiscensem sibi coadjutorem, et successorem Siderium elegisse, tradit Synesius *ep. 67 pag. 209 ed. Petav. Paris. 1635.* Theodoretus *lib. 5 cap. 4 pag. 197 cit. ed. Valesii* memorat Joannem Episcopum Apameæ, qui coadjutorem habuit Stephanum, et Ambrosius, sive potius auctor epistolæ *de Causa Bonosi tom. 3 opp. S. Ambrosii col. 1095 ed. Maurin. Venet. 1751,* Senecionem, qui Basso Episcopo coadjutor fuit.

(2) Possidius in *Vit. Augustin cap. 8 col. 262 tom. 10 opp. S. Augustin. ed. Venet. an. 1753.* Et Augustinus quidem, vivo adhuc Valerio, Episcopus ordinatus est, quamobrem ei scrupulus animo insedit, ut ipse ait *ep. c. 13 col. 21 790 tom. 2 ed. cit.: adhuc in corpore posito beatæ memoriæ Patre, et Episcopo meo sine Valerio Episcopus ordinatus sum, et sedi cum illo, quod Concilio Nicæno prohibitum fuisse nesciebam, nec ipse sciebat.* Hinc Eraclium collegam elegit, at Episcopum non ordinavit: *Quod reprehensum est, inquit, loc. cit. in me, nolo reprehendi in filio meo. Erit Præbyter, uti est, quando Deus voluerit, futurus Episcopus.* Spectat Augustinus ad Nicænum canonem 8, quo cautum erat, ne duo in una urbe essent Episcopi; verum hic canon non obtinebat, cum justa erat causa, propter quam duo in una civitate Episcopi constituerentur, uti ostendunt exempla, quæ paulo ante indicavimus.

Duos non semel in Hispania Episcopos uni Sedi præsedisse, occasione maxime et Arianorum et Priscilianistarum ad fidem conversorum, ex historia demonstratum est. V. Florez *España Sagrada t. 6, pag. 150, n. 22; G. Cardillum de Tolet. Concil. cap. 42.* Extra hos vero casus numquam talis Prælatorum dualitas apud nos permessa, ut ex Hilarii ad Asean. Tarrac. epistola liquido constat. (Aguirre, *Cone. Coll. t. 2.*)

(N. S. Perpetuum Episcopo Coadjutorem dare antiquitus Synodi Provincialis, plebe etiam consentiente, jus erat, eodem prorsus modo, quo Episcopi eligebantur; at jure novo ejusdemque generis Coadjutores non nisi à R. Pontifice dantur Episcopis; dumtaxat in Ecclesiis nimis ab Urbe dissitis, auctoritate Apostolica, vel ipse Episcopus cum adsensu Capituli unum, vel plures sibi Coadjutores adseiscit, vel Episcopo impote, duæ partes Capituli Coadjutorem constituent. Demum ubi Episcopus Coadjutorem, quo ipsi omnino opus est, accipere nolit, Apostolicis Rescriptis est Ecclesiæ providendum.

Hispaniarum Ecclesia ab Episcopatum successione prorsus abhorruit. Exemplo sit Epistola Patrum Tarracœnsis, ad Hilarum P. eo fine directa, ut

indicaret, quid agendum esset in Irenæum, quem Nundinarius successorem in Ecclesia Barcinonensi designarat; quibus ipse rescripsit, repellendum à Barcinonensi Irenæum, et alium in ejus locum eligendum esse. Synod. quoque Tolet. IV Can. 19, alias 18, inter Episcopalis dignitatis indignos, eos, qui à decessoribus eliguntur, enumerat.

Reges etiam nostri perpendentes, quantum Ecclesiasticæ disciplinæ vulnus infligeretur frequenti Coadjutorum cum futura successione permissu, omnem Coadjutoriis aditum præcludere curarunt, præterquam urgente necessitate, in Episcopatibus, et Prælaturis: *Legg. 1 tit. 19. 1, 4 et 5 lit. 13 lib. 1 Novis. Compil.* Verum post Concordatum Clementem XII inter et Philippum V initum 12 Novemb. an. 1737, cujus in articulo 17 Coadjutores ad Præbendas permittuntur, his adpositis conditionibus, quod ipsi prius litteras acciperent ab Ordinario, vel Capitulo, quibus de necessitate, vel utilitate Ecclesiæ testentur, et quod nihil adiciendum sit pensionis Coadjutoribus, frequentissimæ vigeant Coadjutoria; donec novissimo inter Benedictum XIV, et Ferdinandum VI inito Concordato, quo totus Ecclesiasticus Patronatus Coronæ perpetuo adjudicatur, obsolevere hujusmodi Coadjutoria, quum Regis, qua Patroni, debeat prius adsensus impetrari. Permittuntur tamen nonnumquam in Beneficiis, præsertim Parochialibus, Coadjutores etiam perpetui, si vera vel necessitas, vel utilitas Ecclesiæ interveniat, adsignata quadam proprietario reddituum portione, reliqua Coadjutori deputata.

47. Dantur Coadjutores vel ad tempus, quamdiu scilicet vitæ usura fruatur Prælati, quem vis adversa morbi, aut senectutis suum munus exercere vetat; vel perpetuo, qui nimirum mortuo succedunt. Uterque coadjutor Episcopis non nisi à Summo Pontifice dandus est (1); ceteris beneficiorum Rectoribus etiam Episcopus Coadjutores ad tempus constituit (2).

(1) *Cap. unic. de Cleric. ægrotan. in 6: Concilio, Trid. sess. 25 cap. 7 de Reform.*

(2) *Concilio Trident. loc. cit. cap. 3 et ult. de Cleric. ægrotan.*

48. Nunc, qui Episcopis dantur, coadjutores sine jure futuræ successionis, dicuntur *suffraganei*, quales habet Cardinalis Episcopus Ostiensis, atque Episcopus Sabinus, alique præsertim in Germania Episcopi, quorum dioceses tam late patent, ut his adjutoribus opus habeant ad Episcopale munus recte exercendum. Hi sunt Episcopi insigniti titulo *in partibus infidelium*, uti sunt etiam Episcopi coadjutores, qui jus habeant succedendi. Utrique enim decorantur ordine Episcopali, ut ea peragant, quæ hujus ordinis propria sunt (1).

(1) Vide Andrencium *Hierarch. Eccl. tract. de Episc. titul.*, et Benedictum XIV. *de Synod. diæc. lib. 15 cap. 14.*

In Hispania aliquando Prælati Coadjutores sine ordine episcopali dabantur, qui *coadjutores gobernadores* appellati sunt. Licet Regiam appro-

bationem obtinerent, postquam ab ipsis Prælati nominati aut propositi, non tamen perpetui erant; sed ex adverso, moriente Episcopo, cui in auxilium vocati fuissent, illorum missio expirabat. Non ita tamen qui *Episcopi auxiliares* dicuntur. Hos Prælati Regi proponebant, et prævia ejus approbatione, Rom. Pontifex confirmabat, episcopatura *in partibus infidelium* ipsis adjudicans; nec per Prælati proprietarii obitum cadebat istorum jus, et ad percipiendam ex Sedis, cui adjuncti erant, redditibus, partem sibi ante ordinationem adsignatam, nec ad retinendum munus suum; quum solum perpetuam ob causam, probe cognitam, talium auxiliarium constitutio procederet.

Hiscæ observatis, notandum est Concordati an. 1851 art. 5 ita statui:

- Quod si accuratio alienius Diocesis administratio Episcopum auxiliarem exposcat, hujusmodi necessitati consueta forma canonica occurratur...
- Sepsæ autem, et Nivariæ (Ceuta y Tenerife) Episcopi auxiliares statim constituentur.

Qui Prælati, abs dubio ea, quam nuper indicavimus, ratione instituentur: ipsorum autem cuique ejusdem Conventionis art. 51 annuus 40.000 argenterum redditus consignatur.

De ceteris, quæ ad beneficiorum coadjutores spectant, V. hujus tit. sect. 9 ad fin.

SECTIO V.

DE CHOREPISCOPIIS.

49. CHOREPISCOPORUM OFFICIUM, ET ORDO.—50. EORUM POTESTAS.

49.

Quemadmodum Episcopi, cum propter morbum, aut ingravescentem ætatem suo recte munere fungi non poterant, in civitate Coadjutores habebant, ita cum nimis late patebat diocesis, in pagis, atque oppidis longe dissitis habebant Chorepiscopos, adjutores, et administratos laborum suorum. Dicuntur Chorepiscopi, quasi *ruris* Episcopi. De his quæri solet, num Episcopi, an tantum Presbyteri fuerint; sed longe probabilior est sententia illorum, qui eos meros Presbyteros fuisse arbitrantur (1).

(1) Episcopos Chorepiscopos fuisse putant Henricus Hammondus *diss. 3 contr. Blondell. c. 8 per tot. præsertim §. 41, 42, 43 pag. 164. Londini 1651.* Guillelmus Beveregius *Not. in conc. Ancyran. can. 15 in Pandect. Canon. tom. 2 pag. 175. Oxonii 1672.* Josephus Bingham, *Orig. eccl. lib. 2 cap. 14 §. 4 tom. 1 pag. 195;* atque hi quidem præsertim nituntur Athanasii loco *Apolog. contr. Arian. tom. 1 opp. pag. 158 ed. Palavii an. 1777.* cujus hæc verba sunt: *Marceles regio est Alexandrina, in qua numquam Episcopus fuit, aut Chorepiscopus; sed universæ illius regionis Ecclesiæ Alexandrino parent Episcopo. Presbyteri autem singuli suos vicos habent*

maximos, qui decem circiter sunt, imo plures numero. Apertum hic quidem discrimen inter Chorepiscopos, et presbyteros constituitur; sed nullam equidem video causam, propter quam hoc discrimen potius ad ordinem, quam ad officium, et jurisdictionem referendum videatur. Atqui Athanasius minime adversarius est nobis, si dicamus, unum, et eundem fuisse ordinem chorepiscoporum, et presbyterorum, dissimile tamen officium, et dissimilem jurisdictionem. Rectius igitur Franciscus Turrianus *Not. in c. 54 Conc. Nic. Arab.* apud Labbæum *tom. 2 Conc. col. 517.* Antonius Augustin. *Epit. jur. can. par. 1 lib. 6 tit. 1 c. 3 et seq. pag. 259 tom. 5 op. ed. Luc. 1770.* Ludovicus Thomassinus *Vet. ac nov. Eccl. discipl. p. 1 lib. 2 c. 1.* Natalis Alexander *Hist. Eccl. sæc. IV. Append. ad diss. 44 quæst. un. t. 4 pag. 649;* ubique Mansius *in not. pag. 655 ed. Ven. 1776.* Chorepiscopos Presbyteros fuisse contendunt, nisi præsertim canone 8 Concilii Nicæni *tom. 2 col. 53 coll. Labbæi,* et canone 10 Concilii Antiocheni *tom. 2 col. 590 ejusd. coll. Labbæi;* ex quibus manifestum est, Chorepiscopos Episcopos non fuisse. Quod etiam, re diligenter cognita, et expensa, definitum est, uti patet ex Capitularibus Regum Francorum apud Baluzium *tom. 1 col. 253 ed. Ven. an. 1772.* Cum enim Carolus M. ea de re Legatos misisset ad Leonem III. Pontificem, responsum est, Chorepiscopos meros esse Presbyteros, ideoque irritum esse quicquid ipsi gesserant proprium ordinis Episcopalis. Quod probaverunt Ratisponensis Concilii Patres apud Sirmondum *Conc. Gall. t. 2 p. 259 et seq. Paris. 1629;* ac deinceps etiam Synodus Parisiensis *an. 829 lib. 1. c. 27 loc. cit. pag. 502 tom. 2;* respondit, nihil eorum, quæ ad Episcopalem ordinem pertinent, fieri à Chorepiscopis posse. Interdum vero Chorepiscopi etiam erant Episcopi, quod recte observant Cabasutius *Notit. conc. cap. 8,* Petrus de Marca *Concord. sacerdot. et imper. lib. 2 cap. 13,* Bellarminus *de Cleric. lib. 1 c. 17 pag. 159 opp. tom. 2 ed. Venet. an. 1721;* atque ad hos pertinent canones omnes conciliorum, quibus Chorepiscopis cum venia Episcopi Diaconos, et Presbyteros ordinare permittitur.

50. Chorepiscopi non unam, ut Parochi, sed plures singuli curabant Ecclesias, easque lustrabant (1), dabant literas *pacificas*, seu *formatas* (2) clericis ruralibus in aliam dioccesim abeuntibus; minores ordines conferebant (3). Sed cum intra suæ potestatis fines non se continerent, et jura invaderent Episcoporum, satius visum est eam dignitatem extinguere, ac delere, quod in Occidente primum factum est Leone III. Pontifice (4); sed tamen etiam post Leonis ætatem mentio Chorepiscoporum occurrit (5).

(1) Quod Chorepiscopi dioccesim lustrarent, dicti sunt etiam *Periodevtae*, hoc est *circuitores*, et *visitatores*, quos memorat Laodicæna Synodus *can. 57. Delect. actor. Eccl. Univ. col. 48 tom. 1.* Sed non inde effici potest, Chorepiscopos, et Periodevtas unum, atque idem fuisse: quod aliquibus visum est. Vide Fabrotum *ad Cajacium in tit. 3 Cod. de Episc. et Cler. col. 28 tom. 2 par. 1 ed. Ven. 1758.* Omnis quidem Chorepiscopus erat Periodevta, sed non omnis Periodevta erat Chorepiscopus, uti rectissime observat de Roye *Inst. jur. canon. lib. 1 tit. 15.* Verum quod contendit Binghamus *Orig. eccl. lib. 2 cap. 14 §. 12 tom. 4 pag. 201 ed. Halæ Magdeburg.*

an. 1751, à Laodicæna Synodo *cit. can. 57* in locum Chorepiscoporum constitutos fuisse Periodevtas, id nullum habet idoneum fundamentum, quo niti posse videatur.

(2) Formatarum literarum multæ erant species. Nam aliæ erant *epistolæ commendatoriæ*, aliæ *communicatoriæ*, aliæ *dimissoriæ*. Postremæ hæ tantum ad clericos pertinebant, quibus dabantur, cum se in aliam dioccesim conferebant, ut ibi domicilium constituerent; atque hæ literæ *dimissoriæ*, et interdum etiam *pacificæ* dicebantur, quoniam testabantur, clericum cum pace Episcopi sui ex antiqua ecclesia fuisse dimissum. *Commendatoriæ*, et *communicatoriæ* dabantur omnibus tum clericis, tum laicis, qui per aliam dioccesim iter faciebant, eæque testimonium erant orthodoxiæ, et ecclesiasticæ communionis illius, qui epistolas ipsas deferebat. Nam tanta erat concordia, atque inter omnes Episcopos consensus animorum, ut nemo ecclesiasticæ communionis in aliena diocesi particeps fieret, nisi ea dignus proprii Episcopi testimonio deprehenderetur. Ita per eas literas Ecclesiarum unio ostendebatur, sive, ut verbis utar Tertulliani *de Præscript. cap. 20 pag. 206 ed. Rigaltii Paris. 1675,* *communicatio pacis... et confessionalio hospitalitatis* demonstrabatur; Hinc Optatus Milevitanus *l. 2 p. 52 ed. Antuerpiæ 1702, Totus,* inquit, *orbis commercio formatarum in una communionis societate concordat.* *Commendatoriæ* literæ dabantur vel hominibus, quorum illustrior erat conditio, vel etiam ejusmodi hominibus, quorum existimatio in discrimen vocata fuerat, vel clericis, qui in externas regiones concedebant; *communicatoriæ* obtinebant omnes, qui in Ecclesiæ erant communiõne, cumque ea pacem colebant, ideoque *pacificæ*, et *ecclesiasticæ*, atque interdum etiam *canonicæ* dicebantur. Omnes generali nomine *formatæ* dicebantur, quod peculiari forma, ac singularibus signis, et caracteribus scriptæ erant, ne quis falsas obtruderet, et omnes ab Episcopo concedebantur. Ad has autem literas pertinet Canon Apostolorum 54 apud Cotelerium *PP. Apostol. tom. 1 pag. 446 ed. Amstelædani 1724;* itemque Concilium Carthaginense *l. can. 7 apud Labbæum tom. 2 col. 749 ed. Venet. Laodicenum Can. 41 col. 1538 tom. 1 ejusd. collect. Antiochenum Can. 7 an. 341 apud eund. Labbæum tom. 2 col. 590. Agathense c. 58 tom. 5 col. 527., Chalcedonense c. 11 col. 1632 tom. 4., Carthaginense III. Can. 23 col. 1405 tom. 2 ejusd. collect.* Quas literas cum in illo persecutionum discrimine dedissent Confessores quidam, quorum magna erat in Ecclesia existimatio, id ab iis fieri veluit, atque alias à proprio Episcopo communicatorias literas unicuique dari jussit Concilium Eliberitanum *Can. 25 col. 996 tom. 1,* et Arelatense *l. Can. 9 col. 1452 tom. 1 loc. cit.* Non enim duo hi canones, uti putat Baronius *ad an. 142 num. 9 pag. 157 tom. 2 ed. Lucæ,* intelligendi sunt de martyrum libellis, quos lapsi impetrare solebant, ut in Ecclesiæ communionem reciperentur; quod recte animadvertit Albaspinæus *in not. ad cit. can. 25 Conc. Eliber. pag. 167 ed. Neapol. 1770.* Chorepiscopos autem dedisse literas *pacificas*, seu *formatas*, manifestum est Concilio Antiocheno *can. 8 loc. cit. col. 1538,* cujus hæc verba sunt: *nec præbyteri qui sunt in pagis, dent canonicas epistolas, vel ad solos vicinos Episcopos epistolæ emittant.* Chorepisc. autem nulli reprehensioni affines dent *pacificas.*

(3) Concilium Antiochenum *Can. 10 col. 1538 loc. cit.*

(4) Vid. *Capitular. Caroli M. lib. 6 cap. 121 apud Baluzium Capitular. Rug. Francor. col. 255 tom. 1 ed. Venet. an. 1772.*

(5) Concil. Parisiense *an. 829 lib. 1 can. 27 apud Labbæum tom. 9 col. 729., Meldense an. 845 c. 44 col. 975 loc. cit., Metense an. 888 c. 3 col. 594 tom. 11 collect. Labbæi. Vile Thomassinum part. 1 lib. 2 cap. 1 et 2, et*

Morinum *Exerc. sac. cap. 41 et de Sac. Ordinat. par. 5 exerc. 4.* Sua jam etate Chorepiscopus exolevisse, testatur Balsamon *in can. 15. Concilii Ancy-rani apud Beveregium Pandect. canon. tom. 1 pag. 386 Oxonii 1672.*

Quamvis S. Isidorus, *Offic. lib., cap. 6.* de Chorepiscopis mentionem fecerit, universalem tamen ibi Ecclesiam respexit, non unice Hispanam, ubi tale nomen nunquam auditum, nostrates AA. contendunt. Et licet in aliqua canonum collectione contrarium appareat, Hispalensis II Concilii Can. 7, eo in loco non *Chorepiscopus sed Presbyteros* legendum, ex antiquioribus ac castigatissimis exemplaribus, Loaysa, Aguirre, alique plenissime demons-trant.

SECTIO VI.

DE PRÆLATIS INFERIORIBUS.

51. PRÆLATI INFERIORES, EORUMQUE DIVISIO.—52 AD 54. SINGULORUM PO-TESTAS.

51.

Medium inter Episcopos, atque Presbyteros locum tenent Prælati inferiores, nimirum antisites, qui expertes ordinis epis-copalis, in sibi subjectas Ecclesias, atque personas jurisdictionem exercent. Non idem omnium eorum Prælatorum gradus, ne-que eadem ratio est. Nam alii sunt ab Episcopi potestate sub-tracti, qui certo præsent generi personarum intra septa alicujus ecclesiæ, aut monasterii, vel conventus existentium, quales sunt Superiores regulares, et nonnulli Prælati sæculares, qui immediate subsunt Sedi Apostolicæ una cum Ecclesia, ejusque clericis, atque ministris, quibus præfecti sunt. Alii præsent clero, et populo alicujus regionis, quæ tametsi ab Episcopi po- testate substracta sit, tamen sedet in illius diœcesi, à qua undi- que circumscibitur. Alii denique propriam habent quasi diœ- cesim à cujusvis Episcopi diœcesi avulsam, et separatam, in qua jurisdictionem obtinent quasi episcopalem (1).

(1) Vid. Card. Petra *ad Const. 4 Callixti III. sect. 1 pag. 90 tom. 5.* et Benedictum XIV. *de Synod. Diœcesan. lib. 2 cap. 11.*

52. Omnium nobilissimi sunt Prælati, qui separatam quasi diœcesim habent; nam hi proprie, et vere *Prælati nullius* di- euntur, atque inter Ordinarios recensentur. Ceteri exempti qui- dem sunt ab Episcopi jurisdictione, sed nullam habent quasi diœcesim ab illius diœcesi distinctam, in qua ordinariam juris-

dictionem exercent (1). Itaque Prælati *nullius* minus propriæ vo- cari possunt, cum revera in Episcopi diœcesi sint.

(1) Vide Benedictum XIV. *in Const. Apostol. 76. tom. 1 ejus Bullar. pag. 149 et Const. Inter multa 55 pag. 166 tom. 2 ed. Romæ 1754.*

53. Prælati inferiores vel sæculares sunt, vel regulares; alii beneficio Sedis Apostolicæ habent usum Pontificalium, alii vero non habent (1). Omnium potestas oritur vel ex privilegiis Sum- morum Pontificum, vel ex præscriptione, quæ hominum memo- riam superat (2). Quare et amplior, et angustior est, uti ferunt leges privilegii, vel consuetudinis, unde procedit. Generatim Abbates Regulares, qui in Sacerdotio sunt, et solemnem ab Episcopo benedictionem acceperunt, suis subditis regularibus pro jure suo primam tonsuram, et minores ordines conferunt, reliqui vero expresso privilegio opus habent (3).

(1) Vide Giraldum *Exposit. Jur. Pontific. part. 1 tit. 33 tom. 2 pag. 722 et seq.*, ubi multa sunt de usu Pontificalium, quem habent Prælati Episcopo inferiores.

(2) Confer Benedictum XIV. *in laudata Const. Apostolicæ §. 2 pag. 150, et in Const. Inter multa §. et sane pag. 163.*

Prælatos *nullius*, ab origine tales, quidam Pragmatici admittunt. Ve- rum quid hac de re sentiendum sit, tradit C. S. Berardi, *in 1, et 2 lib. De- cretal., Dissert. 5, cap. 5, §. Superest.*

Notandæ quidem sunt binæ sap. P. Benedicti XIV Constitutiones hic à Cl. Auctore citatæ, in quibus opportunissimæ de exemptionibus regulas gene- rales stabilitas habemus.

(3) Conc. Trident. *Sess. 25 cap. 10 de Reform.* De Subdiaconatu, ejus conferendi potestas interdum à Sede Apostolica quibusdam Abbatibus facta est, agit inter ceteros Juenin *de Sacram. dissert. 9 quest. 6 cap. 5.*

54. Quod vero attinet ad jurisdictionem quasi episcopalem, multa sunt, quæ Prælati inferiores, etiam cum discretam, et se- paratam quasi diœcesim habent, exercere non possunt, quam- quam in ipsa jurisdictione insita, et affixa videantur. Principio vetantur indicare, et habere synodum diœcesanam, nisi expres- sam ea de re facultatem à Summo Pontifice impetraverint, ea- que semper usi fuerint; et simili modo vetantur etiam eligere examinatores ad parochiales ecclesias per solemne examen con- ferendas (1). Hinc vicinior Episcopus in quasi diœcesi, quæ nu- llus revera est, et Episcopus diœcesanus in ecclesia exempta, quæ sedet intra fines suæ diœceseos, parochias confert, servata lege concursus, quæ à Concilio Tridentino constituta est. Par

est ratio literarum dimissorialium, quas illi dare nequeunt sæcularibus sibi subditis pro ordinibus suscipiendis; cum horum omnium ordinationes pertineant vel ad viciniorem Episcopum, si Prælati quasi diœcesim separatam habeat, vel, si Ecclesia exempta sit, ad Episcopum, cujus diœcesi continetur (2). De causis vero criminalibus, et matrimonialibus recte judicant Prælati, quibus sua quasi diœcesis separata est; non item Prælati exempti, nisi hoc privilegium obtinuerint vel à Summo Pontifice, vel per præscriptionem, quæ ultra hominum memoriam est (3).

(1) Vile Benedictum XIV. *de Synod. diœces. lib. 2 cap. 11 num. 6 et 7.*

(2) Concil. Tridentinum *Sess. 25 cap. 10 de Reform.* Consule Benedictum XIV. *loco mox indicato num. 15 et 16, Card. Petram ad Const. Apostol. in const. A Callixti III sect. 2 num. 67 et seq. pag. 116 et seq. tom. 5, et Giraldum Expos. jur. Pontific. par. 2 tom. 5 pag. 961.*

Vicinius in proposito Episcopus ille dicitur, cujus cathedralis Ecclesia Abbatiali proximior est; et quidem à viis ordinariis et magis tritis distantiam loci dimetiendo. *Trid. Ses. 24, de Ref. cap. 9.*

(3) Confer Card. Petram *loc. cit. num. 57 et seq. pag. 109 et seq.*

Apud nos Concordatum an. 1851 generaliter abolendas decrevit ab Episcoporum potestate exemptiones, ut ex sequentibus ipsius articulis apparet:

Art. 9. Cum ex una parte necessitas urgeat opportune medendi gravibus incommodis, quæ in ecclesiastici regiminis detrimentum oriuntur ex dispersione territorii ad quatuor militias Sancti Jacobi, Alcantaræ, Calatravæ et Montesiæ hactenus pertinentis; ex altera vero deceat religiose servare et memoriam instituti tantopere de Ecclesia, ac Republica meriti, et prerogativas Catholicorum Regum, utpote Magnum ipsorum militarium ordinum Magisterium ex Apostolica concessione obtinentium; in nova Diœcesium circumscriptione definitus quidam assignabitur locorum numerus infra certum radium, seu circulum consistentium (*que formen colo redondo*), ut ibi Magnus prædictarum militiarum Magister ecclesiasticam jurisdictionem exercere pergat, ad omnimodam eorum normam, quæ in memorata concessione, atisque Pontificis Constitutionibus præscribuntur.

Novum hoc territorium militarium ordinum Prioratus nuncupabitur, et Prior characterè episcopali titulo Ecclesiæ *in partibus* insignitus erit.

Loca omnia, quæ nunc exemptæ eorundem ordinum jurisdictioni subjacent, quæque territorio illis, ut dictum est, assignando minime comprehendantur, suis seu proximis Diœcesibus aggregabuntur.

Art. 10. Archiepiscopi et Episcopi ordinariæ suæ auctoritatis, et jurisdictionis usum ad universum proferent territorium, quod uniuscujusque Diœcesis finibus juxta novam circumscriptionem contineatur; ac propterea qui eam usque in præsens, ad regiones aliena Diœcesi conclusas quovis titulo protulerint, ab hujusmodi exercitio cessabunt.

Art. 11. Omnes etiam jurisdictiones privilegiatæ, et exemptæ, ejuscumque speciei sint, et quomodocumque nuncupentur, penitus cessabunt, ea non exclusa quæ ad Sancti Joannis Hierosolymitani Ordinem spectat. Subdita autem nunc iisdem jurisdictionibus territoria propriis, seu finitimis Diœcesibus adjungentur in nova harum circumscriptione, prout articulo septi-

mo statutum est, perficienda, salvis tamen, ac in suo robore mansuris quæ competunt

1. Pro-Capellano majori Catholicæ Majestatis Suæ.
2. Vicario generali castrensi.
3. Quatuor militiis Sancti Jacobi, Calatravæ, Alcantaræ et Montesiæ, ad sensum eorum, quæ nono hujusce Conventionis articulo prædisposita sunt.
4. Prælati Regularibus.
5. Nuntio Apostolico pro tempore, circa Ecclesiam et Xenodochium Itolorum, in hac ipsa urbe (*Madrid*) erectum.

Vigebunt item speciales facultates, quæ Commissario Generali Cruciatæ in rebus officium suum respicientibus, juxta delegationis litteras, aliasque Apostolicas concessiones, respondent.

Art. 12. Suppressa declaratur Collectoria generalis, quæ à *spoliis, vacantibus et annatis* audit, concedito interim Commissariæ Cruciatæ munere vacantis administrandi, insoluta exigendi, et pendentia negotia ordinandi et conficiendi.

Pari modo supprimitur Apostolicum ac Regium Tribunal Gratia, vulgo *del Escusado*.

Art. 10. Transcripto supprimiti observamus exemptiones quæ vocantur *pasivæ*; sequenti vero illas, quæ *activæ* dicantur. Omnium, uti præscribitur, abolitio ad exitum perducetur cum effectum suum sortiatur ejusdem Conventionis art. 7, ad huj. volum. pag. 116 consignatus.

Pro-Capellani Majoris, non Capellani Cath. Majest. nomèn Magistratui, de quo art. 11 agitur, tribuitur, quia ab antiquissimis temporibus talis Capell. titulus Compostellano Archiepiscopo competit, ut opp. *El Concordato de 1851 comentado*, pag. 59, exponitur.

Pro-Capellanus iste quasi episcopalia jura plenissime exercet in loca quæ appellantur *Sitios Reales*, et iis annexa, si facultates excipias tum synodum celebrandi, tum concursus ad parochiales ecclesias indicendi: ut patet ex Pont. Benedicti XIV bulla an. 1755, Pii VI brevibus ann. 1777 ac 1798, et similibus Pii VII Litteris an. 1802.

Quod Vicarii generalis Castrensis potestatem spectat, ea Apost. brevibus, quæ iterum atque iterum, quocumque videlicet septennio, rogant. Cath. Reg., expediri solent, regulata habetur; ut ex *legg. tit. 6 lib. 2 Novis. Compilat.* apparet.—Utrumque munus, nempe tam Regi Pro-Capellani, quam Castrensis gen. Vicarii, ordinario explicat Patriarcha Indiarum, de quo ad huj. tit. Sect. 5 mentio facta est.

De Militariibus Hisp. Ordinibus istius lib. tit. ult. redibit sermo.

Regularium Prælatorum jurisdicctio per aliquod tempus temperata a nobis est S. S. Pii IX *Motu proprio* dato die 12 Aprilis an. 1851, cujus en verba: Statuimus ac mandamus, ut domus Congregationum atque Ordinum regularium, qui per Hispaniam restituentur, ad hinc proximum decennium, ab hac die incipiendum, respectivis Episcopis, et Ordinariis Diœcesanis, tamquam ab Apostolica Sede delegatis, omnino subjiciantur.

Jurisdicctio Nuntii Apost. in Matrit. Ecc. et Nosocomium vulgo *de los Italianos*, Pont. Litteris stabilita sæc. XVI, quo erecta sunt, non semel postea, ac novissime sub Papa Leone XII an. 1826, confirmata eadem forma fuit.

S. Cruciatæ generalis Commissarii Magistratum supprimiti, et Sac. et civ. Potestat. opportunum visum est, ut Reg. decret. 6 April. 1851, et ordin. 25 Januar. 1852 demonstrant.

Collectoria vulgo *de Espolios y Vacantes* abolitio Concordati articulo 51 *ad fin.*, cujus vi jus Spolii absolute cessat, ut et 57, qui beneficiorum

redituum pro vacationis tempore administrationi sub Ordinariis providet, consequens omnino est.—V. *Novis. Compil. lib. 2 tit. 15.*

Tribunalis dicti del Escusado existentia *decimarum*, de quibus *lib. 2 tit. 16*, agit nostras Auct., præstationem legibus sancitam supponebat: unde mirum est illud in præsentis rerum statu aboleri.—V. *legg. tit. 12 ejusd. lib. in Novis. Compil.*, ubi not. 1 prædicti Tribunalis originem expositam habes.—Reg. Decretum diei 21 Januar. an. 1851 et *Collectoria de Espalios* et *tribunalis del Escusado* suppressionem ad effectum perferri disposuit.

SECTIO VII.

DE CAPITULIS CANONICORUM.

55. COLLEGIA CANONICORUM.—56. UNDE ORTUM CANONICORUM NOMEN?—57. CANONICI SÆCULARES, ET REGULARES.—58. CAPITULA VEL CATHEDRALIA, VEL COLLEGIATA.—59. CANONICORUM OFFICIUM.—60. DIGNITAS IN CAPITULIS INEST.—61. POTESTAS CAPITULI CATHEDRALIS SEDE VACANTE.—62 ET 63. VICARIUS CAPITULARIS: A QUIBUS, ET INTRA QUOD TEMPUS EJUS ELECTIO FACIENDA SIT?—64. QUIS ELIGI DEBEAT, ET QUAM JURISDICTIONEM HABEAT?—65. CAPITULUM, EJUSVE VICARIUS NIHIL SEDE VACANTE INNOVARE POTEST, ET NIHIL AGERE, QUOD SIT ORDINIS EPISCOPALIS.—66. QUÆ BENEFICIA CONFERRE POSSINT, QUÆ CONTRA NON POSSINT, ET QUIBUS RECTE DENTUR LITERÆ DIMISSORIÆ.

55.

Ecclésiasticam Dignitatem hodie etiam inesse constat in collegiis Canonicorum, tum cathedralium, tum collegiatarum Ecclesiarum. Cathedrale templum dicitur, in quo Episcopus suam habet cathedram, et quod princeps est ceterorum, quæ in civitate, aut in diœcesi sunt. Cetera templa, quæ post cathedrale collegium habent canonicorum, collegiata appellantur.

56. Omnibus olim clericis commune fuit Canonicorum nomen, quia scilicet adscripti erant *canoni*, seu *matriculæ* Ecclesiæ, cujus sumptu alebantur (1). Mediis autem sæculis Canonici dicti sunt clerici, qui communem, et secundum propriam regulam vitam tradebant. Hoc sensu Crodogangus, Metensis Episcopus, primus ætate Pippini Regis Canonicos instituit, clericos videlicet, quos, nullis emissis votis, in unam societatem coegit, quibusque regulam dedit (2). Quod vitæ institutum omnes pene Ecclesiæ acceperunt; Synodus vero Aquisgranensis regulam edidit plenioram, quæ ad canonicæ vitæ institutionem pertinebat.

(1) Canonis nomine hoc sensu utitur Concilium Nicænum *can. 19 tom. 2 col. 41 collect. Labbæi*, et Antiochenum *can. 1 col. 585 tom. 2*. Quod idem est atque illud, quod Canon Apostolorum 14 apud Cotelerium *PP. Apost.*

tom. 1 pag. 444 ed. Amstelædami 1724, catalogum, Concilium Agathense *canon. 2 ejusd. Collect. tom. 5 col. 521*, Augustinus *Serm. 556 num. 44 col. 1590 tom. 5 ed. Venet. an. 1781, tabulam clericorum* appellant. Quare cum omnium clericorum nomina in canone, sive matricula Ecclesiæ essent descripta, Canonici dicebantur, et hinc Cyrillus Hierosolymitanus *præfat. catech. num. 4 pag. 4 ed. Maurin. Paris. 1720* ita significat clericorum præsentiam, Concilium Laodicenum *canon. 15 tom. 1 col. 1554 collect. Labbæi vocat clericos cantores*, et generalim in Concilio Nicæno *can. 16 col. 40, et Antiocheno can. 2 col. 588 loc. cit.* Ecclesiæ clerici significantur.

(2) Primus Crodogangus certam videtur dedisse regulam clericis communem vitam traducentibus, quæ quidem regula extat apud Holstenium *Cod. Regular. tom. 2 pag. 96 ed. August. Vindel. 1759*. Verum ante ejus ætatem jam ipsa communis vita clericorum obtinebat. Nam initium habuit in oriente, ubi eam viguisse testantur S. Basilius *ep. 207 tom. 3 opp. pag. 510 ed. Maurin. Paris. 1750*, et Sozomenus *lib. 6 cap. 51 pag. 264 ed. Valesii Cantabrig. 1720*. Ex Oriente in Occidentem opera S. Eusebii Vercellensis, cum ipse ab Athanasio ex Oriente rediit, illam migrasse, tradit Ambrosius *ep. 65 n. 66 t. 3 col. 1128 ed. Maurin. Venet. 1751*. Eam vero sequuti sunt Ambrosius, Martinus Turonensis, Paulinus Nolanus; ac præsertim Augustinus, cujus exemplum, uti narrat Possidius *in ejus vit. cap. 5 col. 260 tom. 10 opp. Augustini edit. Maurin. Venet. 1750*, complures Ecclesiæ sequuntæ sunt. Certum porro est, Augustinum una cum suis clericis communem egisse vitam, sed iis non alia fuisse videtur regula, quam Evangelium. Consule Thomassium *Vet. et nov. Eccles. disciplin. par. 1 lib. 3 cap. 5, Holstenium loc. cit. addit. 7 pag. 95, Mabillonium Annal. Benedict. tom. 2 lib. 23 num. 51 pag. 170. edit. Lucæ 1759, et Cl. Card. Garampium, quem nuper vita defecit magno damno rei literariæ Dissert. 9 in Vit. B. Claræ Ariminensis.*

(N. S. Vita communis ab omnibus fidelibus in prima Hierosolym. Ecclesia sub Apostolis agebatur: *Act. Apost. 5*. Sed quum ab ea recessissent laici, soli Clerici deinceps eam coluerunt.)

57. Ita nati, et brevi propagati canonici, qui sub certa regula communem vitam tradebant. Sed cum hæc regula, atque hæc communis vita consequentibus annis pene ubique desisset, eam instaurare conati sunt viri insignes pietate, et doctrina (1), qui monasticis etiam votis suos canonicos obstringi voluerunt; qua in re novi ab antiquis canonicis differebant, quibus suo se patrimonio non abdicare licebat. Cum vero non omnes clerici communem illam, ac pene monasticam amplecterentur vitam, hinc aditus patefactus est Canonicis, qui sæculares appellantur. Nam Regulares sunt, qui sub Præposito communem vitam, et votis adstrictam agunt; sæculares vero, qui seorsim vivunt, ac perpetuis ecclesiasticis præbendis donati, suaque bona retinentes, servant canonicum institutum, quatenus patitur vita singularis.

(1) Quod in Italia præstiterunt Petrus Damiani, in Gallia Ivo Carnoten-

redituum pro vacationis tempore administrationi sub Ordinariis providet, consequens omnino est.—V. *Novis. Compil. lib. 2 tit. 15.*

Tribunalis dicti del Escusado existentia *decimarum*, de quibus *lib. 2 tit. 16*, agit nostras Auct., præstationem legibus sancitam supponebat: unde mirum est illud in præsentis rerum statu aboleri.—V. *legg. tit. 12 ejusd. lib. in Novis. Compil.*, ubi not. 1 prædicti Tribunalis originem expositam habes.—Reg. Decretum diei 21 Januar. an. 1851 et *Collectoria de Espalios* et *tribunalis del Escusado* suppressionem ad effectum perferri disposuit.

SECTIO VII.

DE CAPITULIS CANONICORUM.

55. COLLEGIA CANONICORUM.—56. UNDE ORTUM CANONICORUM NOMEN?—57. CANONICI SÆCULARES, ET REGULARES.—58. CAPITULA VEL CATHEDRALIA, VEL COLLEGIATA.—59. CANONICORUM OFFICIUM.—60. DIGNITAS IN CAPITULIS INEST.—61. POTESTAS CAPITULI CATHEDRALIS SEDE VACANTE.—62 ET 63. VICARIUS CAPITULARIS: A QUIBUS, ET INTRA QUOD TEMPUS EJUS ELECTIO FACIENDA SIT?—64. QUIS ELIGI DEBEAT, ET QUAM JURISDICTIONEM HABEAT?—65. CAPITULUM, EJUSVE VICARIUS NIHIL SEDE VACANTE INNOVARE POTEST, ET NIHIL AGERE, QUOD SIT ORDINIS EPISCOPALIS.—66. QUÆ BENEFICIA CONFERRE POSSINT, QUÆ CONTRA NON POSSINT, ET QUIBUS RECTE DENTUR LITERÆ DIMISSORIÆ.

55.

Ecclésiasticam Dignitatem hodie etiam inesse constat in collegiis Canonicorum, tum cathedralium, tum collegiatarum Ecclesiarum. Cathedrale templum dicitur, in quo Episcopus suam habet cathedram, et quod princeps est ceterorum, quæ in civitate, aut in diœcesi sunt. Cetera templa, quæ post cathedrale collegium habent canonicorum, collegiata appellantur.

56. Omnibus olim clericis commune fuit Canonicorum nomen, quia scilicet adscripti erant *canoni*, seu *matriculæ* Ecclesiæ, cujus sumptu alebantur (1). Mediis autem sæculis Canonici dicti sunt clerici, qui communem, et secundum propriam regulam vitam tradebant. Hoc sensu Crodogangus, Metensis Episcopus, primus ætate Pippini Regis Canonicos instituit, clericos videlicet, quos, nullis emissis votis, in unam societatem coegit, quibusque regulam dedit (2). Quod vitæ institutum omnes pene Ecclesiæ acceperunt; Synodus vero Aquisgranensis regulam edidit plenioram, quæ ad canonicæ vitæ institutionem pertinebat.

(1) Canonis nomine hoc sensu utitur Concilium Nicænum *can. 19 tom. 2 col. 41 collect. Labbæi*, et Antiochenum *can. 1 col. 585 tom. 2*. Quod idem est atque illud, quod Canon Apostolorum 14 apud Cotelerium *PP. Apost.*

tom. 1 pag. 444 ed. Amstelædami 1724, catalogum, Concilium Agathense *canon. 2 ejusd. Collect. tom. 5 col. 521*, Augustinus *Serm. 556 num. 44 col. 1590 tom. 5 ed. Venet. an. 1781, tabulam clericorum* appellant. Quare cum omnium clericorum nomina in canone, sive matricula Ecclesiæ essent descripta, Canonici dicebantur, et hinc Cyrillus Hierosolymitanus *præfat. catech. num. 4 pag. 4 ed. Maurin. Paris. 1720* ita significat clericorum præsentiam, Concilium Laodicenum *canon. 15 tom. 1 col. 1554 collect. Labbæi vocat clericos cantores*, et generalim in Concilio Nicæno *can. 16 col. 40, et Antiocheno can. 2 col. 588 loc. cit.* Ecclesiæ clerici significantur.

(2) Primus Crodogangus certam videtur dedisse regulam clericis communem vitam traducentibus, quæ quidem regula extat apud Holstenium *Cod. Regular. tom. 2 pag. 96 ed. August. Vindel. 1759*. Verum ante ejus ætatem jam ipsa communis vita clericorum obtinebat. Nam initium habuit in oriente, ubi eam viguisse testantur S. Basilius *ep. 207 tom. 3 opp. pag. 510 ed. Maurin. Paris. 1750*, et Sozomenus *lib. 6 cap. 51 pag. 264 ed. Valesii Cantabrig. 1720*. Ex Oriente in Occidentem opera S. Eusebii Vercellensis, cum ipse ab Athanasio ex Oriente rediit, illam migrasse, tradit Ambrosius *ep. 65 n. 66 t. 3 col. 1128 ed. Maurin. Venet. 1751*. Eam vero sequuti sunt Ambrosius, Martinus Turonensis, Paulinus Nolanus; ac præsertim Augustinus, cujus exemplum, uti narrat Possidius *in ejus vit. cap. 5 col. 260 tom. 10 opp. Augustini edit. Maurin. Venet. 1750*, complures Ecclesiæ sequutæ sunt. Certum porro est, Augustinum una cum suis clericis communem egisse vitam, sed iis non alia fuisse videtur regula, quam Evangelium. Consule Thomassium *Vet. et nov. Eccles. disciplin. par. 1 lib. 3 cap. 5, Holstenium loc. cit. addit. 7 pag. 95, Mabillonium Annal. Benedict. tom. 2 lib. 23 num. 51 pag. 170. edit. Lucæ 1759, et Cl. Card. Garampium, quem nuper vita defecit magno damno rei literariæ Dissert. 9 in Vit. B. Claræ Ariminensis.*

(N. S. Vita communis ab omnibus fidelibus in prima Hierosolym. Ecclesia sub Apostolis agebatur: *Act. Apost. 5*. Sed quum ab ea recessissent laici, soli Clerici deinceps eam coluerunt.)

57. Ita nati, et brevi propagati canonici, qui sub certa regula communem vitam tradebant. Sed cum hæc regula, atque hæc communis vita consequentibus annis pene ubique desisset, eam instaurare conati sunt viri insignes pietate, et doctrina (1), qui monasticis etiam votis suos canonicos obstringi voluerunt; qua in re novi ab antiquis canonicis differebant, quibus suo se patrimonio non abdicare licebat. Cum vero non omnes clerici communem illam, ac pene monasticam amplecterentur vitam, hinc aditus patefactus est Canonicis, qui sæculares appellantur. Nam Regulares sunt, qui sub Præposito communem vitam, et votis adstrictam agunt; sæculares vero, qui seorsim vivunt, ac perpetuis ecclesiasticis præbendis donati, suaque bona retinentes, servant canonicum institutum, quatenus patitur vita singularis.

(1) Quod in Italia præstiterunt Petrus Damiani, in Gallia Ivo Carnoten-

sis, in Anglia Ebertus Eboracensis, atque alii, qui canonicum institutum monasticum etiam votis obligarunt. Atque hi quidem Canonici sub Augustini regula inclinarunt, quod scilicet ejus clerum pari rerum suarum abdicatione emulabantur; quoniam Augustinum nullam specialem suis clericis regulam dedisse constat. Confer Thomassinum *loc. cit. cap. 7 et seq.*, de Muratorum *Dissertazioni sopra le antichità Italiane dissert. 62 tom. 3 par. 2 pag. 20 ed. Romæ 1755*, atque eruditus Cajetani Cenni in hanc dissertationem notas, ubi late agitur de Canonicorum origine, et instituto.

(N. S. In Hispania nulla primis quinque sæculis reperimus vitæ communis clericorum semina. Id cœpit medio sæculo VI, uti colligitur ex Syn. Tolet. II *Can. 1*, evincitur ex Tolet. III *Can. 5*, et in Oscensi an. 598 *Can. 1* aperte conspicitur; quæ quidem viguisse videtur sæculo VII, ut indicat Syn. Tolet. IV *Can. 25*, alias 22.

Sæculo vero VIII, inopinata Saracenorum incursione Hispania exagitata, pristina omnino cecidit Ecclesiæ disciplina; donec ejusmodi dira tyrannide à religiosissimis Regibus depulsa, cœperunt Episcopi, in sua unusquisque Ecclesia, antiquam vitæ communis societatem, sub D. Augustini, ita vocata regula, instituire. Eam in tota ejus Provincia instituit Syn. Compostellana an. 1056 *Can. 1*, in quo decernitur, quod Canonici omnes habeant *unum refectorium, unum dormitorium, silentium observent, ad mensam lectiones sanctas semper aulant, vestimentum usque ad talos induant, cilicium apud se habeant, et capellos nigros*. Eam quoque in Toletana Ecclesia, Mahometi superstitione recens expurgata, instituit Bernardus Archiepiscopus an. 1086, quæ non diu constitit; ab ea enim Canonicos partim dispensavit Raymundus Archiepiscopus an. 1128, partim dein Cebrunus eodem exeunte sæculo, vel ejus successor Gonzalus, ita ut Card. Ximenii tempore vix aliqua regularis disciplinæ exstarent vestigia. Unde in omnibus Hispaniæ Cathedralibus vel exolevit tractu temporis canonica vivendi forma, vel Pontificum Rom. indulgentia cessavit, una excepta Pampilonensi, in qua eodem ferme tempore, quo in Toletana, Monasticam vitam constituerat Petrus ejusdem Civitatis Episcopus, ut adparet ex Bulla Paschalis II die 4 Maii an. 1110, et Lucii II 31 Januarii an. 1114.

Sæculo XI prima visa sunt in Hispania Regularium Canonicorum semina. V. quæ ad hujus lib. tit. ult. adnotantur.*

58. Sensim autem canonici sæculares in omnibus cathedralibus, atque in pluribus etiam inferioribus Ecclesiis locum habere cœperunt, eorumque cœtus capitula appellantur; quæ vel *cathedralia*, vel *collegiata* dicuntur, cum nimirum cathedrali, aut aliis inferioribus Ecclesiis inserviunt.

(N. S. Syn. Trid. Ses. 24 de Ref. *Cap. 12* Canonicos constringit ad Fidei professionem coram Episcopo, vel ejus Vicario, et coram Capitulo, intra duos à possessione adepti menses, sub pœna amissionis fructuum, faciendam. Ad hæc hortatur eadem *Sancta Synodus, ut in Provinciis, ubi commode fieri potest, Dignitates omnes, et saltem dimidia pars Canoniatuum in Cathedralibus, et Collegiatis insignibus, conferantur tantum Magistris, vel Doctoribus, aut etiam Licentialis in Theologia, vel Jure Canonico*. Quod quidem observandum in suis Provinciis constituerent Syn. Tolet. an. 1565 *Actione 2 Ref. cap. 29*, et Compostellana ejusdem anni *Act. 5 Decret. 55.*)

59. Præcipuæ canonicorum partes sunt altari, ac divino cultui inservire, et divinum officium in templo persolvere, quod, ut inquit Synodus Tridentina (1), facere per se ipsos debent, non *per substitutos*. Cui muneri ut satisfaciant, debent canonici in suis Ecclesiis immorari; sed tamen iis quoque anno datur spatium trium mensium, quo abesse possunt ab Ecclesiis suis (2). Ultra tres menses abesse nequeunt, nisi qua justa causa eos procul esse cogat, veluti si absint curaturi res Ecclesiæ, aut Episcopi (3), aut daturi operam in aliquo probato gymnasio sacræ Theologiæ, sacrivæ Canonibus (4). Ex justis causis absentes præbendæ (5) fructus percipiunt, non item quotidianas distributiones quæ tantum in choro præsentibus accrescunt (6).

(1) Conc. Trident. *Sess. 24 cap. 12 de Reform.* Satis autem non est, quod canonici choro intersint, sed etiam debent elata voce officium canere. Benedictus XIV in *Constit. 105 §. 24 p. 262 t. 1 ejus Bullar. et Const. præclara. decora §. 6 in supplem. num. 4 tom. 5 pag. 555.*

(2) Conc. Tridentinum *loc. cit.* Sed hoc beneficio frui nequeunt canonici, qui alternis tantum hebdomadibus choro intersunt. Vide Giraldum *Exposit. Jur. Pontific. par. 2 tom. 5 pag. 1015.*

(3) *Cap. 7 et 15 de Cleric. non resid.* Quod tamen intra duos tantum canonicos cohibendum esse, constat ex *cit. cap. 15*, et ex *Const. exponi nobis 286 Urbani VIII pag. 149 tom. 6 par. 1 Bullarii.*

(4) *Cap. 12 de Cler. non resid., Cap. ult. de Magistris, Conc. Trident. Sess. 5 cap. 1 de Reform.* In *cap. 22 de Præben.* nullum definitur tempus, quo canonici abesse possunt ab Ecclesiis suis in aliquo probato gymnasio, ut dent operam sacræ Theologiæ, sacrivæ Canonibus; verum in *cap. 5 de Magistris spatium quinque annorum ejus rei gratia conceditur*. Illud monendum est, quod cum integri canonicatus fructus distributionibus constant, vel tertiam earum partem non attingunt, tunc absentes, sive ut doceant, sive ut addiscant sacram Theologiam, sacrosæ Canones, duas tertias consequuntur partes, confectas ex fructibus præbendæ, atque ex distributionibus, reliqua vero tertia pars præsentibus accrescit.

(5) Vestimenta, alimenta, et cetera, quæ militibus præbebantur, præbenda neutro genere (ut est à Cujacio animadversum *observat. lib. 2 cap. 25 opp. tom. 3 col. 57 ed. Venet. 1758*) appellata sunt *L. 19 ff. de testib.* Eadem voce apud Ecclesiasticos illa reddituum pars designata, quæ datur canonicis, ut ex ea percipiant, quæ sunt ad vitam traducendam necessaria.

(6) *Cap. un. de Cleric. non resid. in G.* Excipiuntur tamen illi, quos *infirmitas, seu justa, et rationabilis corporis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas excuset*, qui absentes etiam quotidianas distributiones accipiunt. Sed de his agam copiose Libro II.

60. Honorantur autem canonici supra ceteros clericos, maxime si sint canonici cathedralis templi, qui præcipua quædam habent supra canonicos collegiatarum. Singuli canonici Dignitatem non habent, quamquam ad eam proxime accedant cano-

nici Ecclesie cathedralis, ideoque interdum à Sede Apostolica Judices delegati constituantur (1); sed Dignitas est penes corpus universum.

(1) Consule Benedictum XIV. *Const. Quamvis* 28 §. 6 pag. 41 tom. 1 ejus Bullarii ed. indic.

(N. S. Alexander III, *cap. 4 De his, quæ sunt à Prælato etc.*, Patriarcham Hierosolymitanum sic adloquitur: *Novit plenius tuæ discretionis prudentia, qualiter tu, et fratres tui unum corpus sitis, ita quod tu caput, et illi membra esse probentur. Unde non decet te, omissis membris, aliorum consilio in Ecclesie tuæ negotiis uti, quum id non sit dubium, et honestati tuæ, et Sanctorum Patrum constitutionibus contraire.* Profecto hic Summus Pontifex de antiquissima loquitur ecclesiastica consuetudine, qua inauditum erat, ut Episcopus quidquam ageret sine consilio sui cleri, cujus jura solum deinde Cathedralis Ecclesie Capitulum sibi vindicavit.

Verum hæc unitas, qua Canonici suo Episcopo, veluti membra suo Capiti adnectebantur, unumque corpus efficiebant, non diu stetit, sed paulatim disjuncta est. Usu enim sensim inductum, ut plura sibi adrogarent Episcopi, quæ sine Capituli agerent consensu; contra vero Canonici haud pauca sibi reservarent, in quibus ab Episcopis non penderent: quinimmo aliquibus in locis eo processerunt, ut exemptionem ab Episcopi jurisdictione sibi procurarent.

Ex iis, quæ Episcopus non advocato capitulo agere nequit, præcipua sunt, Synodum Diocesanam celebrare, in eaque Judices, et Examinatores creare, tum et constitutiones edere: *Trid. Sess. 24 Ref. cap. 13, et Sess. 25 Ref. cap. 10.* Bona Ecclesie alienare: *Cap. 1, 8, 9 de illis, quæ sunt à Prælato sine cons. Capit. Ecclesias, vel beneficia unire: Clem. ult. de Rebus Eccl. non alienandis.* Causas omnes, quæ ad jura Capituli pertineant, terminare: *ibid. cap. fin.* Reliqua vide apud Fagnanum in *cap. Quum ex injuncto de Novi Operis nuntiatione.* Ceterum attendendæ sunt locorum consuetudines.

At contra Capitulo nonnulla Jure communi competunt independentem ab Episcopo: ut Instituta, seu Statuta facere, quæ sua negotia respiciant, in Canonicos immorigeros, aliosque Clericos Capitulo subjectos pœnis levioribus animadvertere, propriam arcam habere, et sigillum, mensæ capitularis redditus administrare, aliæque.

Jam vero antequam hinc egrediamur, obiter observare juvat, Patres Tridentinos etiam in hoc capite veterem disciplinam, pristinaque presbyterii auctoritatem instaurare exoptasse; at, Canonicis nimium suis exemptionibus addictis, rem nonnihi ex parte perfecisse.

1. Igitur Episcopis jure Tridentino competit *in Choro, et in capitulo prima sedes, et locus, quem ipsi elegerint.*

2. Præcipua rerum omnium agendarum auctoritas; unde si aliquid Canonici ad deliberandum proponant, nec de re ad suum, vel suorum commodum spectante agatur, Episcopi ipsi capitulum convocent, vota exquirant, et juxta ea concludant: *Sess. 25 Ref. cap. 6.*

3. Tum Episcopis jus tributum est, ut cum consilio Capitali singulis Cathedralium Ecclesiarum canonicatibus, ac portionibus sacrum aliquem ordinem adnectant; ita tamen, ut dimidia saltem pars Presbyteri sint: nisi plures, aut omnes ex laudabili consuetudine sint Presbyteri: *Sess. 24 Ref. cap. 12.*

4. Episcopis facultas est impertita, ut invisere possint, corrigere, et emendare auctoritate Apostolica Capitula etiam exempta, eorumque personas, vel per se ipsos, vel adjuncta illorum, quos voluerint, opera: *Sess. 6 Ref. cap. 4.*

5. Demum extra visitationem Episcopi in Canonicos, etiam Capituli exempti, animadvertunt, duobus tamen adjunctis Canonicis principio cujuscunque anni ab ipso Capitulo deputandis; licet in atrocioribus delictis, ubi de fuga timetur, initio possit solus Episcopus ad summariam informationem, et necessariam detentionem procedere. V. pag. 115 §. 13.)

De Delegatis egimus in adnot. ad hujus tit. sect. 2 in fine.

61. Potestas, et jurisdictio Capituli Ecclesie Cathedralis esse in primis exserit vacua Sede Episcopali; nam tunc ad ipsum omnis transfertur Episcopi jurisdictio (1). Quod non alieno mandato, aut delegatione efficitur, sed potius nativo quodam, et proprio jure, quod mortuo Episcopo in Presbyterio reviviscit (2). Ergo omnis ad Capitulum venit ordinaria Episcopi jurisdictio; atque ejus est judicare, condemnare, pœnas imponere, cetera demum agere, quæ ordinariæ jurisdictionis sunt.

(1) *Cap. 11 et 14 de majorit. et obedien.*

(2) *Episcopali Sede vacante* (inquit Card. de Luca ad *Conc. Trident. disc. 51 num. 1*) *de jure Episcopalis jurisdictionis, atque Ecclesie administratio devolvitur ad Capitulum, non quidem ex aliquo privilegio, vel delegatione, sed ex ratione juris non decrescendi; quia Ecclesia cathedralis efformatur conjunctim ab Episcopo, et Capitulo.*

Capitulo cathedrali ea, de qua hic agitur, jurisdictione Episcopi morte frequentissime obvenit. Verum quid juris, quæras fortasse, si alias ob causas Prælati commissam sibi gregem pascere non valeat, impediatur? Breviter, ac, ut opinamur, non infeliciter de proposito versatur novissimus scriptor F. Walter, qui in *Manuali Jur. Eccl.*, Matrili an. 1845 vulgari sermone edito, *lib. 5 cap. 2*, ait: *La vacante por traslacion, dimision ó deposicion, (del obispo), se halla en el mismo caso que la que ocurra por muerte (his enim omnibus in casibus Vicarii capitularis electio locum habet ex Trid. sanctione.)* Igualmente si el obispo es conducido cautivo por enemigos exteriores de la Iglesia, de tal manera que haya motivo para suponer que su vuelta ha de dilatarse mucho, la administracion provisional corresponde por analogia al cabildo, que puede por consiguiente elegir un vicario. Sin embargo, como el vinculo que liga al obispo con su Iglesia no queda completamente destruido, debe el cabildo lo mas antes posible dar cuenta de todo à la Santa Sede, y seguir sus instrucciones. Hay otro caso, en que un obispo es despojado de su diocesis por la autoridad temporal del pais. En efecto, debiendo el gobierno entrar en negociaciones con el cabildo ó con el Papa para arreglar las dificultades, hay posibilidad de traer estas al principio de derecho, y de obtener la restitucion por medio de representaciones y de ruegos. Tal caso no puede ser considerado, bajo el punto de vista de la Iglesia, sino como un estado temporal, sin duda momentaneo, durante el cual el gran vicario (*vicarius generalis*) episcopal debe continuar sus funciones, y el cabildo esponer al Papa la situacion de las cosas. En fin, si un obispo es suspenso ó escomulgado, el poder de su gran vicario cae à la verdad, pero el vinculo

que lo liga con la diócesis no se rompe todavía. La jurisdicción no pasa al cabildo; al Papa corresponde proceder (melius forsán *prover*) estraordinariamente. Verum de hoc consulendi Ferraris *Prompt. Bibliot. verbo Capitulum* art. 5, et opuse, cui titulus. *Disertacion ea que se examina la verdadera doctrina sobre sillas impedidas*, editum Matrili an. 1845.

Denique, cum Barcinens. antea laudatis Selvagii Adnotator., animadvertere lubet, Gerundensis Cathedralis Eccl. archidiaconum majorem, episcopalem jurisdictionem sede vacante exercendi prerogativa gavisum usque ad proxime elapsum sæculum. V. Bull. Pii VI, an. 1782, quæ incipit: *Regis pacifici*.

62. Quam potestatem Capitulum exercet per Vicarium Capitularem, quem intra octo dies post obitum Episcopi eligere debet, ne pluribus commissa negotia segnius, et difficiliter expediantur. Elapso hoc tempore, jus eligendi transfertur ad Metropolitanam, et si Ecclesia ipsa metropolitana fuerit, vel exempta, tunc antiquior Episcopus ex suffraganeis in metropolitana, et propinquior Episcopus in exempta Vicarium constituit (1).

(1) Conc. Tridentinum *Sess. 24 cap. 16 de Reform.*

63. Tùm ubi ecclesiam suffraganeam carentem capitulo una cum metropolitana vacare contingerit, electio Vicari suffraganei non ad antiquiorem suffraganeum, sed ad capitulum metropolitanum pertinebit (1). Quod si omnes vicarium eligere neglexerint, eum constituit Romanus Pontifex, aut Sacra Congregatio Episcoporum, et Regularium, ejusque facultates modo angustioribus continentur finibus, modo amplioribus explicantur. Quinimo cum Episcopo datus est ab Apostolica Sede Vicarius, is, etiam illo mortuo, officium retinet, neque tunc, ob reverentiam Supremæ Sedi debitam, locus est Vicarii Capitularis electioni (2).

(1) Consule Benedictum XIV *de Synod. diæces. lib. 2 cap. 9 num. 2.*

(2) Vide Gaudentium *de Visit. et jurisd. Prælat. to. 1 cap. 5 dub. 15 sect. 2 num. 18*, et Card. Petram *Constit. Apostolicæ tom. 1 sect. 5 pag. 278 num. 42.*

64. Eligendus est Vicarius Capitularis ex canonicis, si qui inter eos Doctores, Licentiati, Jurisque consulti reperiuntur (1). Recte etiam eligitur postremus defuncti Episcopi Vicarius, vel extraneus, cum nemo est ex canonicis, qui ad hoc munus gerendum aptus, et idoneus habeatur. Rite constitutus ex officio dimoveri non potest, nisi justa, et Sac. Congregationi Episcoporum, ac Regularium probata causa sit (2); totamque accipit

jurisdictionem, cujus nullam omnino partem sibi Capitulum reservare potest (3).

(1) Vicarius capitularis, inquit Synodus Tridentina *Sess. 24 cap. 16 de Reform.*, eligi debet, qui saltem in jure canonico sit Doctor, vel Licentiatius, vel alias, quantum fieri poterit, idoneus. Cum autem aliquis inter canonicos aptus, et idoneus est ad Vicarii officium exercendum, hunc, non extraneum, eligendum esse, respondit Sac. Congregatio Concilii, uti testatur Gaudentius *loc. cit. num. 16.*

(2) Confer. Benedictum XIV *de Synod. Diæces. lib. 2 cap. 9 num. 4.*

(3) Fuit olim multorum opinio, quod liceret Capitulo arctare, et restringere Vicarii jurisdictionem, ejusque partem sibi reservare; sed nunc communis omnium sententia est, quam etiam probat Benedictus XIV *de Synod. Diæces. lib. 4 c. 8 num. 10*, et Giraldus *Exposit. Jur. Pontif. par. 2 tom. 3 pag. 962*, id fieri non posse. Quin etiam multi sentiunt, Vicarium Capitularem, propter affixam suo officio potestatem, ea quoque recte expedire, pro quibus Vicarius generalis Episcopi speciali mandato opus habet. Vide Benedictum XIV *loc. cit. lib. 2 cap. 9 num. 4.*

65. Multa tamen sunt, quæ, dum vacua est Ecclesia, Capitulum, ejusque Vicarius non facit, vel quod non habet potestatem, vel quod ei sacri Canones modum constituerunt. Non facit, quæ sunt ordinis Episcopalis, quamquam ad ea gerenda recte exteros Episcopos advocet; nec porro facit, quæ ex delegatione, aut beneficio Summi Pontificis uni Episcopo concessa sunt (1). Nihil quoque Capitulum, sede vacante, potest innovare, ac de juribus Episcopalibus diminuere (2); quod proprium est omnium, qui rem gubernant, quæ ad interregnum venit, ut nihil innovent, et nihil de juribus detrahant. Itaque, sede vacante, capitulum conjungere, aut dividere beneficia, atque aliquid alienare prohibetur.

(1) Ad cetera, quæ Capitulum, ejusque Vicarius, sede vacante, facere non potest, referendæ sunt etiam Indulgentiæ, quæ ab ipsis concedi nequeunt, quamquam earum concedendarum potestas non ad ordinem, sed ad jurisdictionem pertineat. Sane Episcopus quadraginta dierum Indulgentias tribuere potest, capitulum vero, ejusque Vicarius non potest. Tres hujus rei causas asserit Benedictus XIV. *de Synod. Diæces. lib. 2 cap. 9 num. 7*; prima, quod facultas concedendi Indulgentias non ita necessaria est pro regimine Diæceseos, ut aliquid inde oriatur detrimenti, si ea careat qui ad tempus diæcesim administrat; altera, quod hæc facultas extraordinariæ cujusdam jurisdictionis est, quæ tantum pertinet ad dignitatem Episcopalem; postrema, quod universus Indulgentiarum thesaurus penes Summum Pontificem est, à quo illius juris pars in solos Episcopos conferri potuit, non autem in illos, qui veri non sunt Ecclesiarum sponsi, verique pastores, sed qui tantum ad tempus diæcesim administrant.

(2) Vide Titulum *Ne sed. vacant. aliquid innovet.*

66. Ad beneficia quod attinet, Capitulum, sede vacante, oblatum à Patrono clericum recte instituit (1), et recte etiam confert beneficia, quæ conjunctim cum Episcopo conferre deberet (2); non item beneficia, quorum libera collatio ad solum Episcopum pertinet (3). Denique literas dimissorias primo anno vacantis Ecclesiæ Capitulum (4) recte concedit iis, quos beneficium vel acceptum, vel accipiendum ordines suscipere cogit, non item reliquis; post annum vero omnibus indiscriminam (5).

(1) *Cap. 1 de Instit. in 6.*

(2) *Cap. unic. Ne sed. vacan. in 6.*

(3) *Cap. 2. Ne sed. vacan. aliq. innovet.*

(4) Haud tamen capitulum per se ipsum concedit literas dimissorias, sed per Vicarium capitularem, ad quem tota, uti diximus, capituli jurisdictio defertur. Vide Giraldum *Exposit. Jur. Pontif. par. 2 tom. 3 pag. 962.*

Quæ de Canonicorum capitulis novis. Concordato sancita sunt, in proxime sequenti sect., ad quam pariter tales articuli referuntur, exponemus.

SECTIO VIII.

DE DIGNITATIBUS, PERSONATIBUS, OFFICIIS.

67 ET 68. QUID DIGNITAS, QUID PERSONATUS, QUID OFFICIUM SIT?—69. CANONICUS THEOLOGUS.—70. CANONICUS PENITENTIARIUS.—71 AD 75. ARCHIDIACONI MUNUS, ET POTESTAS.—74 ET 75. MUNUS, ET POTESTAS ARCHIPRESBYTERI.

67.

Sunt à Canonicis, qui Dignitate, Personatu, Officio à ceteris distinguntur. Hujusmodi sunt Archidiaconus, Archipresbyter, Primicerius, Decanus, Præpositus, Thesaurarius, alique, qui non solum habent canonicatum, sed etiam, quæ ceteris Canonicis communia non sunt, aut certum munus, aut honoris prærogativam, aut cum honore jurisdictionem; et Officia, Personatus, Dignitates appellantur. Non idem est in omnibus Ecclesiis Cathedralibus, et Collegiatis eorum numerus, et ratio; ac longum esset de omnibus singillatim dicere.

(N. S. Dignitatum, et Officiorum origo potissimum ex instituta, atque instaurata communi Clericorum vita est educenda. Tunc enim opus fuit, et iis, qui præssent, et iis, qui propius Clericis curam impenderent, tum demum et iis, qui bona administrarent, ac tuerentur. Munia hæc sive officia plerumque non nisi mera erant ministeria, sive delegationes, quæ ab Episcopis pro arbitrio conferri, adimive possent. Verum dissociata communi Cle-

ricorum vita, singulisque officiis suis constitutis redditibus, delegationes illæ non solum in beneficia, sed et in Dignitates degenerarunt, et quidem perpetuas, et irrevocabiles, cum jurisdictione, ac potestate singulis iisdem propria; adeo ut qui eas semel esset consequutus, iisdem exspoliari nequirit, nisi gravioribus quibusdam de causis, iisdemque in Jure expressis. Atque hinc primum Dignitates in Capitulis emerunt: quibus aliæ novis foundationibus accessere.)

68. Totum in his rebus conficit usus, et consuetudo Ecclesiarum. Quare videndum est, quid cuique in singulis datum sit muneris, quid honoris, quid jurisdictionis, et unusquisque, quæ sibi sunt commissæ, partes implere debet. In Italia primam Dignitatem plerumque obtinent Archidiaconi, in Hispania, et Lusitania Decani, in Germania Præpositi (1). Nos de duobus nominatim agemus Officiis, quæ omnes habent Ecclesiæ Cathedralis, ac de duobus dignitatibus, quibus summam post Episcopum auctoritatem Decretales attribuunt.

(1) Vid. Rigantium *ad Regul. Cancellar. IV. §. 1 num. 20 et seq.*

(N. S. Vigente communi clericorum vita, præter Abbates, aliosque Prælatos, superiores erant quoque sic dicti Præpositi, qui aliquam curam sub Prælatibus superioribus gerebant. Præpositi, inquit Syn. Aquisgran. an. 816 Cap. 459, qui quendam prioratus curam sub aliis Prælatibus gerunt. *Ii tales, et tam strenui sunt constituendi, qui et vitæ probabilis sint, et ea, quæ sibi injuncta sunt, fideliter, humiliterque explant.*

Erant quoque et Decani, quos Canonici, quum communem vitam agerent, ad exemplum Monachorum constituerunt, quibus interior eorum cura incumberet, quum Præpositi temporalibus negotiis intenti, curam spiritualem negligerent, sæpiusque à Cœnobio abessent. Dissociata vero vita communi, adhuc quidem superfluere æque Præpositi, ac Decani: verum quum illi potentia, ac reddituum opulenti inflati, durius Canonicos habere cœpissent, hinc pedetentim plerisque in Cathedralibus, vel prorsus abrogati sunt, vel univosa ipsis jurisdictio adempta: at contra nulla pæne est Cathedralis, cujus Capitulum Decanatum, et quidem inter præcipuas Dignitates recensitum, non habeat. Verum Innocentius III *Lib. 1 Epist. 77*, eosdem existimat fuisse Decanos, et Præpositos, qui Priores quoque dicti sunt, *secundum omnium fere Hispaniarum Ecclesiarum consuetudinem*. Et sane in quibusdam Hispaniarum Ecclesiis Dignitas exstat *Prioris* vocabulo cognita.

Decani in Canonicos, aliosque Ecclesiæ suæ clericos potestas magis ex consuetudinibus, institutis, et privilegiis, quam ex jure haurienda est. Verum ubi Decanus est Prælatum Ecclesiæ Collegiatae, de jure habet jurisdictionem ordinariam in Canonicos, aliosque Ecclesiæ suæ clericos: *Glossa ad cap. 6 de Sent. excomm. in 6.* Ceterum quæcumque Decani fuerit potestas, ea non contentiosa, sed correctoria, uti Canonistæ loqui amant, tantummodo esse intelligitur; nisi contraria consuetudine, aliove speciali titulo contentiosam quoque jurisdictionem sibi vindicet.

Qui in titulis Decretalium *Primicerius* dicitur, idem pæne est, ac qui hodie *Cantor* appellari solet: dictus quidem Primicerius, tum quia primum inter Canonicos gradum obtinebat; Primicerius enim idem est, ac qui pri-

66. Ad beneficia quod attinet, Capitulum, sede vacante, oblatum à Patrono clericum recte instituit (1), et recte etiam confert beneficia, quæ conjunctim cum Episcopo conferre deberet (2); non item beneficia, quorum libera collatio ad solum Episcopum pertinet (3). Denique literas dimissorias primo anno vacantis Ecclesiæ Capitulum (4) recte concedit iis, quos beneficium vel acceptum, vel accipiendum ordines suscipere cogit, non item reliquis; post annum vero omnibus indiscriminam (5).

(1) *Cap. 1 de Instit. in 6.*

(2) *Cap. unic. Ne sed. vacan. in 6.*

(3) *Cap. 2. Ne sed. vacan. aliq. innovet.*

(4) Haud tamen capitulum per se ipsum concedit literas dimissorias, sed per Vicarium capitularem, ad quem tota, uti diximus, capituli jurisdictio defertur. Vide Giraldum *Exposit. Jur. Pontif. par. 2 tom. 3 pag. 962.*

Quæ de Canonicorum capitulis novis. Concordato sancita sunt, in proxime sequenti sect., ad quam pariter tales articuli referuntur, exponemus.

SECTIO VIII.

DE DIGNITATIBUS, PERSONATIBUS, OFFICIIS.

67 ET 68. QUID DIGNITAS, QUID PERSONATUS, QUID OFFICIUM SIT?—69. CANONICUS THEOLOGUS.—70. CANONICUS PENITENTIARIUS.—71 AD 75. ARCHIDIACONI MUNUS, ET POTESTAS.—74 ET 75. MUNUS, ET POTESTAS ARCHIPRESBYTERI.

67.

Sunt à Canonicis, qui Dignitate, Personatu, Officio à ceteris distinguntur. Hujusmodi sunt Archidiaconus, Archipresbyter, Primicerius, Decanus, Præpositus, Thesaurarius, alique, qui non solum habent canonicatum, sed etiam, quæ ceteris Canonicis communia non sunt, aut certum munus, aut honoris prærogativam, aut cum honore jurisdictionem; et Officia, Personatus, Dignitates appellantur. Non idem est in omnibus Ecclesiis Cathedralibus, et Collegiatis eorum numerus, et ratio; ac longum esset de omnibus singillatim dicere.

(N. S. Dignitatum, et Officiorum origo potissimum ex instituta, atque instaurata communi Clericorum vita est educenda. Tunc enim opus fuit, et iis, qui præssent, et iis, qui propius Clericis curam impenderent, tum demum et iis, qui bona administrarent, ac tuerentur. Munia hæc sive officia plerumque non nisi mera erant ministeria, sive delegationes, quæ ab Episcopis pro arbitrio conferri, adimive possent. Verum dissociata communi Cle-

ricorum vita, singulisque officiis suis constitutis redditibus, delegationes illæ non solum in beneficia, sed et in Dignitates degenerarunt, et quidem perpetuas, et irrevocabiles, cum jurisdictione, ac potestate singulis iisdem propria; adeo ut qui eas semel esset consequutus, iisdem exspoliari nequirit, nisi gravioribus quibusdam de causis, iisdemque in Jure expressis. Atque hinc primum Dignitates in Capitulis emerunt: quibus aliæ novis foundationibus accessere.)

68. Totum in his rebus conficit usus, et consuetudo Ecclesiarum. Quare videndum est, quid cuique in singulis datum sit muneris, quid honoris, quid jurisdictionis, et unusquisque, quæ sibi sunt commissæ, partes implere debet. In Italia primam Dignitatem plerumque obtinent Archidiaconi, in Hispania, et Lusitania Decani, in Germania Præpositi (1). Nos de duobus nominatim agemus Officiis, quæ omnes habent Ecclesiæ Cathedralis, ac de duabus dignitatibus, quibus summam post Episcopum auctoritatem Decretales attribuunt.

(1) Vid. Rigantium *ad Regul. Cancellar. IV. §. 1 num. 20 et seq.*

(N. S. Vigente communi clericorum vita, præter Abbates, aliosque Prælatos, superiores erant quoque sic dicti Præpositi, qui aliquam curam sub Prælatibus superioribus gerebant. Præpositi, inquit Syn. Aquisgran. an. 816 Cap. 459, qui quendam prioratus curam sub aliis Prælatibus gerunt. *Ita tales, et tam strenui sunt constituendi, qui et vitæ probabilis sint, et ea, quæ sibi injuncta sunt, fideliter, humiliterque explant.*

Erant quoque et Decani, quos Canonici, quum communem vitam agerent, ad exemplum Monachorum constituerunt, quibus interior eorum cura incumberet, quum Præpositi temporalibus negotiis intenti, curam spiritualem negligerent, sæpiusque à Cœnobio abessent. Dissociata vero vita communi, adhuc quidem superfluere æque Præpositi, ac Decani: verum quum illi potentia, ac reddituum opulentia inflati, durius Canonicos habere cœpissent, hinc pedetentim plerisque in Cathedralibus, vel prorsus abrogati sunt, vel univosa ipsis jurisdictio ademta: at contra nulla pæne est Cathedralis, cujus Capitulum Decanatum, et quidem inter præcipuas Dignitates recensitum, non habeat. Verum Innocentius III *Lib. 1 Epist. 77*, eosdem existimat fuisse Decanos, et Præpositos, qui Priores quoque dicti sunt, *secundum omnium fere Hispaniarum Ecclesiarum consuetudinem.* Et sane in quibusdam Hispaniarum Ecclesiis Dignitas exstat *Prioris* vocabulo cognita.

Decani in Canonicos, aliosque Ecclesiæ suæ clericos potestas magis ex consuetudinibus, institutis, et privilegiis, quam ex jure haurienda est. Verum ubi Decanus est Prælatum Ecclesiæ Collegiatae, de jure habet jurisdictionem ordinariam in Canonicos, aliosque Ecclesiæ suæ clericos: *Glossa ad cap. 6 de Sent. excomm. in 6.* Ceterum quæcumque Decani fuerit potestas, ea non contentiosa, sed correctoria, uti Canonistæ loqui amant, tantummodo esse intelligitur; nisi contraria consuetudine, aliove speciali titulo contentiosam quoque jurisdictionem sibi vindicet.

Qui in titulis Decretalium *Primicerius* dicitur, idem pæne est, ac qui hodie *Cantor* appellari solet: dictus quidem Primicerius, tum quia primum inter Canonicos gradum obtinebat; Primicerius enim idem est, ac qui pri-

mus inscribitur in Cera, seu Tabula cerata: *Horat. Lib. II Sat. 5*, et *Jul. Cæsar Cap. 85*. Tum vero, et præsertim, quia in Cantoribus instituendis, et ad cantum in choro ducendis ejus cura versabatur: inde et aliquando *Præcentor* dictus.

Cantoris, sive Primicerii officium est choro præesse: ut divina officia graviter, et ordinate Altissimo persolvantur. Unde risus cohibere, et colloquia, silentium indicere, curare ne quis nimium in psallendo festinet, aut tardet, aliaque hujus generis Cantoris omnino munia sunt. Atque hinc in quibusdam Cathedralibus usu receptum est, ut in suæ potestatis argumentum in festis sollemnioribus baculo argenteo utatur, quem *baculum Cantoralem* vocant. In Hispania Primicerii dicti sunt quoque *Primiceri*, quasi primi inter clericos, eisque commendata est distributio tertiæ partis oblationum inter Subdiaconos, et Clericos, prout nunquamque viderant Sacris obvendis ministeriis addictum: *Syn. Emeritens. Can. 17*. Unde non parum illis honoris obtulit, adeoque in *Conc. Tolet. VIII Sirculo*, seu *Siliceno* datum est post Archipresbyterum, ante Episcoporum Vicarios subscribere.

Præcentor, qui successisse dicitur Primicerio, in Hispania ut plurimum vocatur gallico sermone *Chantre*, et nonnunquam etiam *Capiscol*, quasi *Caput Scholæ*, seu cæsus Cantorum, ut adparet in Actis Conventus Episcoporum apud Urgellum an. 1040, quibus subscribit Baymundus Levita, et *Caput Scholæ*: apud Aguirre *Tom. 4*. Ad ipsum spectabat instituire Subcantores, et congruam ipsis pendere alimoniam, præcinere in sollemnioribus antiphonas, et lectiones in choro recitatos invitare: *Leg. 5 Tit. 6 Part. 1*, qui et in quolibet Sabbato Tabulam in choro præfigere, descriptis in ea illorum nominibus, à quibus sequentis hebdomadæ officia peragenda erant: *Synod. Compostell. an. 1585 Actio. 2 Decret. 18*. At nunc spectanda uniuscujusque Ecclesiæ consuetudo.

Vigente communi Clericorum vita, haud raro pueri à parentibus Episcopis offerebantur, ut iisdem ducibus, ac magistris, paulatim ad vitam clericalem instituèrentur. Jam vero Episcopo gravioribus Ecclesiæ negotiis distento, ex ipsis in communi degentibus Clericis probatissimus aliquis seligebatur, qui pueros, et adolescentes in bonis moribus, vitæque sanctitate erudiret. Ad rem *Syn. Tolet. II Can. 1: De his, quos voluntas parentum... Clericatus officio mancipavit, statuimus, ut mox quum detonsi fuerint... in domo Ecclesiæ sub Episcopali præsentia à Præposito sibi debeant erudiri*. Expressius *Syn. Tolet. IV Can. 24* alias *25*: ad cujus normam S. Isidorus quoddam in Hispalensi Ecclesia Collegium pueris instituendis erexit, unde Ildephonsus, et Braulio, alique pietate, et doctrina insignes prodierunt. Hæc antiqua Hispaniæ nostræ Collegia, è profunda educere oblivione proculdubio cogitans *Syn. Trident. decrevit Sess. 25 Ref. cap. 18*, ut in unaquaque Ecclesia Cathedrali constituantur Seminaria, ubi pueri à duodecim ætatis annis, divites propriis sumptibus, pauperes Seminarii sumptibus, simul conviventes, Ecclesiasticis erudiantur disciplinis, unde Episcopus probatissimos seligere possit Ecclesiæ ministros. Consonat *Syn. Toletan. an. 1565 Act. 3 Ref. cap. 27*. Philippus II, et III, *Legg. 4 et 6: num. 2, tit. 5, lib. 4, et not. 4 ad tit. 11 lib. 1 Novis. Compilat.* et Philippus V Episcopos voluit à Supremo Castellæ Senatu commoveri, ut Seminaria erigere curarent, eisdemque Rom. Pontifices Seminariorum erectionem commendarunt. Porro hujusmodi vivendi ratione exoleta, quæ scholæ Cathedralibus, et Collegiis adnexæ adhuc permansissent, hinc mos quoque perduravit, ut unus è Clero earumdem curam ageret, qui hodie *Scholasticus*, et interdum *Scholarchus*, nuncupatur. Ejusmodi munus, quod olim simplex erat officium, sensim in

beneficium abiit: id quod constituit *Syn. Lateran. an. 1162 Cap. 4 de Magistris*, dein *Lateran. IV sub Innocentio III an. 1215 Can. 11*, ac postremo *Lateran. V Sess. 9 sub Leone X in Decr. Reformat. Curiæ 7 Maii an. 1514*. Quinimmo in quibusdam Ecclesiis ad dignitatis gradum evectum est: quæ obrem ab hominibus vix sibi regendis idoneis ambiri cœpit, qui dignitate, et proventibus potiti, proprium exsequi munus negligerent. Huic pravo usui ut prospiceret Tridentinum *Sess. 24 Ref. cap. 12* sanxit, ut dignitates hujusmodi non nisi Doctoribus, vel Magistris, aut Licentialis in Sacra pagina, vel in Jure Canonico, et aliis personis idoneis, qui per se ipsos id munus explere possent, conferantur.

Scholasticus igitur tenetur ipse per se curare, ut non nisi probi, et docti ad adolescentes erudiendos, et informandos constituantur: adhæc et frequenter scholas invisere, ut cognoscat, num juvenus tam in litteris, quam in pietate rite instituatur, et proficiat. In Hispania Salmantinus Scholasticus, et Oscensis, qui communi loquendi modo *Magister Scholarum* adpellatur, amplissimis potitur prærogativis, et ordinariam exercet jurisdictionem in adolescentes albo studentium adscriptos: *Videsis Leg. 2, 3 et 4 tit. 6, lib. 8. Novis. Compil.*

Qui sacra vasa, et pretiosas Ecclesiæ supellectiles custodit à Græcis *Cimeliarcha* dictus, à Latinis *Thesaurarius*, maximæ in Ecclesiis, præsertim Orientalibus, dignitatis, et auctoritatis fuisse, ex Justiniano discimus, qui *Viri Reverendissimi* titulum, quo tunc Episcopi distinguebantur, ipsi tribuit: *Leg. fin. Cod. de Bonis auct. Jud. possid.* In Ecclesiis etiam Occidentalibus jam inde ab Innocentio III ætate inter dignitates fuisse recensitum, patet ex *Cap. 52 de Offic. et potest. Jud. Deleg.* Quinimmo ipse Innocentius *Lib. 1 de Regest. Epist. 176* Sacristam, qui Thesaurario respondet, dignitatis titulo decoraverat.

Moribus hodiernis Thesauraria, vel simplex Officium est, vel Beneficium, vel Dignitas. Verum ex quo Dignitates Cathedralium inane aliquid evasere, in Thesauraria Officium à Dignitate separatum est, adeo ut uni, qui proprie dicitur *Sacrista*, vasorum, utensilium, reliquiarum oblationum, aliorumque hujus generis cura demandetur; alteri Dignitatis prærogativa inter Canonicos tribuatur, nulla vero jurisdictio.

In Hispania Dignitatibus fere omnibus antiqua jura periire; at non desunt, quæ jurisdictionem pristina forte ampliore obtinent, uti Archidiaconatus Birviensensis in Ecclesia Burgensi, Archipresbyteratus Agerensis in Catalaunia, Decanatus Tudelensis in Navarra Regno (*nempe obtinebat ante istius Eccl. in Cathedrali erectionem.*)

69. Officia sunt Canonici Theologi, et Pœnitentiarii. Utrumque instituit Concilium Lateranense IV., quod habitum est Innocentio III. Pontifice (1), utrumque probavit Synodus Tridentina (2), et utrumque omnes Catedrales Ecclesiæ habere debent. Est autem Canonici Theologi Sacras Scripturas explicare, et clericos ad res theologicas instituere (3); quo munere cum fungitur, præbendæ fructus, et quotidianas distributiones percipit, perinde ac choro interesset (4).

(1) *Cap. 4 de Magistris.*

(2) Concilium Tridentinum Sess. 5 cap. 1 de Re'orm. non modo Theologi officium retineri voluit in iis Ecclesiis, in quibus jam erat institutum, sed etiam addiit, quod in Ecclesiis Metropolitanis, vel Cathedralibus, si civitas insignis, vel populosa, ac etiam collegialis existentibus in aliquo insigni oppido, etiam nullius diocesis, si ibi clerus numerosus fuerit, ubi nulla præbenda, aut præstimonium, seu stipendium hujusmodi deputatum reperitur, præbenda quomodocumque, præterquam ex causa resignationis, primo vacatura, cui aliud onus incompatibile injunctum non sit, ad eum usum ipso facto perpetuo constituta, et deputata intelligatur. Similiter Pœnitentiarius in omnibus Cathedralibus Ecclesiis, ubi id commode fieri poterit, cum unione præbendæ proxime vacaturæ ab Episcopo institui jussit Synodus Tridentina Sess. 24 cap. 8 de Reform. Testatur autem Van-Espenius part. 1 tit. 12 cap. 5 §. 15, quod in locis quibusdam Pœnitentiarius non merum Officium, sed Dignitas habeatur, ita tamen ut novissimum inter Dignitates locum obtineat. Similiter Theologum inter Dignitates recenset ipse Van-Espenius loc. cit. tit. 11 cap. 6. Verum id vel foundationis lege, vel peculiari locorum consuetudine factum est; nam Theologum, et Pœnitentiarium merum esse officium, respondit Sac. Congregatio Concilii in Murana 12 April. 1699, et in Senen. Pœnitentiariæ 16 April. 1691.

(3) Quibusnam diebus lectio Theologica habenda sit, expresse non edixit Synodus Tridentina; verum qua hora, quibusve diebus, tum super quo Sac. Scripturæ libro conficienda sit lectio, Episcopi arbitrio relictum voluit Sac. Congregatio Concilii apud Garziam de Benefic. par. 5 cap. 7 num. 155. Multa etiam de Theologi officio habent Benedictus XIV. de Synod. diocæs. lib. 13 cap. 9 n. 17. et Giraldus Exposit. Jur. Pontific. par. 1 lib. 5 tit. 5 tom. 2 pag. 596 et seq.

(4) Vide Benedictum XIV Instit. Ecclesias. CVII. §. 9 n. 55, et Giraldum loc. cit. par. 1 tom. 1 lib. 5 sect. 353 pag. 244 et seq.

(N. S. Hanc à Tridentino latam sanctionem pro Sacra Scripturæ Lectore renovavit Syn. Tolet. an. 1565 Act. 2 Ref. cap. 28, id adjiciens, ut non aliis quam Licentiatis, Doctoribus, aut Magistris in Sacra Theologia, neque aliter quam prævio concursu, ejusmodi Præbenda conferatur. Addebat Compostellan. ejusd. an. Act. 2 Decret. 54 Methodum præterea constituit eadem Syn. Tolet. ibid. ut Lectorales (ita in Hispania adpellantur) facilius discipulorum mentes sacris doctrinis imbuant. Tum et hortatur eadem Sancta Synodus Canonicos juniores, et alios Ecclesiæ Cathedralis Ministros, necnon et quoscumque civitatis, vel oppidi Clericos... ut Lectorem sic prælegentem audiant, quo et animos divinis studiis excolant, et exercent, atque ab otio, quod multorum malorum causa esse solet, removeantur. Postremo ipsa Syn. Tolet. præf. capit. ad quotidianum docendi pensum Lectoralem adigit. Compostellana vero eadem Act. 2 Decret. 56 statuit, quod teneatur omnibus profestis diebus lectionem publicæ legere loco, et tempore ab Episcopo designando. Et Decr. 59 diem Jovis, et totos Julii, Augusti, et Septembris dies excepit, atque ibid. jure optimo solvitur ab onere choro interessendi dum legit, præterquam ad Missam Majorem.)

70. Suppar est institutione Theologo Pœnitentiarius, cujus est audire confessiones, atque is similiter, dum hoc agit, tamquam præsens in choro habetur. Sit autem oportet Sacræ Theologiæ, aut Juris Canonici laurea insignitus, et annus saltem que-

draginta natus, nisi aliud loci ratio, et necessitas, aut utilitas Ecclesiæ postulet (1). Neuter eorum habet Dignitatem aut Personatum, sed unusquisque sedet in choro, servato ordine collationis, possessionisque antiquioris, nisi quid aliud consuetudo velit; et utrumque officium, concursu adhibito, conferendum est (2).

(1) Conc. Trident. de Sess. 24 cap. 8 de Reform.

(2) Benedictus XIII in Const. Pastoralis Officii 69. tom. 11 pag. 414 Bullarii.

(N. S. Pœnitentiarii originem ab ipso Decianæ persecutionis tempore repetere possumus, ex Socrate lib. 5 cap. 19.

Pœnitentiarius licet vi sui officii in confessionibus audiendis sit veluti Vicarius natus Episcopi, atque adeo à jure facultatem habeat audiendi confessiones pœnitentium totius Diocesis, et jurisdictionem absolvendi à peccatis, sitque veluti Ordinarius Dioceseos confessarius; at tamen ex veriori sententia, non habet potestatem alios delegandi, neque etiam ad unum tantum reservatum, sive ad nudum ministerium. Ita S. Congregatio Concilii an. 1597, et Syn. Diocæs. Neap. Cantelmi Part. 2 Cap. 6 num. 28. Immo ordinariam non esse Pœnitentiarii facultatem, sed ab Episcopo delegatam, declaraverat Synod. Compostellana an. 1565, Act. 2 Decr. 58, quam scilicet si ipsi Episcopo visum fuerit, absque ulla exterioris judicii forma, aut strepitu limitare, aut penitus revocare possit. Tum et in eod. Decreto Pœnitentiarii munia accurate describit; eumque Decret. 39 à chori interessenlia eximit quamdiu suo fungitur officio: denique eum Decret. 57 Visitatoris, et Provisoris munus adsumere interdicit.)

Pont. Greg. XV, Const. quæ incipit Supremæ dispositionis, 5 Nov. 1622, in Hispania Pœnitentiarii electionem ab Episcopo simul et Capitulo inter concurrentes peragendam decrevit, adjiciens, ut si quis ceteros omnes eruditione ac doctrina longe antecellat, is elegi debeat et licite valeat. dummodo triginta annis major sit.*

(N. S. Quum sæpius Concilium Lateran. VI nedom Sess. 11 Magistrum ad informandos in Grammatica Clericos, ac pauperes, et Theologum, qui Sacerdotes in Sacris exponendis Litteris instrueret, sed et in unaquaque Ecclesia Cathedrali quemdam veluti Episcopi Vicarium instituendum decreverit Sess. 10, cujus nomine et fidelibus verbum Dei ministraret, et eorum exciperet confessiones, inde duæ emanarunt Præbendæ sic dictæ de Officio, Pœnitentiaria, de qua supra, et Magistralis ad Evangelium populo adnuntiandum. Non tamen videtur Præbenda hæc recens injecta in Hispaniæ Cathedralibus; immo ejus origo ad Concilium Matritense anni 1475 referenda videtur. Eadem etiam Syn. Compostellana Act. 2 Decret. 55 ita sanxit: Qui Magistralem Præbendam, hoc est Prædicatori adsignatam obtinuerit, tenebitur omnibus his diebus sermonem habere ad populum, qui vel confirmatis ab Episcopo statutis Ecclesiæ, vel antiqua consuetudine jam sunt præscripti, et insuper quando ab Episcopo ob rationabilem causam occurrentem, in Ecclesia Cathedrali, seu in alia ejusdem civitatis, ipsi fuerit peculiariter injunctum: vel quoties Episcopus illi id muneris injunxerit, uti constituerat Syn. Tolet. Act. 5 Ref. cap. 4, statuta in illum pœna pecuniaria, arbitrio Episcopi Ecclesiæ fabricæ applicanda, cum onere itidem substituendi alium ejus expensis concionatorem. Adhæc decreverat ibid. ead. Syn. Tolet.

ut Dignitates omnes, et Canonici Magistralis interessent prædicationi submittendi distributionem pœna. Et ut debite suum posset exsequi munus, octo dies absentia pro cuiuscujusque concionis efformatione indulgebat præf. Syn. Compostell. Act. 2 Decret. 59. At diversa sunt hodie statuta, vel consuetudines.

Doctoralis, sicuti et Magistralis Præbendæ institutio, à Concilio Matritensi repetenda videtur, ubi inter alia id constitutum est, quod Sedis Apostolicæ auctoritate hinc instituere Canonici, quorum alter Theologo, alter Jurisperito obveniret. Videsis Aguirre Tom. 4 ante Concil. Arandense: quem, quia Doctorali esset laurea donatus, Canonici *Doctoralis* appellatione decorarunt. Quæ tamen munia huic Canonico assignaverint Ecclesiæ, minutim recenset sæpius laud. Syn. Compostell. Act. 2 Decret. 55: *Qui Doctorali Præbenda potitur, teneatur in omnibus negotiis ad Ecclesiam Cathedralæ pertinentibus, sententiam suam verbo, aut scripto, prout requisitus fuerit, adferre, atque in eisdem patrocinari. Ad idem teneatur in causis, quæ ad Dignitatem Episcopalem spectant, dummodo inter Capitulum, et Episcopum non controvertantur; tunc enim suo Capitulo adesse honestius erit. Erit etiam sui muneris, quum ab Episcopo, vel Capitulo ad id requisitus fuerit, judicem in ea civitate, ubi est Cathedralis Ecclesia, commorantem adire, de causis, et negotiis Capituli, vel Episcopi modo supradicto verbo, aut scripto, quum opus fuerit, instruere, omni excusatione remota, quod tamen urgenti necessitate injungi debet, atque hæc quidem omnia gratuito.* Quocirca quum sese ad suam apertendam sententiam recipit, si verbo per duos, si scripto per quatuor dies à chori interessenti dispensatur Decret. 59. Verum alia sunt etiam Doctoralis munia juxta diversa Ecclesiarum statuta, et consuetudines.

Præbenda hæc, quæ uti Magistralis libere quondam conferebatur, post Tridentinum vero non nisi prævio concursu collata est, quemadmodum et reliquæ *de Officio*. Id etiam præscribitur in Concordato an. 1753 *art. 2*, et concursus forma constituitur, quæ ab eadem Syn. Compostellana Act. 2 Decret. 54 desumpta videtur.)

Magistralis ac Doctoralis præbend. originem recte deduces à Sixti IV Constit., data Kalend. Decemb. an. 1474, quæ incipit: *Creditam Nobis*, pro ipsarum in Castellæ ac Legionis Ecclesiis creatione, petentibus respectivis Episcopis et Capitulis.—*V. legg. tit. 19 lib. 4. Novis. Compilat.*, cum notis, maxime 1, ubi generalem esse hæc de re in Hispan. Eccl. disciplinam, Sixti IV Constit., ut vidimus, ad aliquas provincias restrictam, ostenditur.

Illud hic non abs re erit animadvertere, Alexandrum VII. bulla, quæ incipit *Romanus Pontifex*, lata die 2 Octob. an. 1656, statuisse, in istarum Ditionum Ecclesiis, cum de præbendarum, quæ annexum habent officium, provisione ageretur, si suffragiorum esset paritas (empate), qui ætate major haberetur, cum alteri ætate minori omnino præferendum, remota sorte, et qualibet alia consideratione, qualitatis, gradus, aut nobilitatis, etiam insignis aut primariæ.

71. Decretales recensent potissimum inter Dignitates Archidiaconatum, et Archipresbyteratum, quibus post Episcopum summam auctoritatem tribuunt. Archidiaconi ex ordine Diaconorum erant, sed eorum principes, et ratione habita meritorum (1), ab Episcopo, ut plurimum, eligebantur (2). Ordine inferiores

erant Archipresbyteris, jurisdictione tamen superiores (3). Sed cum absurdum videretur, non Presbyteros Presbyteris præstare, iis demum est imposita necessitas Presbyteratus (4).

(1) Male Salmasius Archidiaconum dictum putat, qui ordinatione esset antiquior; nam ille eligebatur, quem Diaconi *industrium noverant*, uti loquitur Hieronymus *Ep. 146 num. 1 col. 1076 tom. 1 ed. Vallarsii*, et vero Theodoritus *lib. 1 cap. 26 pag. 59 ed. Valesii Cantabrigiæ 1720*, Athanasium Diaconum, etsi junior esset, principem ordinis Diaconorum appellat.

(2) A Diaconis Archidiaconum electum, videtur tradere Hieronymus *loc. cit.*; sed complurima sunt exempla eorum, qui ab Episcopis Archidiaconi sunt constituti. Ita Laurentium Sixtus, et Serapionem Chrysostomus Archidiaconum elegerunt, Ambrosius *lib. 1 de Offi. cap. 41 tom. 5 pag. 64 ed. Maurin. Venet. 1751*. Sozomenus *lib. 8 cap. 9 pag. 557. cit. ed. Valesii. Vid. Selvagium Antiquit. Christian. lib. 1 par. 2 cap. 2 §. 4.*

(3) Isidorus apud Gratianum *Can. 1 dist. 25, Archipresbyter vero*, inquit, *se esse sub Archidiacono, ejusque præceptis, sicut Episcopi sui, sciat obedire.* Observant Romani Correctores verba hæc non extare in ipsa Isidori epistola, neque apud Burchardum *lib. 5 Decret. cap. 50*, neque apud Iyonom *in Pannormia lib. 5 cap. 41*, ubi hæc epistola refertur. Extant tamen in decreto Iyonis *par. 6 cap. 29*, ex quo forte Gratianus ea desumpsit, atque in decretum transtulit. Atque ex hoc Gratiani loco desumptum fortasse est *Cap. 1 de Offi. Archipresbyt.*, quod tribuitur Concilio Toletano, et tamen nullum est Toletanum Concilium, in quo illa occurrant verba de Archidiaconi supra Archipresbyterum potestate.

(4) Celebres sunt literæ Hincmari Remensis ad Archidiaconos Presbyteros.

72. Amplissima olim erat potestas Archidiaconi (1), qui Episcopi Vicarius erat à jure constitutus, et ejus etiam *oculus* dicebatur (2), propter latam administrationem, et in rebus gerendis potestatem, quæ omnia fere, exceptis sacramentalibus muneribus, comprehendebat. Is enim collector olim oblationum, reddituum, atque universæ pecuniæ ecclesiasticæ; præbendas, partesque suas tribuebat clericis, pauperibus, Ecclesiæ fabricæ; mittebat in possessionem eos, qui beneficia acceperant; quos nosset idoneos ad ordines, et beneficia, Episcopo offerebat: atque omnes fere noscebat, definiebatque causas fori episcopalis (3). Et licet initio Archidiaconi hæc fere omnia gererent mandato, arbitrioque Episcopi, tamen deinceps eo usque progressi sunt, ut propriam, atque ordinariam obtinerent jurisdictionem, quæ pridem erat delegata, ac jura etiam invaderent, quæ propria erant Episcoporum (4).

(1) Isidorus Hispalensis in *Can. 1 dist. 25 et can. 20 dist. 65* late describit Archidiaconi jura, quæ sua ætate obtinebant. Ea vero diu perseveras-

se, lapsuque temporum aucta etiam fuisse, ostendit Decretalium titulus de *Offic. Archidiacon.*

(2) *Can. diaconi 6 dist. 95; Conc. Trident. cap. 12 Sess. 24 de Reform. Archidiaconus post Episcopum sciat, se vicarium ejus esse in omnibus, scriptum est in cap. 1 de Offic. Archidiacon.*

(3) Confer Thomassinum *par. 1 lib. 1 cap. 17 et seq.*
(N. S. In Hispania Archidiaconis tertiæ oblationum partis ministratio credebatur: *Syn. Bracar. I Cap. 7: Secretarii Conciliorum munus quandoque exercebant: Syn. Tolet. IV Can. 4: eriminosos ad pœnitentiam vocabant: Syn. Cojacensis an. 1050 cap. 4, et clericos ab Episcopo ordinandos offerebant: eadem Syn. cap. 5.*)

(4) *Synodaticum, procurationes, aliaque id genus Archidiaconi capiebant: Petrus Blesensis Ep. 51 pag. 257 ed. Paris. 1667, Conc. Lateranense in cap. 6 et 25 de Censib.*

73. Tantam banc Archidiaconorum potestatem Episcopi tollendam, aut minuendam curarunt; et nunc vix ejus umbra, et imago superest. Synodus Tridentina Archidiaconis, aliisque inferioribus Prælatiis judicium ademit causarum matrimonialium, et criminalium, quas Episcopo reservavit (1); ipsis vero reliquit jus visitandi Ecclesias, quas antea visitare consueverant, modo id faciant per semetipsos, et cum consensu Episcopi, cui debent intra mensem rationem reddere peractæ visitationis, atque integra acta exhibere (2).

(1) *Trid. cap. 20 Sess. 24 de Reform.*, quo decreto etiam beneficiales, majoresque causas comprehendere, omnes fere arbitrantur. Eadem Synodus *c. 14 sess. 25 de Reform.*, speciatim vetuit Archidiaconos clericorum de impudicitia causas cognoscere.

(2) *Trid. cap. 5 Sess. 24 de Reform.*

74. Nunc omne Archidiaconi munus eo redactum est, ut assistat Episcopo, cum generales ordinationes conficit, vocetque eos, qui ordines suscepturi sunt (1). Cumque Archidiaconi nunc amplius non sint vicarii nati Episcopi, tanta hodie in singulis inest auctoritas, quanta vel Episcopi mandato, vel Ecclesiæ statuto, vel diuturna consuetudine data est (2). Diaconatus autem ordine insignitos esse oportet Archidiaconos (3), eosque Synodus Tridentina (4) in omnibus Ecclesiis, in quibus fieri potest, Magistros in Theologia, seu *Doctores*, aut *Licentiatos* in jure Canonico esse jubet.

(1) *Benedictus XIV. in Constit. Ex quo dilectus 25 pag. 107 tom. 2 ejus Bullar. indicat. ed.*

(2) *Cap. 4 et 5 de Offic. Archid. Conc. Trident. cap. 5 sess. 24 de Reform.*

(5) *Can. 1 dist. 60.*

(4) *Concil. Trident. cap. 12. sess. 24 de Reform.*

(N. S. Quum Archidiaconi olim in diversis Diocesium pagis constituti essent, ac deinde solitaria vitæ pertæsi, ad Sedis Episcopalis Ecclesias sese pedetentim receperint, inde est, quod in singulis fere Hispaniarum Cathedralibus plures existunt hodie Archidiaconi, qui tamen adhuc antiquos locorum titulos retinent; una excepta Pampilonensi, quæ ab ipsius institutionis exordio binos obtinet ejusdem Ecclesiæ Archidiaconatus, *Camere* scilicet, et *Tabulæ*.)

75. Archipresbyter est princeps Presbyterorum; eaque dignitate donabantur interdum qui ætate, interdum qui sapientia præstarent (1). Si suo fungatur munere Archipresbyter in cathedrali, sive in civitate, urbanus dicitur, si in minoribus oppidis, ruralis appellatur. Urbani Archipresbyteri officium respicit sacramentorum administrationem, forique interni jurisdictionem; atque ejus præsertim est præsentis Episcopi curam levare, et vices agere absentis in iis omnibus, quæ sacerdotalis officii sunt (2).

(1) Antiquiores ordinatione apud Latinos Archipresbyteros constitutos fuisse, constat ex S. Leone M. *ep. 19 col. 755 et seq. tom. 1 ed. Ballerin. Venet. 1755*, apud Græcos eos, qui virtute præstabant, ostendit Thomassinus *par. 1 lib. 2 cap. 5 num. 5*. Sed idem interdum etiam à Latinis factum est. Unaquæque Ecclesia suum habebat Archidiaconum, et Archipresbyterum, uti docet S. Hieronymus *Ep. ad Rusticum Monach. 125 col. 956 tom. 1 opp. ed. Vallarsii Veronæ 1754. Singuli Ecclesiarum Episcopi, singuli Archipresbyteri, singuli Archidiaconi. V. Syn. Emerit. can. 10.*

(2) *Cap. 1, 2, 3 de Offic. Archipresbyt.*

(N. S. In Hispania quondam tertiæ honorum Ecclesiæ partis ministratio Archipresbytero credita erat: *Syn. Bracar. I Cap. 7, alias Can. 24*.)

76. Ruralis est imperiti vulgi sollicitudinem gerere, et Presbyterorum, qui per minores titulos, hoc est, ecclesias habitant, puta Parochorum, vitam jugi circumspectione custodire, et quæ unusquisque industria divinum opus exerceat, Episcopo renunciare (1). Nunc omnis Archipresbyteri auctoritas pendet ex mandato Episcopi, ex statuto ecclesiarum, ex consuetudine. Et cum plerumque Archipresbyter adjunctam habeat curam animarum, hinc hujusmodi beneficia, in quibus hoc onus inest, nemo consequi potest, nisi saltem vigesimum quintum ætatis annum attigerit, atque idonea scientia, et morum integritate commendetur (2).

(1) *Cap. 4 de Offic. Archipresb. Synodus Regiaticina an. 850 cap. 15 apud Labbæum tom. 9 col. 1070 ed. Venet.*

(2) *Cap. 7 de Elect.*

* Eu novissimi Concordati articulos ad istam et ad præcedentem sect. spectantes:

Art. 15. •Unumquodque Cathedralium Ecclesiarum Capitulum constabit Decano, qui semper primam Sedem post Pontificalem obtinebit, quatuor Dignitatibus, nempe Archipresbyteri, Archidiaconi, Cantoris et Scholæ Præfecti, nec non altera Thesaurarii in Metropolitanis: insuper quatuor Canonicis, qui de officio nuncupantur, scilicet, Magistrali, Doctorali, Lectorali, ac Pœnitentiario; ac demum eo numero Canonicorum vulgo *de gracia*, quem articulus decimus septimus præfinit.

•Præterea Toletana Ecclesia duas alias habebit Dignitates, titulo Capellani Majoris Regum, et Capellani Majoris Mozarabum; Hispalensis aliam Capellani Majoris Sancti Ferdinandi, Granatensis aliam Capellani Majoris Regum Catholicorum, et Ovetensis aliam titulo Abatis Sanctuarii in Ausenii Montis spelunca positi *de Covadonga*.

•Singuli Capitulares æquali voce, et voto in posterum gaudebunt.

Art. 14. •Archiepiscoporum et Episcoporum erit convocare Capitulum, eique præesse quoties id expedire censerint: itemque præesse experimentis, seu concursibus pro iis præbendis, quæ hac servata forma conferuntur. In his, ac cæteris quibuscumque actibus, erit semper eisdem Præsulibus prima sedes, qui privilegium, aut contrarius usus illo modo obtinent; atque ea cum illis honoris, et obsequii ratio servabitur, quæ sacræ ipsorum dignitati et principatu Ecclesie ac Capituli, quem gerunt, debetur.

•Quotiescumque Capitulo præsiat, vocem et votum in iis omnibus negotiis habebunt, quæ eorum personam directe non afficiunt; ac præterea ubi Capitularium suffragia sint paria, Episcopi votum rem definiunt.

•In qualibet personarum electione seu nominatione ad Capitulum spectante, prout Capitulares fuerint sexdecim, viginti aut supra, tria, quatuor, vel quinque vota habebit Episcopus. Quod si hic Capitulo minime adsit, aliqui de suo gremio deputati illum ad vota recipienda convenient.

•Episcopo non præsidente, præerit Decanus.

Art. 15. •Cum Cathedralia Capitula Archiepiscoporum et Episcoporum Senatim, Consiliumque constuant, requirentur ab his vel de sententia, vel de consensu, quemadmodum, pro varietate negotiorum et circumstantiarum, canonicæ leges, ac speciatim Sacra Tridentina Synodus, decernunt. Qua propter cessabit illico omnis immunitas, exemptio, privilegium, usus, aut abusus, qui in ipsorum Capitulorum commodum, cum ordinariæ Præsulum auctoritatis iactura, per Hispaniarum Ecclesias quacumque ratione invaluerit.

Art. 16. •Præter Dignitatis et Canonicos, ex quibus solummodo efformatur Capitulum, Ecclesie Cathedrales habebunt Beneficiatos, seu Capellanos adstantes, cum proportionali ministrorum et servientium numero.

•Tum Dignitates et Canonicos, tum etiam Beneficiatos, seu Capellanos singulos, licet ii pro meliori Cathedralium servitio in presbyteros, diaconos, ac subdiaconos distribuantur, sacerdotio insignitos esse debere Sanctitas Sua decernit; quique in possessione suorum beneficiorum adipiscenda hoc ordine caruerint, infra annum ipso initiari sub pœnis canonicis debent.

Art. 17. •Capitularium et Beneficiariorum numerus in Ecclesiis Metropolitanis erit ut sequitur:

•Ecclesie Toletana, Hispalensis et Cæsaraugustana viginti et octo Capitulares habebunt; et quod ad Beneficiatos, Toletana viginti quatuor, Hispalensis viginti duos, ac Cæsaraugustana viginti et octo: Tarraconensis,

•Valentina et Compostelana viginti sex Capitulares, ac viginti Beneficiatos: Burgensis, Grauatensis et Vallisoletana viginti quatuor Capitulares, ac viginti beneficiatos.

•In singulis vero suffraganeis Capitularium et Beneficiariorum numerus erit qui subjicitur:

•In Barcinonensi, Cordubensi, Gaditana, Legionensi, Malacitana, et Ovetensi, viginti Capitulares, et sexdecim Beneficiati. In Pacensi, Calaguritana, Carthagoensi, Conchensi, Gionensi, Lucensi, Palentina, Pampilonensi, Salmaticensi, et Santanderiensi, decem et octo Capitulares, ac quatuordecim Beneficiati. In Almeriensi, Asturicensi, Abulensi, Canariensi, Cluniensi, Cauriensi, Guadicensi, Gerundensi, Oscensi, Jacensi, Illerdensi, Majoricensi, Mindoniensi, Auriensi, Oriolensi, Oxomiensi, Placentina, Segobricensi, Segoviensi, Seguntina, Tirasonensi, Terulensi, Derthusensi, Tudensi, Urgellensi, Vicensi, Victoriensi et Zamorensi, decem et sex capitulares, et duodecim Beneficiati.

•In Ecclesia Matritensi erunt viginti Capitulares, et viginti Beneficiati; in Minoricensi duodecim Capitulares, et decem Beneficiati.

Art. 20. •Sede vacante, Metropolitanæ vel Suffraganeæ Ecclesie Capitulum, intra tempus præfinitum, et ad normam eorum, quæ à sacro Concilio Tridentino in rem decreta sunt, unum tantum Vicarium eligit, in quem tota ejus ordinaria potestas transferetur, quavis ex parte Capituli ipsius reservatione aut limitatione penitus exclusâ, et quin electio semel facta revocari, neque ad novam procedi possit, abolitis hinc omnino quocumque privilegio, usu vel consuetudine administrandi in corpore, plures vicarios constituendi, aut quolibet alio quod utcumque sacrorum canonum sanctionibus adversetur.

Art. 21. •Præter collegium Capellanorum Regio Sacello inservientium, conservabuntur:

1. •Quæ in Toletana Ecclesia Regum, et Mozarabum, in Hispalensi Sancti Ferdinandi, et in Granatensi Regum Catholicorum nuncupantur.

2. •Collegiata in urbe provincie principe, ubi Episcopalis Sedes minime existat.

3. •Collegiata patronatus particularis, quarum Patroni onus in se recipiant supplendi differentie sumptuum, qui ad Collegiatae præ simplicis parochialis sustentationem et decus necessarii fuerint.

4. •Collegiata Sanctuarii in Ausenio Monte, Roscidae vallis, Sancti Isidori in civitate Legionensi, Sacri Montis Granatæ, Sancti Iacobi Compluti, et Cæsariani (Jerez de la Frontera).

5. •Illæ ex Cathedralibus Ecclesiis, quæ, ut in hac Conventione præstitutum est, aliis sunt conjungendæ, tamquam Collegiata conservabuntur.

•Reliquæ omnes Collegiatae cujuscumque originis, antiquitatis, et fundationis sint, dummodo locorum circumstantiæ handquaquam impediunt, ad simplices parochiales redigentur, cum eo tamen Beneficiariorum numero, qui præter parochum tum ad parochialis ministerii exercitium, tum etiam ad divini cultus splendorem necessarius videatur.

•Horum tamen Collegiorum conservatio ita quidem intelligenda erit, ut ea Prælati Diocesanis, in quorum territorio existunt, omnimode subjiciantur, derogando propterea cuilibet exemptioni, et jurisdictioni vere aut quasi nullius, quæ nativam Ordinarii vel minimum limitet.

•Collegiatis Ecclesiis parochia adjecta semper erit, et titulo parochie majoris distinguetur ubi alia vel aliæ erectæ habeantur.

Art. 22. Uniuscujusque collegiata Capitulum constabit ex Abbate, Presidente, cui animarum cura incumbet, quin præterea alia auctoritate aut jurisdictione potiat, quam ea, quæ directivam et æconomicam Ecclesiæ ac Capituli administrationem respicit: insuper duobus Canonicis *de officio*, Magistrali nempe, et Doctorali, et octo Canonicis *de gratia*. Erunt etiam in singulis Collegiatis Ecclesiis sex Beneficiati seu Capellani adsistentes.

Art. 23. Quæ in superioribus articulis circa Præbendarum, ac Beneficiorum et Cappellaniarum provisionem et Capitulorum regimen in Ecclesiis cathedralibus statuta sunt, etiam in Collegiatis plene atque in omnibus vigebunt, ac observabuntur.

Quæ pro constitutione Ecclesiarum et cathedralium et collegiatarum hæc articulis stabiluntur, ea ad executionem perlata vi Regiarum dispositionum, ut plurimum assentiente Sanctitatis suæ Rev. Nuntio lateranensi, quas istis indicare non abs re erit.

Reg. decret. 16 Aprilis 1852 in Metrop. Cæsaraugustæ Ecel. quatuor augmentur præbendæ; nempe dignitas una, canonicatus unus cum officio Pœnitentiarii, ac bini simplices, seu ut ajunt *de gratia*. Reg. Ord. 16 Maji ejusd. an. statuitur ut generaliter beneficia seu cappellaniæ cum officio sint, in Metrop. Ecclesiis, sex; in suffraganeis, quatuor; in collegiatis duo: ibi etiam quomodo ipsorum provisio fieri debeat juxta Concordati placita, decisum habes.

Quod ad Reg. capellanorum collegia attinet, de ipsorum constitutione cæterisque ad ea spectantibus, v. decretum 16 Julii 1852.

Alterum ex indicatis decretis, 21 Nov. 1851, præscripsit collegiatarum Granatensis (*del Sacro monte*), ac Complutensis (*antigua iglesia Magistral de Alcalá*) canonicos sacrarum scientiarum magisterio obstringi, et per concursum deferri debere ipsarum præbendas: de quo versatur Reg. aliud decretum diei 8 April. præsentis an. 1855, quod statuit, ut juxta veteres primæ ex citatis Ecclesiis constitutiones, ad canonicatum ipsius provisionem, per concursum, ut nuper diximus, procedatur; licet ulterius de ea, ut de Complutensi, definitive stabilendis agendum sit. Interim, pro Complut. præbendis ac beneficiis viget ordin. lata 24 Oct. an. 1852.

Quoad suppressas collegiatas, Reg. dispositione 18 Oct. 1852 ipsarum subsistentiæ, donec parochiarum ordinatio ex Concord. art. 24 fiat, provissum est.

Ad Archiepiscopos et Episcopos istarum ditionum missæ sunt Reg. litteræ (vulgo *cédulas de ruego y encargo*) 31 Julii 1852, ut ad cathedralium et collegiatarum Ecclesiarum constituta (*estatutos ó constituciones*) vel corrigenda vel de novo efformanda, auditis prius ipsarum capitulis, procederent, prout in ipsis decernitur; quæ paullo post (die 11 Aug. sequentis) ad vacantium cathedral. vicarios capitulares pariter transcriptæ, ut ea de re agerent, quo à futuris Prælatibus finiretur: quarum litterarum vi pro aliquibus jam Capitulis nova constituta approbata habentur.

Quod ad Concordati art. 14 et 15, decreta in iis pro Prælatibus prærogativa in plena sunt observantia, juxta decretum 17 Oct. 1851. Aliud decret. diei 5 Oct. an. 1852 declarat, multiplex votum Episcopis competens ex cit. art. 14, §. penult., computandum pro capitularium cuique Ecclesiæ assignatorum numero, non pro illorum, qui actu in ea existant aut capitulo intersint.

Concordati art. 20, quantum ad unici Vicarii capitularis electionem, bullam Pont. Leonis XII, die 15 Martii an. 1826 latam, id statuentem occasione electionis Paullo antea factæ, contra Tridentinam ipsa de re sanctionem, in nostrate Malacitana Cathed. Ecclesia, confirmat.

Denique observandum est, art. 16 transcripto, §. 1. supprimi portiones ac dimidias portiones (raciones y medias raciones), quæ Hisp. Ecclesiæ, tum cathedrales tum collegiata, abundabant. De iis alibi citato op. *El Concordato de 1851, comentado*, §. 9, habemus quæ sequuntur: Su origen procede de los tiempos en que, relajada la disciplina canonical, fueron a levantar las cargas del coro, por los canónigos, eclesiásticos estraños al cabildo, a quienes al principio se recompensaba ese servicio con una gratificacion; siendo en adelante erigidas estas plazas de suplentes en titulos perpétuos con una parte de prebenda que se llamó *portio*, asignada a cada uno de ellos; de donde se denominaron *portionarii* los respectivos poseedores. (*Discurso sobre el origen, progresos y reforma de las iglesias catedrales*, por el doctor D. P. L. Largo y Carrasco: Madrid, 1820.)

SECTIO IX.

DE VICARIIS.

- 77. VICARIUS GENERALIS, EJUSQUE ORIGO.—78. QUOMODO AB EPISCOPO CONSTITUATUR?—79. IN ITALIA UNUS CONSTITUI SOLET VICARIUS, ALIBI VICARIUS, ET OFFICIALIS.—80. QUÆ JURISDICTIO SIT VICARII GENERALIS?—81. QUI VICARII MUNERE FUNGI POSSINT?—82. QUOMODO EXSPIRET VICARII JURISDICTIO?—83. VICARII FORANEI.—84. VICARII PAROCHORUM.—85. VICARII NATI.—86. VICARII APOSTOLICI.

77.

Cum Archidiaconis accepta est ampla illa potestas, quam pridem à jure habebant; Episcopi elegerunt Vicarios, quorum auctoritas à suo arbitrio, et voluntate penderet. Id vero factum est medio illo tempore, quod inter Gregorianam, et Bonifacianam collectionem excurrit (1). Est autem Vicarius, qui vices gerit Episcopi, et *generalis* dicitur, quoniam ejus potestas fertur in diocesim universam.

(1) Vicarios tantum constitui cœpisse sæculo XIII, ex eo conficit Thomasinus *par. 1 lib. 2 cap. 8*, quod nulla sit eorum mentio in Gratiani decreto, et nulla in decretalibus Gregorii IX. Itaque eorum originem repetit à Concilio Lateranensi IV., ubi Innocentius III, et ceteri Patres hortantur Episcopos, ut si expedire nequeant per se negotia universa, eligant Presbyteros, quorum in iis vicariam supponant fidem. Tandem addit, exeunte sæculo XIII, ubique receptos Vicarios generales, et hinc in VI. decretalium libro titulus est *de Officio Vicarii*, in quo totum ejus munus explicatur.

(N. S. In Hispania sæculo XIV ineunte Episcoporum Vicarios ad jus dicendum electos invenimus in Syn. Vallis-olet. an. 1525, *Cap. 7.*)

78. Vicarius non habet beneficium, sed habet munus, et

Art. 22. Uniuscujusque collegiata Capitulum constabit ex Abbate, Presidente, cui animarum cura incumbet, quin præterea alia auctoritate aut jurisdictione potiat, quam ea, quæ directivam et æconomicam Ecclesiæ ac Capituli administrationem respicit: insuper duobus Canonicis *de officio*, Magistrali nempe, et Doctorali, et octo Canonicis *de gratia*. Erunt etiam in singulis Collegiatis Ecclesiis sex Beneficiati seu Capellani adsistentes.

Art. 23. Quæ in superioribus articulis circa Præbendarum, ac Beneficiorum et Cappellaniarum provisionem et Capitulorum regimen in Ecclesiis cathedralibus statuta sunt, etiam in Collegiatis plene atque in omnibus vigebunt, ac observabuntur.

Quæ pro constitutione Ecclesiarum et cathedralium et collegiatarum hæc articulis stabiluntur, ea ad executionem perlata vi Regiarum dispositionum, ut plurimum assentiente Sanctitatis suæ Rev. Nuntio lateranensi, quas istis indicare non abs re erit.

Reg. decret. 16 Aprilis 1852 in Metrop. Cæsaraugustæ Ecel. quatuor augmentur præbendæ; nempe dignitas una, canonicatus unus cum officio Pœnitentiarii, ac bini simplices, seu ut ajunt *de gratia*. Reg. Ord. 16 Maji ejusd. an. statuitur ut generaliter beneficia seu cappellaniæ cum officio sint, in Metrop. Ecclesiis, sex; in suffraganeis, quatuor; in collegiatis duo: ibi etiam quomodo ipsorum provisio fieri debeat juxta Concordati placita, decisum habes.

Quod ad Reg. capellanorum collegia attinet, de ipsorum constitutione cæterisque ad ea spectantibus, v. decretum 16 Julii 1852.

Alterum ex indicatis decretis, 21 Nov. 1851, præscripsit collegiatarum Granatensis (*del Sacro monte*), ac Complutensis (*antigua iglesia Magistral de Alcalá*) canonicos sacrarum scientiarum magisterio obstringi, et per concursum deferri debere ipsarum præbendas: de quo versatur Reg. aliud decretum diei 8 April. præsentis an. 1855, quod statuit, ut juxta veteres primæ ex citatis Ecclesiis constitutiones, ad canonicatum ipsius provisionem, per concursum, ut nuper diximus, procedatur; licet ulterius de ea, ut de Complutensi, definitive stabilieudis agendum sit. Interim, pro Complut. præbendis ac beneficiis viget ordin. lata 24 Oct. an. 1852.

Quoad suppressas collegiatas, Reg. dispositione 18 Oct. 1852 ipsarum subsistentiæ, donec parochiarum ordinatio ex Concord. art. 24 fiat, provissum est.

Ad Archiepiscopos et Episcopos istarum ditionum missæ sunt Reg. litteræ (vulgo *cédulas de ruego y encargo*) 31 Julii 1852, ut ad cathedralium et collegiatarum Ecclesiarum constituta (*estatutos ó constituciones*) vel corrigenda vel de novo efformanda, auditis prius ipsarum capitulis, procederent, prout in ipsis decernitur; quæ paullo post (die 11 Aug. sequentis) ad vacantium cathedral. vicarios capitulares pariter transcriptæ, ut ea de re agerent, quo à futuris Prælatibus finiretur: quarum litterarum vi pro aliquibus jam Capitulis nova constituta approbata habentur.

Quod ad Concordati art. 14 et 15, decreta in iis pro Prælatibus prærogativa in plena sunt observantia, juxta decretum 17 Oct. 1851. Aliud decret. diei 5 Oct. an. 1852 declarat, multiplex votum Episcopis competens ex cit. art. 14, §. penult., computandum pro capitularium cuique Ecclesiæ assignatorum numero, non pro illorum, qui actu in ea existant aut capitulo intersint.

Concordati art. 20, quantum ad unici Vicarii capitularis electionem, bullam Pont. Leonis XII, die 15 Martii an. 1826 latam, id statuentem occasione electionis Paullo antea factæ, contra Tridentinam ipsa de re sanctionem, in nostrate Malacitana Cathed. Ecclesia, confirmat.

Denique observandum est, art. 16 transcripto, §. 1. supprimi portiones ac dimidias portiones (raciones y medias raciones), quæ Hisp. Ecclesiæ, tum cathedrales tum collegiata, abundabant. De iis alibi citato op. *El Concordato de 1851, comentado*, §. 9, habemus quæ sequuntur: Su origen procede de los tiempos en que, relajada la disciplina canonical, fueron a levantar las cargas del coro, por los canónigos, eclesiásticos estraños al cabildo, a quienes al principio se recompensaba ese servicio con una gratificacion; siendo en adelante erigidas estas plazas de suplentes en titulos perpétuos con una parte de prebenda que se llamó *portio*, asignada a cada uno de ellos; de donde se denominaron *portionarii* los respectivos poseedores. (*Discurso sobre el origen, progresos y reforma de las iglesias catedrales*, por el doctor D. P. L. Largo y Carrasco: Madrid, 1820.)

SECTIO IX.

DE VICARIIS.

- 77. VICARIUS GENERALIS, EJUSQUE ORIGO.—78. QUOMODO AB EPISCOPO CONSTITUATUR?—79. IN ITALIA UNUS CONSTITUI SOLET VICARIUS, ALIBI VICARIUS, ET OFFICIALIS.—80. QUÆ JURISDICTIO SIT VICARII GENERALIS?—81. QUI VICARII MUNERE FUNGI POSSINT?—82. QUOMODO EXSPIRET VICARII JURISDICTIO?—83. VICARII FORANEI.—84. VICARII PAROCHORUM.—85. VICARII NATI.—86. VICARII APOSTOLICI.

77.

Cum Archidiaconis accepta est ampla illa potestas, quam pridem à jure habebant; Episcopi elegerunt Vicarios, quorum auctoritas à suo arbitrio, et voluntate penderet. Id vero factum est medio illo tempore, quod inter Gregorianam, et Bonifacianam collectionem excurrit (1). Est autem Vicarius, qui vices gerit Episcopi, et *generalis* dicitur, quoniam ejus potestas fertur in diocesim universam.

(1) Vicarios tantum constitui cœpisse sæculo XIII, ex eo conficit Thomasinus *par. 1 lib. 2 cap. 8*, quod nulla sit eorum mentio in Gratiani decreto, et nulla in decretalibus Gregorii IX. Itaque eorum originem repetit à Concilio Lateranensi IV., ubi Innocentius III, et ceteri Patres hortantur Episcopos, ut si expedire nequeant per se negotia universa, eligant Presbyteros, quorum in iis vicariam supponant fidem. Tandem addit, exeunte sæculo XIII, ubique receptos Vicarios generales, et hinc in VI. decretalium libro titulus est *de Officio Vicarii*, in quo totum ejus munus explicatur.

(N. S. In Hispania sæculo XIV ineunte Episcoporum Vicarios ad jus dicendum electos invenimus in Syn. Vallis-olet. an. 1525, *Cap. 7.*)

78. Vicarius non habet beneficium, sed habet munus, et

muneri adjunctum honorem cum jurisdictione, cujus fines Episcopi arbitrio constituuntur. Nam ut Vicarius ab Episcopo eligitur, ita omnem ab eo accipit jurisdictionem (1). Itaque Episcopus suo lubitu potest aut electum Vicarium remove, aut unum, vel plures, vel etiam nullum eligere, cum ipse sine aliena ope suo per se munere fungi potest (2). Ubi plures constituti sunt, iique *in solidum*, antefertor potestas ejus, qui primus negotium aliquod occupavit; ubi inter singulos divisa sunt officia, intra eorum fines continere se unusquisque debet.

(1) Num ordinaria, an delegata sit Vicarii generalis jurisdictio, vetus quæstio est, quæ ingenia canonistarum exercet. Qui eam ordinariam esse arbitrantur, his fere argumentis nituntur; quod Vicarius numquam delegatus in decretalibus appellatur; quod potest causas nonnullas alteri delegare, cum id delegato non liceat; quod denique semel constitutus suo jure exercet ea, quæ sunt Episcopalis jurisdictionis. Sed multa tamen argumenta sunt, ex quibus confici videtur posse, Vicarii jurisdictionem delegatam esse, non ordinariam. Tota enim pendet ab arbitrio, nutuque Episcopi, qui suo lubitu Vicarium constituit, et removet, in eumque vel minorem, vel majorem confert potestatem. Rursus Vicarii tribunal unum, idemque est cum tribunali Episcopi; eoque mortuo, aut dignitate moto, omnem Vicarius amittit jurisdictionem, quæ proinde alia non est, quam ipsa Episcopi mandata, vel delegata jurisdictio. Verum si Vicarii jurisdictionem ordinariam dicimus, quod ipsa eam exercet propter officium, quod jure probatum est, et ideo jurisdictionem ipsam non tam ab homine, quam à jure habere videatur, hoc quidem sensu eam ordinariam appellari posse, non inficiabor.

(2) Si Episcopus suum recte manus per se ipsum obire potest, nullam habet necessitatem eligendi Vicarium, quod et res ipsa declarat, et ostendit historia eorum temporum, quibus Episcopi ipsi per se solos Episcopatum gesserunt; habet omnino, ut suo satisfaciatur muneri, si ei solus impar sit. Ita paucis expediri videtur posse vetus controversia, in qua plerique canonistarum, et Theologorum otio, ac tempore abusi sunt.

In Hispania, Leg. 14 tit. 1 lib. 2 *Novis. Comp.*, et Reg. Decreto 8 Jun. 1854, præscriptum est ut Prælati Regiæ Majestati de nominatis à se Vicariis rationem reddant per Administrum à negotiis Gratiæ et Justitiæ, comprobatis illorum qualitatibus juxta prædictas dispositiones; quibus, si nominationes jure factæ, à Supremo Gubernio expeditur ut vocant *cédula auxiliatoria*, pro libero mandata jurisdictionis exercitio. Unde communiter tradunt nostrates Pragmatici, non sine causa hæc in Regnis Episcopos posse Vicarios remove.

Ad rem quoque est novissimi Concordati art. 5 §. qui sic se habet:

• Similiter, auditis Episcopis, constituentur Vicarii generales pro iis locis, in quibus ob prædispositam hoc articulo Diocesium conjunctionem, vel aliam justam causam, necessarij videantur. •

79. In Italia unus constitui solet Vicarius, cui committitur administratio rerum spiritualium, et simul etiam contentiosa jurisdictio (1). Sed in Gallia, aliisque ultramontanis regionibus

Officialis à Vicario distinguitur. Vicarii potestas ea complectitur, quæ voluntariæ jurisdictionis sunt, Officialis autem, quæ sunt jurisdictionis contentiosæ.

(1) Sequitur hanc Italiæ consuetudinem Synodus Tridentina *Sess. 24 cap. 16 de Reform.*, ubi Officialem cum Vicario confundit.

80. Igitur Italiæ more transit in constitutum Vicarium ordinaria Episcopi jurisdictio, sed non transit potestas gerendi ea, quæ peculiare mandatum postulant, et quæ uni Episcopo servantur. Propterea sine speciali mandato non cognoscit causas criminales, in quibus in reum criminis gravius est animadvertendum (1), non item, ut plerique sentiunt (2), causas matrimoniales; non confert beneficia (3), neque iis permutandis, uniendis, erigendis consensum impertitur (4), sed instituit præsentatos à patronis, et judicat causas beneficiarias de jure patronatus, deque ejus quasi possessione (5); non visitat diocesium, neque synodum cogit (6), excepto Vicario Romani Pontificis, cui licet habere synodum diocesanam Cleri Romani (7); non indicere collegium Canoniorum, eique interesse, ac ferre suffragium potest (8); non absolvit à casibus Episcopo reservatis (9), neque tollit irregularitates, quæ ex occulto crimine procedunt (10); non denique concedit literas dimissorias, nisi Episcopus in longinquis regionibus diu commoretur (11). Eoque minus Vicarius generalis aliquid attingere potest eorum, quæ sunt ordinis Episcopalis.

(1) *Cap. 2 de Offic. Vicar. in 6.*

(2) Confer. Barbosam *ad Concil. Trident. Sess. 24 c. 20 de Reform. num. 57.* ubi plures, qui utramque sententiam, afferuntur.

(3) *Cap. 3 de Offic. Vicar. in 6.*

(4) *Cap. 5 de Rer. permut.*

(5) *Cap. 3 de Instil.*

(6) Ita respondit Sacr. Congregatio Concilii die 4 Decembr. 1655, uti patet *ex lib. 49 Decretor. pag. 545 à tergo.* Confer. Altaserram *in Vindic. Eccles. jurisd. lib. 7 cap. 5.* Fagnanum *in cap. Sicut olim num. 41 de Accusat. Laurentium trac. 1 de Potest. Vicar. Episc. c. 5 q. 163 § 9.*

(7) Benedictus XIV. *de Synod. dioces. lib. 2 cap. 3 num. 5 et 4.*

(8) *Conc. Trident. Sess. 25 cap. 6 de Reform.*

(9) *Cap. 2 de Pœnit. et Remission. in 6.*

(10) *Conc. Trident. Sess. 24 cap. 6 de Reform.*

(11) *Cap. 3 de Temp. ordinat. in 6.*

81. Vicarii munus recte obeunt omnes clerici tonsura initiati.

ti; sed eodem arcentur clerici conjugati, minores annis viginti-quinque (1), Parochi, Canonici Pœnitentiarum, et ceteri, qui curam habent animarum, demum imperiti, et ideo necesse est, quod Vicarius generalis vel Sacræ Theologiæ, vel Juris Canonici lauream obtinuerit (2); nisi aliunde viri peritia manifesto constet (3).

(1) Vide Barbos. *de Jure eccles. lib. 1 cap. 15 et seq.*

(2) Plura ea de re sunt decreta Sacr. Congregationis Episcoporum et Regularium apud Pellegrin. *part. 1 capit. 1 num. 9.*

(3) Conc. Trident. *Sess. 24 cap. 16 de Reform. ubi cautum est, ut Vicarius tam Episcopi, quam Capituli saltem in jure Canonico sit Doctor, vel Licentiatus, vel alias, quantum fieri poterit, idoneus.* Vide Card. de Luca *disc. 31 ad Conc. Trident.*, ubi decretum laudatur Sacr. Congregationis Episcoporum, et Regularium.

(N. S. In Hispania quondam ex Clericis ejusdem Ecclesiæ Vicarii eligendi erant: Syn. Salmant. an. 1325 *Cap. 1*, et in Sacris Ordinibus constituti: Bertusana an. 1419 *Cap. 10*: immo vero *Sacerdotes, vel ii, qui intra sex menses ad Sacrum Ordinem, et intra annum ad Sacerdotium promoveri possent*: Syn. Tolet. an. 1565 *Act. 2 Ref. cap. 9*. Ex Constitut. etiam Clementis VIII 1 Februarii an. 1601, et Urbani VIII 16 Decemb. an. 1625, in Regnis Castellæ, et Legionis Vicarii Generales in Sacris Ordinibus constituti esse debent. Visitoribus itidem quolibet triennio deputandis cogebantur Vicarii rationem reddere de justitiæ ministratiõne, ac quancumque cessarent ab officio: Syn. Tolet. *ibidem Cap. 17.*)

Apud nos communiter requiritur in Vicario Advocati qualitas, ut in iis qui judicium in civilibus munere sancturi sunt; nisi de personis agatur, quæ ecclesiasticam jurisdictionem explicarunt, vel gradum Licentiatu aut Doctoris receperunt post forensis praxis competens exercitium. V. *not. 7 tit. 1, lib. 2. Novis. Compilat.*

Qui præbendas obtinent, quæ annexum sit officium, prohibentur, vigore Apost. Litterarum, quarum meminit Reg. *schedula 28 Oct. 1769*, in Vicariis assumi: idemque statutum apud nos quantum ad eos, qui cathedral. Eccl. capitulis præsent.

82. A Vicario generali ad Episcopum provocare non licet, cum utriusque tribunal unum, idemque sit. Expirat autem Vicarii jurisdictio, vel si ipse eo munere sese abdicet, vel si ab Episcopo removeatur, vel si ipsa Episcopi jurisdictio aut obitu, aut pœna, aut alio quovis modo extinguatur.

Ordinario Archiepiscopis non licet intra Suffrag. dioceses Vicarios sibi constituere. Verumtamen apud nos Compostellanus Salmantiæ Vicarium habet, qui de causis appellatis ab Ordinariis, qui longius à Metropolitana urbe comorantur, necnon ab aliquo ex Ord. Militar. Prælati, cognoscat et sententiam pronuntiet: cujus munus, ex Concordato an. 1851, postquam ad effectum perducatur ibi stabilita diocesium ac Provinciarum divisio, extinguetur.

Subjicere istic opportunum videtur quæ de Eccles. Curia Promotore, vulgo *Fiscal*. Cl. Selvagijs et ejus Adnotatores exponunt sequentibus §§.

Postquam in Curias Ecclesiasticas forensis civilium Tribunalium methodus invecata est, horum instar constitui etiam in illis cœperunt Advocati Fiscales, et Procuratores Officii, vulgo *Promotores* dicti, qui causas publicas, et ad communem Ecclesiæ utilitatem spectantes patrocinarentur, earumque decisionem ab Ecclesiastico Juce quam citissimam, expostularent.

Quum vero Promotores lueri causa permoti, non raro publica delicta, atque adeo gravissimas abusiones dissimularent, aut cum accusatis, vel denunciatis clam componerent; factum est, ut plura hæc super re statuta fuerint. 1 Ut Promotor nullam adgrediat causam, nisi prius in denunciata crimina, eorumque veritatem diligenter inquisiverit: Syn. Tolet. an. 1565 *Act. 2 Ref. cap. 12.* et Compostel. ejusd. an. *Act. 5 Decr. 23.*

2 Antequam ad judicium contradictorium, ut vocant, accusatas personas evocet, causam Officiali referat, ut dispiciat, an pacatius, et sine strepitu forensi illam agere expediat.

3 Tum cujuscumque generis causas adgredi vetatur, nisi prius de iisdem cum Advocato Fiscali conferat, earumque justitiam, vel injustitiam plene perspexerit.

4 Quamobrem causa Instructionem saltem summarie in scriptis Advocato eam petenti exhibere tenetur.

5 Ad hæc 5 jurejurando se adstringit adversus neminem actionem intentaturum, nisi quem vere delinquentem crediderit.

6 Uti quoque 6 fidem suam obligat nulla ratione, muneribus, prece, odio, aut favore sese permotum iri, vel ad excessus suppressendos, vel ad componendum cum delinquentibus in aliquo crimine.

7 Tandem quia Promotoris præcipue est inquirere in crimina, et excessus Ecclesiasticorum, hinc plures Synodi sanxerunt, ut nonnisi Ecclesiastici Promotoris officio fungantur.—In Ecclesiasticis Hispaniæ Tribunalibus, quum Fiscalis nonnisi in Jure peritus plerumque instituantur, Advocatus Fiscalis necessarius non est, sed Promotoris, et Advocati Fiscalis munia in una eademque persona adnectuntur; qui quidem Fiscalis in Sacris Ordinibus constitutus esse debet: præf. Syn. Tolet. *ibid. cap. 11*, Compostel. *Decr. 22 Act. 5*, et Collect. Tarracon. *Lib. 1 Tit. 10 cap. 5, et 4*. Id quod jam an. 1552 ab imperatore Carolo cautum erat: *Leg. 15 Tit. 1 Lib. 2 Novis. Compilat.*

83. Solent Episcopi *foraneos* etiam habere Vicarios in oppidis diocesis suæ, qui mandata ab Episcopo potestate fruuntur, quæ loco circumscribitur, et plerumque pertinet ad res peculiares. Hi propter locorum distantiam tribunal habent ab Episcopo discretum, et separatum, ideoque ab iis ad Episcopum recte provocatur. Eo munere fangebantur olim Chorepiscopi (1), Archidiaconi (2), Archipresbyteri, et Decani rurales (3); sed translata Archidiaconi potestate ad Vicarium generalem, instituti videntur Vicarii foranei, quos memorat Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi (4), et Clemens V. in Viennensi (5).

(1) Vide Jaenin. *de Sacram. diss. 9 quæst. 2 cap. 4.*

(2) Sigibertus in *Chronico* de Damaso II, qui Ponticatum tenuit sæculo

XI, scribens: *Damasus*, inquit, *Papa decrevit, ne quid contra Episcopos praesumant Archidiaconi, qui dicuntur Chorepiscopi, id est villarum, et regionum Episcopi*, Concilium Londinense an. 1257 *can. 2 tom. 13 col. 1401 collect. Labbei* decrevit, ut Archidiaconi in suorum Decanatum conventibus sacerdotes maxime in his studeant erudire, docentes eos, qualiter circa baptismum, penitentiam, eucharistiam, et matrimonium debeant se habere. Vid. Thomassinum *par. 1 lib. 2 cap. 7 num. 1 et 2.*

(3) Innocentius III. in *cap. 7 de Offic. Archidiacon. urbanorum*, vel utriusque, quos vel alteruter, vel uterque suo lubitu constitueret, atque amoveret. Emmanuel Gonzalez in notis ad hunc locum verbo *rurales* interpretatur, eos esse Archipresbyteros.

(4) *Cap. 1 de Offic. ordin. in 6.*

(5) *Clement. 2 de Rescript.*

Transcribere conveniens putamus quod de Vicariis foraneis scribebat doctor J. A. Camino, in Adnotat. ad *Inst. Juris Eccl. Caroli S. Berardi*, part. 2, tit. 14 §. 3; videlicet: «No ha faltado quien haya dicho que la institucion de los vicarios foraneos no pasa del siglo XVI... Refuta Berardi una sentencia tan estraña... por los capitulos 1 de *Offic. Ordin.* en el *Sexto*, y 2 de *Rescriptis* en las *Clementinas*, donde se hace espresa mencion de los officiales foraneos. La potestad de estos vicarios foraneos se arregla a la instruccion del Obispo: regularmente se les encarga conozcan sobre causas civiles de poca consideracion: en orden a las criminales, pueden corregir los delitos mas leves; pero cuando se trata de otros mas graves, quando mas, solo podran hacer sumaria, sustanciar el proceso, mas no pronunciar sentencia, sino que deberan remitir dicho proceso al Ordinario. En esta parte no es posible señalar regla fija, porque las facultades de los jueces foraneos son distintas en diferentes obispados y provincias. En algunas conocean antiguamente en primera instancia sobre todas las causas eclesiasticas, como sucedia con el juez foraneo del arciprestazgo mayor de Guipúzcoa, que residia con tribunal en San Sebastian... segun consta de la bula de Calisto II que empieza: *Sicut saluberrimis*, expedida en Roma a 14 de julio de 1456, y de la Real cedula de D. Alonso XI de Castilla, su fecha en Toledo a 29 de mayo de 1352.

De nominandis ab Archiepisc. et Episcopis archipresbyteris, ad ipsorum nutum amovibilibus, ut foraneorum vicariorum funciones exerceant, uno ad minus in unoquoque judiciali districtu (*partido*), quorum designationem Sup. Gubernio denuntient ipsi Praelati, V. Reg. decretum 21 Nov. an. 1351.

84. Sunt et Vicarii, qui vel perpetuo, vel ad tempus constituti, animarum curam administrant, quæ *habitu*, uti vocant, penes alios est propter ecclesiam parochialem, quæ ipsorum ecclesiis, monasteriis, collegiis, locisque piis conjuncta est (1). His certa fructuum portio, ex ipsius Ecclesie redditibus detrahenda, Episcopi arbitrio tribuitur (2). Saepè etiam Episcopus, cum simili fructuum portione, constituit Vicarios vel ad tempus, vel perpetuo, qui Parochi absentis, impediti, imperitive vices gerant (3). Vicarii perpetui propriam interdum habent

Ecclesiam, quæ *filialis* dicitur, respectu habito ad matrem Ecclesiam, quæ est titulus Parochi, cui subjiciuntur.

(1) A capitulis et monasteriis, uti monet Benedictus XIV *de Synod. dioces. lib. 12 cap. 1 num. 2* constitui solent vicarii temporarii, ad nutum amovibiles, qui animarum curam exerceant in parochiis, quæ iisdem capitulis, sive monasteriis unitæ sunt, a quibus tamen secundum jus commune etiam sine causa removeri possunt, modo procul sit dolus, et omnis odii causa.

(2) Conc. Tridentinum *sess. 7 cap. 7 de Reform.* Arbitrium hoc Episcopi arctavit S. Pius V in *Constit. Ad exequendum* 68 pag. 401 *to. 4 par. 2 Bullarii*, sed illud postea pro ratione locorum, et temporum restituit Benedictus XIV. *Const. Cum semper* 103 §. 10 pag. 224 *tom. 1 ejus Bullarii ed. Romæ 1754.*

(3) Conc. Tridentinum *Sess. 21 cap. 6 et sess. 25 cap. 16 de Reform.* (N. S. Illitteratis, et imperitis Parochiarum Rectoribus ab Episcopo temporaneus deputandus est Coadjutor, atque huic quædam fructuum pars assignanda, quæ ad congruam vitæ alimoniam sufficere possit: Syn. Trident. *Sess. 21 Ref. cap. cap. 6.* Immo et quoties opportunum sibi videbitur, Parochi monito, et negligente, per se poterit Episcopus de Coadjutore providere in Parochiis, quæ unitæ non sint Monasteriis, et ab ipso per examen ad curam animarum approbato, assignata eodem titulum ab Episcopo congrua fructuum portione in ea quantitate, quæ pro suo prudenti arbitrio, et conscientia conveniens videbitur, ratione videlicet habita reddituum, et emolumentorum Ecclesie Parochialis... inspectis conditionibus loci, numero animarum, qualitate laborum, et quantitate impensarum, quas commissi officii necessitas postulaverit: *Constitutio Apostolici Ministerii* §. 15.

Vicarius autem perpetuus Ecclesiarum, quæ perpetuo unitæ sunt aliis Ecclesiis, Monasteriis, Collegiis, Beneficiis, et Locis Piiis, Episcopus curare debet, quod congrua ipsis portio impendatur, non major centum, nec minor quinquaginta scutorum summa. Pius V *Constitut. Ad exsequendam*, et Innocentius XIII *præfata Constit. Apostolici Ministerii* §. 12.

Parochus, qui solus non sufficit, omnibus Parochiæ suæ fidelibus Sacramenta ministrare, Coadjutorem sibi adsciscere potest cum congruo stipendio. Verum si quis tot sibi adhibeat ita ut laboriosum Pastoris officium inane reddatur, eosque fortassis vilissima mercede conductos, oporteret eum exagitare cum Baronio ad an. 4109: *Quis patitur censualem Ecclesiam Dei, et ad usufructum altaris alium in olio lucrari, servitii vero onus alium in egestate suslinere?* Ecclesie quantum fieri possit propriis Sacerdotibus, non conductiliis regi debent: *Can. 5 Caus. 21 Q. 2.* Qui a fidelibus alimenta corporalia percipiunt, iisdem hi fidelibus ipsis spiritualia alimenta rependere debent.

De coadjutoribus parochorum hæc Concordati an. 1351 art. 26 habentur:

Parochiarum coadjutores ab Ordinariis, prævio Synodali examine, nominabuntur.

Regium item decretum die 30 April. an. 1352, cum Apost. Nuntii adsensu, latum, quomodo in istorum coadjutorum ad nutum constitutione procedendum sit, determinat, relicta parochi impedito congrua, super ecclesie quam regit redditibus, pensione; quod consequenter in posterum prohibet, ne parochorum per immunitatem vulgo *jubilacion* sustentationi provideatur.

85. Nec prætereundi Vicarii nati, quorum potestas non ab arbitrio pendet Episcopi, sed à lege, quæ illorum beneficiis eam perpetuo conjunxit. Archipresbyter, et Archidiaconus sunt Vicarii nati Episcoporum: et vicarios perpetuos, quorum nunc facta mentio est, vicarios natos Parochorum possumus appellare.

86. Sunt denique vicarii Apostolici, quos constituit Sedes Apostolica (1), sive cum metus est, ne diutius Ecclesia pastore careat, sive cum turbas, et dissidia fore prospicitur in Vicarii capitularis electione, vel cum Episcopus senio, aut alia de causa suum recte munus gerere non potest, vel demum cum Episcopus ab administratione suspenditur, aut etiam removetur. Eliguntur autem hi vicarii interdum cum caractere Episcopali, atque hi creantur Episcopi *in partibus infidelium*, interdum sine hoc caractere; eorum vero potestas noscenda est ex literis Apostolicis, quibus suum officium acceperunt.

(1) Sixtus V in *Constit.* 117 tom. 4 par. 4 pag. 399 *Bullarii*, Sacræ Congregationi Episcoporum, et Regularium facultatem dedit eligendi Vicarios Apostolicos, quando eos Ecclesiarum necessitas postularet.

In Hispania ad finem Pontificatus Ven. Gregorii XVI, cum pleræque episcopales Sedes vacuæ essent, per Apostolica rescripta ipsarum gubernationi provisum est, superstitionibus Nationis Prælati ista cura commissa in proximas aut sibi subjectas jure suffragan. dioceses respective exerecnda. Hoc ipso sæculo, Emmus. Cardinalis Ludovicus de Borbon. Toletanæ Eccles. Præsul, simul cum ex Hispalensem plures per annos retinuit, ut Apostolicus Vicarius seu Administrator. Similiter, ex Pontificia sanctione, Hisp. Monarcha perpetuo Ordinum Militarium, quarum Magnum Magisterium obtinet, Ecclesias administrat et regit per ipsarum speciale Tribunal, necnon per prælatos ac vicarios quasi diocesium et parochiarum, quæ tali privilegio gaudent. Denique cum ab Hispani Regis ditionibus segregata Lusitania esset, intra Castellæ fines comprehensæ permansere vicariæ vulgo *de Alba* et *de Aliste*, quæ ad quemdam vicinæ Nationis episcopatum spectabant: et Catholica Majestas, ne proprii sibi subditi ab extero Prælate etiam in spiritualibus submissi essent, à Sancta Sede bullam impetravit, ut prædictæ parochiæ Asturicensi ac Zamorensi diocesium aggregarentur: ac cum in talis Apost. decreti executione concertationes non faciliter finiendæ occurrerent, ambarum vicariarum administrationem Summ. Pontifex Compostellano commisit Archiepiscopo, à quo nominatus vicarius in illas adhuc hodie jurisdictionem exercet.

SECTIO X.

DE PAROCHIS, ET RELIQUO CLERO.

88 AD 89. PAROCHiarum INSTITUTIO.—90. PAROCHORUM OFFICIA, MISSA PRO POPULO.—91. DIVINI VERBI PREDICATIO.—92. SACRAMENTORUM ADMINISTRATIO.—93. OFFICIUM RELIQUORUM CLERICORUM.

87.

Inter eos, qui Episcopo opem ferunt in procuratione dioceseos, nobile in primis est officium Parochorum, qui semel ab Episcopo constituti, jure proprio concediti sibi populi curam exercent (1). Per tria fere priora Ecclesiæ sæcula nulla in ecclesiasticis monumentis eorum mentio est (2). Una in principe dioceseos civitate erat Ecclesia, ad quam Christiani omnes non modo urbis, sed etiam vicinorum oppidorum die solis, hoc est Dominico confluebant; et presentibus quidem distribuebatur Eucharistia, ad absentes per Diaconos mittebatur (3). Huic Ecclesiæ, quæ cathedralis erat, ipse præerat Episcopus, qui suum habebat Senatam, et Presbyterium (4), hoc est, illi addictos Presbyteros, quorum erat Episcopo dare operam in Ecclesiæ regimine, et administratione.

(1) Parochos à Christo ipso fuisse institutos, ut una cum Episcopis, subiecta tamen ipsis potestate, Ecclesiam regerent, quorundam opinio est; et id quidem demonstrari vellet libro, qui ex Gallico in Italicum sermonem conversus, Florentiæ prodiit an. 1785 cum titulo: *L'istituzione divina de' Parochi, è loro diritto al governo generale della Chiesa*. Eadem est sententia Petri Tamburini in libro, cujus titulus: *Vera idea della S. Sede*. Verum quam falsa hæc opinio sit, satis ostendit ipsa Parochorum origo, quæ certa III sæculo antiquior non est. Imo in civitatibus ante annum Christi millesimum nullos fuisse Parochos, ostendit Marius Lupus Bergomensis *De Parochiis ante annum Christi millesimum*. Certe antiquiori ætate nulli erant hujusmodi Presbyteri, qui proprium haberent officium regendi populum; sed Episcopus unum, aut alterum eligebat Sacerdotem, cui modo unam, modo alteram populi partem committebat, et cui admebat officium eodem arbitrio, quo dederat. Nemo enim, uti nunc Parochi sunt, certo erat adlietus populo, quem perpetuo regeret jure officii sui; dabat Episcopus subditos cuivis Presbytero, dabat quamdiu, et quos vellet, neque ulli erat injuria Presbytero, à quo Episcopus repetebat subditos suos, quos vel ipse per se regeret, vel alteri Presbytero regendos committeret. Lapsu temporum maluerunt Episcopi parochos eligere, hoc est, Presbyteris quibusdam certam populi partem perpetuo regendam committere; atque ita Parochorum potestas, ab Episcopali ordinae, tanquam à fonte, procedens instituta est; sed ita

85. Nec prætereundi Vicarii nati, quorum potestas non ab arbitrio pendet Episcopi, sed à lege, quæ illorum beneficiis eam perpetuo conjunxit. Archipresbyter, et Archidiaconus sunt Vicarii nati Episcoporum: et vicarios perpetuos, quorum nunc facta mentio est, vicarios natos Parochorum possumus appellare.

86. Sunt denique vicarii Apostolici, quos constituit Sedes Apostolica (1), sive cum metus est, ne diutius Ecclesia pastore careat, sive cum turbas, et dissidia fore prospicitur in Vicarii capitularis electione, vel cum Episcopus senio, aut alia de causa suum recte munus gerere non potest, vel demum cum Episcopus ab administratione suspenditur, aut etiam removetur. Eliguntur autem hi vicarii interdum cum caractere Episcopali, atque hi creantur Episcopi *in partibus infidelium*, interdum sine hoc caractere; eorum vero potestas noscenda est ex literis Apostolicis, quibus suum officium acceperunt.

(1) Sixtus V in *Constit.* 117 tom. 4 par. 4 pag. 399 *Bullarii*, Sacræ Congregationi Episcoporum, et Regularium facultatem dedit eligendi Vicarios Apostolicos, quando eos Ecclesiarum necessitas postularet.

In Hispania ad finem Pontificatus Ven. Gregorii XVI, cum pleræque episcopales Sedes vacuæ essent, per Apostolica rescripta ipsarum gubernationi provisum est, superstitionibus Nationis Prælati ista cura commissa in proximas aut sibi subjectas jure suffragan. dioceses respective exercenda. Hoc ipso sæculo, Emmus. Cardinalis Ludovicus de Borbon. Toletanæ Eccles. Præsul, simul cum ex Hispalensem plures per annos retinuit, ut Apostolicus Vicarius seu Administrator. Similiter, ex Pontificia sanctione, Hisp. Monarcha perpetuo Ordinum Militarium, quarum Magnum Magisterium obtinet, Ecclesias administrat et regit per ipsarum speciale Tribunal, necnon per prælatos ac vicarios quasi diocesium et parochiarum, quæ tali privilegio gaudent. Denique cum ab Hispani Regis ditionibus segregata Lusitania esset, intra Castellæ fines comprehensæ permansere vicariæ vulgo *de Alba* et *de Aliste*, quæ ad quemdam vicinæ Nationis episcopatum spectabant: et Catholica Majestas, ne proprii sibi subditi ab extero Prælate etiam in spiritualibus submissi essent, à Sancta Sede bullam impetravit, ut prædictæ parochiæ Asturicensi ac Zamorensi diocesium aggregarentur: ac cum in talis Apost. decreti executione concertationes non faciliter finiendæ occurrerent, ambarum vicariarum administrationem Summ. Pontifex Compostellano commisit Archiepiscopo, à quo nominatus vicarius in illas adhuc hodie jurisdictionem exercet.

SECTIO X.

DE PAROCHIS, ET RELIQUO CLERO.

88 AD 89. PAROCHiarum INSTITUTIO.—90. PAROCHORUM OFFICIA, MISSA PRO POPULO.—91. DIVINI VERBI PREDICATIO.—92. SACRAMENTORUM ADMINISTRATIO.—93. OFFICIUM RELIQUORUM CLERICORUM.

87.

Inter eos, qui Episcopo opem ferunt in procuratione dioceseos, nobile in primis est officium Parochorum, qui semel ab Episcopo constituti, jure proprio concediti sibi populi curam exercent (1). Per tria fere priora Ecclesiæ sæcula nulla in ecclesiasticis monumentis eorum mentio est (2). Una in principe dioceseos civitate erat Ecclesia, ad quam Christiani omnes non modo urbis, sed etiam vicinorum oppidorum die solis, hoc est Dominico confluebant; et presentibus quidem distribuebatur Eucharistia, ad absentes per Diaconos mittebatur (3). Huic Ecclesiæ, quæ cathedralis erat, ipse præerat Episcopus, qui suum habebat Senatam, et Presbyterium (4), hoc est, illi addictos Presbyteros, quorum erat Episcopo dare operam in Ecclesiæ regimine, et administratione.

(1) Parochos à Christo ipso fuisse institutos, ut una cum Episcopis, subiecta tamen ipsis potestate, Ecclesiam regerent, quorundam opinio est; et id quidem demonstrari vellet libro, qui ex Gallico in Italicum sermonem conversus, Florentiæ prodiit an. 1785 cum titulo: *L'istituzione divina de' Parochi, è loro diritto al governo generale della Chiesa*. Eadem est sententia Petri Tamburini in libro, cujus titulus: *Vera idea della S. Sede*. Verum quam falsa hæc opinio sit, satis ostendit ipsa Parochorum origo, quæ certa III sæculo antiquior non est. Imo in civitatibus ante annum Christi millesimum nullos fuisse Parochos, ostendit Marius Lupus Bergomensis *De Parochiis ante annum Christi millesimum*. Certe antiquiori ætate nulli erant hujusmodi Presbyteri, qui proprium haberent officium regendi populum; sed Episcopus unum, aut alterum eligebat Sacerdotem, cui modo unam, modo alteram populi partem committebat, et cui admebat officium eodem arbitrio, quo dederat. Nemo enim, uti nunc Parochi sunt, certo erat adlietus populo, quem perpetuo regeret jure officii sui; dabat Episcopus subditos cuivis Presbytero, dabat quamdiu, et quos vellet, neque ulli erat injuria Presbytero, à quo Episcopus repetebat subditos suos, quos vel ipse per se regeret, vel alteri Presbytero regendos committeret. Lapsu temporum maluerunt Episcopi parochos eligere, hoc est, Presbyteris quibusdam certam populi partem perpetuo regendam committere; atque ita Parochorum potestas, ab Episcopali ordinae, tanquam à fonte, procedens instituta est; sed ita

tamen instituta, ut hujusmodi Presbyteri in rebus omnibus ab Episcopo penderent, ac nihil agerent sine mente, aut conscientia Episcopi, ut inquit Concilium Laodicenum *can. 57* apud Labbæum *tom. 1 conc. col. 1559 ed. Venet.*, et Toletanum *I can. 20 col. 1474 tom. 2*. Nam constans est Patrum regula, Presbyteros in rebus omnibus Episcopo obnoxios esse oportere, neque eorum, quæ ad Ecclesiam pertinent, quidquam sine Episcopo ab illis esse faciendum. *Necessarium itaque est*, inquit S. Ignatius Martyr *Ep. ad Trallian. n. 2* apud Cotelerium *PP. Apostolic. tom. 2 pag. 22 edit. Antwerp. 1689, quemadmodum facitis, ut sine Episcopo nihil agatis; et ad Philadelph. num. 7 pag. 52. testis autem mihi est is, in quo vinculus sum, quod à carne humana non cognoverim; sed Spiritus annunciavit dicens illa: sine Episcopo nihil facite; et ad Smyrn. num. 3 pag. 57. sine Episcopo nemo quidquam faciat eorum, quæ ad Ecclesiam spectant. Rata Eucharistia habeatur illa, quæ sub Episcopo fuerit, vel cui ipse commiserit... Non licet sine Episcopo neque baptizare, neque agapem celebrare; sed quodcumque ille probaverit, hoc et Deo est beneplacitum, ut tutum, ratumque sit quodcumque agitur*. Idem docent, Tertullianus *de Baptism. cap. 17 pag. 250 ed. Ven. 1744...* S. Cyprianus *Ep. 27 lapsis col. 95 ed. Venet. 1758*, S. Hieronimus *Dial. advers. Luciferian. n. 9 opp. tom. 11 col. 181 ed. Vallarsii Veronæ*, S. Cælestinus *I Ep. 27 ad Episc. Galliar. cap. 1* apud Constantium *col. 1186*, demum euncti Patres, Confer etiam Canonem Apostolorum *40* apud Cotelerium *loc. cit. pag. 443*, Concilium Gangrense *can. 6* apud Labbæum *tom. 2 Concil. col. 422 ed. Venet.*, Antiochenum *can. 24 ib. col. 605*. Qui divinitus Parochos institutos putant, eorum originem repetunt à 72 discipulis, quos Christum Sacerdotes fecisse arbitrantur. Verum hi Discipuli missi quidem sunt in omnem locum, et civitatem, quo Christus erat venturus, ad animos ejus adventui præparandos; sed neque erant sacerdotali characterè insigniti, neque ipsis erat tributa potestas regendi populos, neque electi ad sacramenta administranda, cum potestas clavium non nisi in Petrum, et Apostolos à Christo collata fuerit. Itaque procul aberant Discipuli ab iis, quæ proprie Parochum constituunt. Sane ex septuaginta duobus discipulis septem viri electi sunt, quos Apostoli manuum impositione Diaconos ordinarunt: *Act. Apost. cap. 6*. Quomodo igitur iidem à Christo sacerdotes creati esse poterant? S. Epiphanius *Hæres. 20 num. 4 lib. 1 tom. 1 pag. 50 ed. Coloniae 1682* id rectissime animadvertit, inquit: *præter hos (Apostolos) 72 alios ad eandem functionem allegat, è quibus septem illi fuere, qui ad viduarum obsequium delecti sunt: Stephanus, Philippus ect.*, qui quidem Philippus ad Christi fidem convertit Samaritanos, diuque post Christi Ascensionem ad ecelum Diaconus erat. Dionysius Petavius *de Eccles. hierach. lib. 3 cap. 16 n. 2*, loquitur de missione, quam septuagint adno Discipuli à Christo acceperunt, nullam autem in hac missione ordinis, aut jurisdictionis potestatem agnoscit. *Prior ista missio*, inquit, *nullam aliam quam prædicandæ penitentiae, ac tam doctrinæ, quam miraculis præparandi ad Christi fidem populi, facultatem illis indidit, non regendi, gubernandive, jus nullum, aut potestatem sive ordinis, quam sub eanam ultimam contulisse creditur, sive jurisdictionis, quam post resurrectionem suam reipsum, et ut loquuntur actu, tradidit*. Petrus Paludanus *de Caus. immediat. Eccles. pol. latissime ostendit, 72 discipulos haud fuisse Sacerdotes à Christo constitutos, idque ex eo præsertim conficit, quod illi ab Apostolis Diaconi ordinati fuerunt: ib. art. 5*. Facile ex his intelligitur, quam leve, et infirmum sit fundamentum, quo nititur opinio eorum, qui Presbyteros, ac præsertim Parochos 72 Discipulorum locum tenere existimant; unde repetunt

jura Parochorum, quos pene Episcopis pares faciunt. Late hoc argumentum persequitur Corgnius peculiari dissertatione, quam descripsit II tomo operis, quo jura defendit Episcoporum; et vide etiam Bolgenium *Esame della vera idea della S. Sede, pag. 7 et seq.*, atque Auctorem operis *de l'Autorité des deux puissances, tom. 2 par. 3 cap. 1 par. 5*. Ad hæc autem, quæ dixi, adverti diligenter volo, ut omnibus pateat, quæ vera sit animi mei sententia de Parochorum origine, et jurisdictione, quam ipsis committi arbitror ab Episcopis, quos Christus Ecclesiæ Rectores constituit. Nam Scriptores Annalium Ecclesiasticorum Florentiæ, quod superiori loco scripsi, Presbyteros interdum appellari *Sacerdotes secundos* aut *secundis ordinis*, Presbyteros interdum appellari *Sacerdotes primos* aut *primi ordinis*, ut distinguantur ab Episcopis, qui *Summi Sacerdotes*, aut *Sacerdotes primi ordinis* dicuntur, exinde conficere se posse censuerunt, me sectari falsam sententiam illorum, qui à Cristo repetunt Parochorum jurisdictionem. Ego vero me ab hac sententia quam longissime abesse profiteor, idque satis me significasse arbitror argumentis illis, quæ mox attuli, et scriptoribus, quos, ne præter institutum meum longior essem, indicavi. Presbyteros vocavi *Sacerdotes secundos*, non quod in iis aliquam agnoscerem jurisdictionem ab Episcopo non delegatam, sed tantum ut eos distinguerem ab Episcopis, qui sunt *Sacerdotes Summi*, et quorum est in sua Ecclesia jurisdictione. Atque hoc sensu Patres *Sacerdotes secundos* Presbyteros vocant.

(2) Sane in epistolis Ignatii, ac Cypriani, in epistola Dionysii Corinthiorum Episcopi ad Soterum P., apud Eusebium *Histor. eccles. lib. 4 cap. 25 pag. 159 ed. Taurin. 1746*, in epistola, quam Coraelius P. ad Pabium Antiochenum dedit apud Constantium *col. 146*, itemque in canonibus Apostolorum, tantum maximarum urbium Ecclesiæ memorantur. Si quando *Parochiæ* vox occurrit, ea diocesis universa comprehenditur. Eusebium *Histor. eccles. lib. 2 cap. 24 pag. 75 ed. Taurin. 1746*, Alexander *opist. encycl. apud Socratem hist. eccles. lib. 1 cap. 6 pag. 9 edit. Taurin. 1746*, Epiphanius *ep. ad Joan. Hierosolym. opp. tom. 2 pag. 315 edit. Coloniae 1682*, Concilium Ancyranum *can. 18* apud Labbæum *concl. tom. 1 col. 1491 edit. Venet.*, et Antiochenum *can. 9 ib. tom. 2 col. 590*.

(3) S. Justinus *M. Apol. 1 num. 67 pag. 85 edit. Maurin. Paris. 1742*.

(4) In hoc tamen Presbyterio suum etiam Diaconi habebant locum, qui ea gerebant, quæ sui ordinis propria erant, uti observat Thomassinus *Vet. et Nov. Eccles. disciplin. par. 1 lib. 2 cap. 22 num. 2*.

88. Cum aucto Christianorum numero, plures in una civitate Ecclesiæ conditæ sunt, ad eas Episcopus diebus dominicis mittebat ex Ecclesia Cathedrali Presbyteros, quorum erat sacra obire munera, et præesse populo, qui ad Ecclesias illas confluebat. Verum hi Presbyteri non erant perpetui Rectores harum Ecclesiarum, cum Episcopus eos modo uni, modo alteri committeret ex clericis Ecclesiæ cathedralis, eorumque officium finiretur tempore, quod ab illo constituebatur (1). Itaque una tantum in singulis civitatibus erat Ecclesia, quæ proprie Parochia, uti nunc est, dici posset, nimirum Ecclesia cathedralis; reliquæ minores Ecclesiæ nulli separatim Presbytero addictæ erant, sed ad eas regendas singulis diebus dominicis clerici de Ecclesia Episcopi mittebantur.

(1) Romæ tamen, et Alexandria minoribus quoque Ecclesiis certi Presbyteri, qui iisdem præessent, jam inde ab antiquissimis temporibus affixi erant. Id de Ecclesia Alexandrina testatur disertissime Epiphanius *Hæres. 49 sive 69. Arian. n. 1 opp. tom. 1 pag. 727 edit. Coloniae 1632. Quot.* inquit, *Alexandriæ catholicæ communionis Ecclesiæ sunt, uni Archiepiscopo subjectæ, suus cuique præpositus est Presbyter, qui ecclesiastica munera iis administraret, qui circa Ecclesias illas habitant, eorumque conventicula vici, seu lauræ ab Alexandrinis vulgo nuncupantur.* Dionisius Petavius *Animadvers. ind. loc. Epiphani. tom. 1 pag. 276* non tantum Alexandria, sed in aliis quoque majoribus urbibus eam consuetudinem viguisse censet, ut plures intra urbem essent Ecclesiæ, quibus certi Presbyteri affixi erant. Henricus Valesius *Not. in Sozomen. lib. 1 cap. 15 pag. 31 ed. Taurin. 1747,* à Petavio dissentit, et morem illum addicendi in civitate Presbyteros certæ Ecclesiæ, quam separatim regerent, proprium ac peculiarem fuisse putat Ecclesiæ Alexandrinæ. Ego vero Petavio non assentior agenti, quod in cunctis majoribus urbibus Presbyteri certæ adscriberentur Ecclesiæ, quam perpetuo regerent; sed tamen eam, quam supra memoravi, consuetudinem non tantum Alexandrinæ, sed etiam Romanæ Ecclesiæ propriam fuisse arbitror. Certe Romanos Presbyteros titulis, quos S. Evaristus distribuit, affixos fuisse censeo, et Biton Presbyter Romanus, cuius meminit S. Athanasius *Apol. adver. Arian. num. 20 opp. tom. 1 pag. 441 ed. Maurin. Patav. 1777,* addictus firmiter erat Ecclesiæ, in qua populum colligebat. Locus autem Innocentii I. *Ep. 25 ad Decent. Eugubin. cap. 5 num. 8* apud Constantium *col. 860,* meo quidem iudicio minime ostendit, ut Valesius putat, quod ætate Innocentii Romani Presbyteri suis titulis, sive Ecclesiis affixi non essent. Ait quidem Innocentius, hos Presbyteros reliquis diebus secum convenire solitos, sed nulla in eo pugna est, quod illi alicui minori præessent Ecclesiæ, et quod reliquis diebus, excepto die Dominico, cum Pontifice in Ecclesia majori convenire deberent. Hoc certum, quod iidem Presbyteri die Dominico propter plebem sibi creditam suis titulis præesse debebant, quod mihi tantum quadrare videtur posse in eos, qui certam plebem, certamque Ecclesiam perpetuo regendam habent. Quod autem addit Innocentius de fermento à se confecto, quod ad hos Presbyteros mittebatur, id tantum indicat vinculum communionis, qua minores Ecclesiæ cum majori conjunctæ esse debebant, uti ipse declarat Innocentius, inquit, *idcirco fermentum à nobis confectum per acolythos accipiunt, ut se à nostra communione, maxime illo die, non iudicent separatos.*

89. Constitutæ sunt Parochiæ primum in vicis, et villis, quarum incolæ cum ad civitatem commode ire non possent, eorum gratia ibi conditæ sunt Ecclesiæ, quibus præpositi Sacerdotes, qui populum illum regerent, muneraque ecclesiastica exercerent (1). Serius in civitatibus ortæ sunt Parochiæ (2), neque ubique omnes eodem tempore initium habuerunt. Cum enim ea res tota ab Episcoporum arbitrio penderet, alii citius, serius alii Parochos in civitate constituerunt, uti major, minorve numerus Christianorum, eorumque utilitas, atque necessitas postulabat (3).

(1) Parochiæ nomen, quo nunc etiam civitatis Ecclesiæ designantur, proprium initio erat ruralium Ecclesiarum Concilium Chalcedonense *can. 17* apud Labbeum *tom. 4. Concil. col. 1637 edit. Venet. Quæ sunt,* inquit, *in unaqueque provincia rurales, vicinasque provincias firmas, et inconcussas manere apud eos, qui illas tenent, Episcopos.* Vide etiam Socratem *Hist. eccles. lib. 1 cap. 27 pag. 55 edit. Taurin. 1747,* Severum Sulpicium *Dial. 1 num. 8 opp. tom. 1 pag. 69 edit. Veronæ 1741,* Innocentium I. *Ep. 25 ad Decent. Eugubin.* apud Constantium *col. 860,* qui quidem diserte distinguit Ecclesias civitatis ab Ecclesiis ruralibus, sive parochiis, atque ad illas se die Dominico fermentum per Acolythos mittere declarat, *quod per paræcias, inquit, fieri debere non puto, quia nec longe portanda sunt sacramenta.* Parochiæ vocabulum à rusticanis ad urbanas Ecclesias translatum deinceps est. De origine Paræciarum disputant Petavius *in Epiphani. hæres. 69 Arian. tom. 2 pag. 27 edit. Colon. 1632.* Thomassinus *Vel. et nov. Eccles. disciplin. par. 1 lib. 2 cap. 21 et 22,* et Muratorius *Dissertationi sopra le Antichità Italiane, dissert. 74 pag. 524 tom. 5 par. 2 edit. Romæ. V. Syn. Tolet. IV can. 26. alias 25.*

(2) Ante annum Christi millesimum nullas, ut supra dixi, in civitate Parochias fuisse, ostendit Marius Lupus *de Parochiis ante annum Christi millesimum.*

(3) Binghamus *Origin. ecclesias. lib. 9 cap. 3 §. 2 tom. 3 pag. 595 et seq. edit. Halle Magdeburg. 1758.*

90. Præcipua Parochorum munera sunt: sacrificium pro populo offerre, divinum verbum nunciare, sacramenta administrare (1). Debet enim unusquisque Parochus, sive dives, sive pauper, pro populo sibi commisso cunctis dominicis, festisque diebus sacrificium offerre. Licet tamen Parochis, qui gravi inopia laborant, cum Episcopi venia, festis diebus accipere, quod à pio aliquo homine datum est, et pro eo missam offerre, modo infra hebdomadam pro populo rem divinam conficiant, quam festis diebus conficere debuissent (2).

(1) Concil. Trident. *Sess. 25 cap. 1 de Reform.*

(2) Benedictus XIV. *in Constit. Cum semper 103. t. 1 ejus Bullar. pag. 222 ed. cit.* Vide Ubaldum Giralduum *ad Inst. Canon. Remigii Maschat Elenc. VI. tom. 1 pag. 461.* Atque hoc quidem onere offerendi pro populo missam dominicis, ac festis de præcepto diebus tenentur generalim omnes, qui curam habent animarum, etiam vicarii amovibiles, ac temporarii, et Regulares, uti declarat Benedictus XIV. *cit. Constit. §. 4.* Num teneatur etiam Episcopus, cui potiori jure, quam Parocho, animarum cura commissa est, disputant Ferraris *Biblioth. verb. Missa art. 3 num. 11.* et Giralduus *Expos. Jur. Pontif. par. 2 tom. 3 pag. 925.*

(N. S. De hoc Parochi onere jam olim constituerat Syn. Emerit. *can. 49.*)

91. Debent etiam Parochi non solum pueros, rudesque homines Christianæ Religionis rudimenta edocere (1), sed etiam

cunctis saltem dominicis diebus, et festis solemnibus sermonem ad populum habere de rebus divinis, eique explicare, quæ ad æternam salutem omnibus sunt necessaria (2). Huc etiam referatur munus nunciandi festos dies, indulgentias, jejunia, et cetera, quæ emerferint, Ecclesiæ præcepta, ne populi ignorantia violentur (3).

(1) Vide Benedictum XIV *Constit. Etsi minime* 42 tom. 1 ejus *Bullar. pag. 67 ed. cit.*

(N. S. Synod. Hispalens. an. 1512 cap. 1; *Constitut. Apostolici Ministerii* §. 11.)

(2) Conc. Trident. *Sess. 5 cap. 2 de Reform.* Quæ concio à Parocho habenda est inter missarum solemnia, recteque ostendit Card. Bona *Rerum liturgic. lib. 2 cap. 7 §. 7 pag. 159 et seq. tom. 5 ed. Taurin. 1755*, morem hunc semper obtinuisse, ut *proxime post Evangelium sermo, sive homilia, vel tractatus ad populum haberetur.* Vide *Constitutionem Apostolici ministerii*, 54, Innocenti XIII, *pag. 258 tom. 11 Bullarii*, editam pro regnis Hispaniarum, quam postea confirmavit Benedictus XIII. *Constit. In supremo militantis* 51 *pag. 550 eodem loco*, ubi animarum pastores suas has partes implere jubentur, quamquam exiguum habeant populi numerum, et quamquam per annuos concionatores satis huic rei consultum videatur.

(3) Conc. Trident. *post sess. 25 de Reform. in decreto de delectu ciborum, jejuniis, diebus festis.*

92. Denique eorum etiam est administratio sacramentorum. Quare Lateranense Concilium (1) non modo sancivit, ut Christiani omnes in Paschate à proprio Parocho Pœnitentiæ, et Eucharistiæ sacramenta suscipiant, sed etiam Tridentinum (2) monuit, ab eo solo, exceptis Confirmatione, et Ordine, generatim licite suscipi sacramenta. Sed nunc, cum privilegia Regularium, et frequentes Episcoporum concessionones quam plures extraordinem sacramentorum ministros induxerint, ab iis etiam, modo se contineant intra fines concessionis, ea probe suscipiuntur; et jus Parochorum redactum est ad Paschalem communionem, ad viaticum, ad Extremam unctionem.

(1) *Conc. Trident. cap. 12 de Pœnitent. et remiss.*

(2) *Cap. 15 Sess. 24 de Reform.*

(N. S. Parochos intra duos ab obtenta possessione menses, publicam fidei professionem teneri in manibus Episcopi emittere, Syn. Trid. *jussit, Sess. 24 de Ref. cap. 12*; id quod jam olim constituerant concilia nostra Tolet. IV, *can. 27*, alias 28, et Tolet. XI *can. 10.*)

Jam vero ex allatis, aliisque propriis Parochorum officiis recte colligi datur, Parochos residentia sibula obstringi: et quidem, ut explicat II Syn. Prov. Neap. *lit. 9 cap. 4*, *Aut in œdibus parochialibus Parochi inhabitent, vel intra Parochiæ suæ fines, si parochiales œdes nullæ fuerint.* Eandem pro Hispania disciplinam observare jussit Syn. Tolet. an. 1565

*Act. 2 Reformat. cap. 26: Parochiarum Rectores continuam habitationem intra Parochiam habeant; et in eo Parochiæ loco, qui ad administranda Sacramenta, et Altaris, Ecclesiarumque ministerio sit aptior; et domum incolant propinquam: Syn. Valent. ejusd. an. Sess. 1 tit. 1 cap. 6, et in eo Parochiæ loco, quo Parochiani inter se dissiti commode adire, et unde Parochus haud difficulter Sacramenta fidelibus ministrare possit: Syn. ead. Tolet. *ibid. Cap. 27.* Neque ultra bimestre longius abesse ipsis permittitur: ita tamen ut quancumque eos, causa prius per Episcopum cognita, atque probata, abesse contigerit, Vicarium idoneum, ab ipso Ordinario adprobandum, cum debita mercedis adsignatione relinquunt: Syn. Trid. *Sess. 25 Ref. cap. 1.* Atque eos nisi obtenta licentia, de Parochia discedere non permisit laud. Syn. Tolet. *ibid. Cap. 25* sub pœna amissionis fructuum. Quinimmo ipsos ad personalem residentiam constrinxit sub eadem pœna Jus Hisp., (*Leg. 2 Tit. 15 Lib. 1 Novis. Compilat.*)*

De beneficiariorum residentia generatim, aliqua lib. 2 tit. 14 observabimus.

Huc denique pertinet novissimi Concordati (art. 25) verba, quæ sic se habent:

•Coadjutores et ceteri parochiarum administrati, cunctique clerici sacris ruralibus œliculis, sanctuariis, oratoriis, Sacellis publicis, vel Ecclesiis non parochialibus inservientes, per propriam unius cujusque territorii Parochum diriguntur, eique in omnibus subjacebant, quæ ad cultum et religiofas funciones referuntur. •

93. Ceteri Clerici generatim satisfacere debent oneri, quod conjunctum est beneficio, quo fruuntur. Quidam eorum præpositi sunt sacellis, hospitalibus, aliisque locis, et hi curam gerunt præfecturæ, quam exercent, suisque fruuntur juribus ac privilegiis, et Capellani, Rectores, Gubernatores appellantur. Quidam autem nullum habet onus, præter quotidianam recitationem divinarum precum, quas officii nomine comprehendimus, et hi simplex beneficium habere dicuntur.

TITULUS IV.

QUIBUS MODIS POTESTAS ORDINIS ACQUIRATUR.

1. ORDINIS POTESTAS CONSECRATIONE, VEL ORDINATIONE ACQUIRITUR.

1. Omnes clericorum gradus, et officia, atque universam singulorum potestatem sumus persequuti; proximum est ut videamus, quemadmodum ipsi hanc potestatem consequantur. Initium capiemus à potestate ordinis, quam clerici acquirunt vel consecratione, vel ordinatione. Consecratio ad Episcopos, ordinatio ad sacerdotes, ceterosque clericos pertinet.

cunctis saltem dominicis diebus, et festis solemnibus sermonem ad populum habere de rebus divinis, eique explicare, quæ ad æternam salutem omnibus sunt necessaria (2). Huc etiam referatur munus nunciandi festos dies, indulgentias, jejunia, et cetera, quæ emeruerint, Ecclesiæ præcepta, ne populi ignorantia violentur (3).

(1) Vide Benedictum XIV *Constit. Etsi minime* 42 tom. 1 ejus *Bullar. pag. 67 ed. cit.*

(N. S. Synod. Hispalens. an. 1512 cap. 1; *Constitut. Apostolici Ministerii* §. 11.)

(2) Conc. Trident. *Sess. 5 cap. 2 de Reform.* Quæ concio à Parocho habenda est inter missarum solemnia, recteque ostendit Card. Bona *Rerum liturgic. lib. 2 cap. 7 §. 7 pag. 159 et seq. tom. 5 ed. Taurin. 1755*, morem hunc semper obtinuisse, ut *proxime post Evangelium sermo, sive homilia, vel tractatus ad populum haberetur.* Vide *Constitutionem Apostolici ministerii*, 54, Innocenti XIII, *pag. 258 tom. 11 Bullarii*, editam pro regnis Hispaniarum, quam postea confirmavit Benedictus XIII. *Constit. In supremo militantis* 51 *pag. 550 eodem loco*, ubi animarum pastores suas has partes implere jubentur, quamquam exiguum habeant populi numerum, et quamquam per annuos concionatores satis huic rei consultum videatur.

(3) Conc. Trident. *post sess. 25 de Reform. in decreto de delectu ciborum, jejuniis, diebus festis.*

92. Denique eorum etiam est administratio sacramentorum. Quare Lateranense Concilium (1) non modo sancivit, ut Christiani omnes in Paschate à proprio Parocho Pœnitentiæ, et Eucharistiæ sacramenta suscipiant, sed etiam Tridentinum (2) monuit, ab eo solo, exceptis Confirmatione, et Ordine, generatim licite suscipi sacramenta. Sed nunc, cum privilegia Regularium, et frequentes Episcoporum concessioniones quam plures extraordinem sacramentorum ministros induxerint, ab iis etiam, modo se contineant intra fines concessionis, ea probe suscipiuntur; et jus Parochorum redactum est ad Paschalem communionem, ad viaticum, ad Extremam unctionem.

(1) *Conc. Trident. cap. 12 de Pœnitent. et remiss.*

(2) *Cap. 15 Sess. 24 de Reform.*

(N. S. Parochos intra duos ab obtenta possessione menses, publicam fidei professionem teneri in manibus Episcopi emittere, Syn. Trid. *jussit, Sess. 24 de Ref. cap. 12*; id quod jam olim constituerant concilia nostra Tolet. IV, *can. 27*, alias 28, et Tolet. XI *can. 10.*)

Jam vero ex allatis, aliisque propriis Parochorum officiis recte colligi datur, Parochos residentia sibula obstringi: et quidem, ut explicat II Syn. Prov. Neap. *lit. 9 cap. 4*, *Aut in œdibus parochialibus Parochi inhabitent, vel intra Parochiæ suæ fines, si parochiales œdes nullæ fuerint.* Eandem pro Hispania disciplinam observare jussit Syn. Tolet. an. 1565

*Act. 2 Reformat. cap. 26: Parochiarum Rectores continuam habitationem intra Parochiam habeant; et in eo Parochiæ loco, qui ad administranda Sacramenta, et Altaris, Ecclesiarumque ministerio sit aptior; et domum incolant propinquam: Syn. Valent. ejusd. an. Sess. 1 tit. 1 cap. 6, et in eo Parochiæ loco, quo Parochiani inter se dissiti commode adire, et unde Parochus haud difficulter Sacramenta fidelibus ministrare possit: Syn. ead. Tolet. *ibid. Cap. 27.* Neque ultra bimestre longius abesse ipsis permittitur: ita tamen ut quancumque eos, causa prius per Episcopum cognita, atque probata, abesse contigerit, Vicarium idoneum, ab ipso Ordinario adprobandum, cum debita mercedis adsignatione relinquunt: Syn. Trid. *Sess. 25 Ref. cap. 1.* Atque eos nisi obtenta licentia, de Parochia discedere non permisit laud. Syn. Tolet. *ibid. Cap. 25* sub pœna amissionis fructuum. Quinimmo ipsos ad personalem residentiam constrinxit sub eadem pœna Jus Hisp., (*Leg. 2 Tit. 15 Lib. 1 Novis. Compilat.*)*

De beneficiariorum residentia generatim, aliqua lib. 2 tit. 14 observabimus.

Huc denique pertinet novissimi Concordati (art. 25) verba, quæ sic se habent:

•Coadjutores et ceteri parochiarum administrati, cunctique clerici sacris ruralibus œliculis, sanctuariis, oratoriis, Sacellis publicis, vel Ecclesiis non parochialibus inservientes, per propriam unius cujusque territorii Parochum diriguntur, eique in omnibus subjacebant, quæ ad cultum et religioſas funciones referuntur. •

93. Ceteri Clerici generatim satisfacere debent oneri, quod conjunctum est beneficio, quo fruuntur. Quidam eorum præpositi sunt sacellis, hospitalibus, aliisque locis, et hi curam gerunt præfecturæ, quam exercent, suisque fruuntur juribus ac privilegiis, et Capellani, Rectores, Gubernatores appellantur. Quidam autem nullum habet onus, præter quotidianam recitationem divinarum precum, quas officii nomine comprehendimus, et hi simplex beneficium habere dicuntur.

TITULUS IV.

QUIBUS MODIS POTESTAS ORDINIS ACQUIRATUR.

1. ORDINIS POTESTAS CONSECRATIONE, VEL ORDINATIONE ACQUIRITUR.

1. Omnes clericorum gradus, et officia, atque universam singulorum potestatem sumus persequuti; proximum est ut videamus, quemadmodum ipsi hanc potestatem consequantur. Initium capiemus à potestate ordinis, quam clerici acquirunt vel consecratione, vel ordinatione. Consecratio ad Episcopos, ordinatio ad sacerdotes, ceterosque clericos pertinet.

SECTIO I.

DE CONSECRATIONE EPISCOPORUM.

2. RITUS IN EPISCOPI CONSECRATIONE OBSERVANDI.—3. QUIS EPISCOPIUM CONSECRAT?—4. QUANDO FACIENDA SIT CONSECRATIO, EJUSQUE VIS.

Episcoporum consecratio manibus impositis, et Divino invocato Spiritu maxime perficitur; quamquam et alii ab Ecclesia ritus, ac cæremoniæ adhibeantur (1). Nam recitatis initio literis Cancellariæ Apostolicæ de collato Episcopatu, consecrandus præstare debet Romano Pontifici juramentum obedientiæ, et fidelitatis, conceptum verbis S. Gregorii VII (2); deinde examen conficitur, super electi humeros, atque cervicem imponuntur codices Evangeliorum, recitantur preces, funditur benedictio, caput, et manus sacro chrismate unguuntur (3), tum benedicuntur (nisi hæc omnia primum benedicta fuerint) baculus pastoralis (4), annulus (5), mitra (6), chirothecæ (7). Accipit etiam Episcopus, antequam consecretur, crucem, quam antepectus gestat (8).

(1) Vide Pontificale Romanum *tit. 15 de Consecratione electi in Episcopum pag. 169 tom. 1 ed. Catalani Romæ 1753*, ubi cuncta hæc, quæ recensimus, ordine referuntur, ritusque omnes describuntur consecrationis; et vide etiam canonem Concilii Carthaginensis IV. apud Gratianum *can. 7 dist. 25*, ex quo hodierna consecrationis forma profluxit.

(2) Forma hæc juramenti habetur *in cap. 4 de Jurej. eaque comprehenditur septem articulis, quibus nunc duo alii adduntur. De hujus sacramenti antiquitate, et æquitate videndus Zaccaria *Dissert. de Reb. ad histor. atque antiq. Eccles. part. dissert. 15. tom. 2 pag. 264 et seq.**

(N. S. In Hispania novis electis Episcopis juramentum exigendum est de Regum juribus, et redditibus non invadendis, et hoc priusquam administrationem suscipiant: *Leg. 1 Tit. 5 Lib. 4 Novis. Compilat.*; et in Indiis, de non usurpando Regio Patronatu: *Leg. 1 Tit. 7 Lib. 1 Recop. Ind.*; quod vel ante vel post consecrationem emittunt.

Postremo hic animadvertere lubet, Indiarum Episcopos non posse nisi in illis consecrari Regnis; *Reg. Decret. 49 Aug. an. 1645, et 41 Febr. 1644.* *Contra hæc tamen stare videtur hodierna praxis.* Possunt tamen ab uno inaugurari Episcopo, et duobus assistentibus Abbatibus, vel qui dignitate fulgeant Ecclesiastica. Si promoti, certiores de primo navium transitu ad eas partes, profectionem procrastinaverint, amittunt fructus Dignitatis usque ad adventum, et Ecclesiæ suæ fabricæ adjudicantur: *Constit. Gregorii XIII 28 Febr. an. 1563, ad supplicationem Philippi II edit.*

(5) Sacra unctio neque in Episcoporum consecratione, neque in Presby-

terorum ordinatione nunc à Græcis adhibetur, licet olim adhibita fuisse videatur. Confer. Menardum *in lib. Sacrament. S. Gregorii not. 777 et 784 col. 516 et 526 to. 3 opp. S. Gregorii ed. Maur. Paris. 1705. Hallier de Sac. elect. par. 2 sect. 8 cap. 10 art. 1 et seq. Catalanum in Pontific. Roman. tom. 1 tit. 12 §. 4 pag. 122 et tit. 15 §. 22 pag. 202.* Est tamen Decretalis Innocentii III *in cap. unic. de Sac. unct.* qua etiam Græci unctionem hanc adhibere jubentur; sed vide hujus Decretalis explanationem apud Gonzalez, et vide Giraldum *Expos. jur. Pontific. part. 1 sec. 5, tom. 1 pag. 72.*

(4) Baculi pastoralis meminit antiquus Ordo Romanus, et meminit Concilium Toletanum IV. *can. 23 Delect. Actor. eccl. univ. col. 497 l. 1.* Et hinc animadvertit Joannes Morinus *de Sac. ordin. part. 3 exerc. 2 cap. 2 num. 5*, ritum hunc esse antiquissimum. Vide Jacobum Goar. *in Not. ad Ritual. Græc. pag. 515 ed. Paris. an. 1647.* Illud hic animadvertendum, quod Summus Pontifex non utatur baculo pastorali, tum propter historiam, tum propter mysticam rationem, ut inquit Innocentius III. *in cap. unic. de Sac. unct.* Intelligit Innocentius historiam, quam narrant Innocentius Augustodunens. *Serm. de Ss. Petro, et Paulo*, ac Petrus Cluniacensis Abbas *lib. 4 ep. 2 de S. Petro*, quem ajunt baculum tradidisse S. Eucherio primo Trevisensium Antistiti, à quo per illum S. Maternus ejus socius ad vitam revocatus est. Vid. Cironium *in Paratit. ad Decret. Gregorii IX tit. de Sac. unct. §. 6* Baculi significationem explicat Innocentius III *lib. 1 cap. 62 Myst. missæ tom. 1 opp. pag. 555 ed. an. 1575*; sed et jurisdictionem significat, et ideo Marinus Romanae Ecclesiæ Diaconus, et Legatus in Synodo VIII Constantinopolitana *act. 7 col. 359 tom. 5 coll. Harduini Paris. de Photio inquit; tollite baculum de manu ejus; signum est enim dignitatis pastoralis, quod hic habere nullatenus debet.* Atque in chronico Novalicensi apud Duchesnum *Hist. Fran. tom. 3 lib. 6 de Abbate exactorato* habentur hæc: *detestabilem Sarabaitam cepit, baculum fregit, atque superbum de sede dejecit.* De baculo pastoralis fusc scripserunt Joseph Vicecomes *de Appar. missæ lib. 5 cap. 41*, Andreas Saussajus *Panopl. Episc. lib. 2, Ciampinius Vet. monum. par. 1 c. 15 pag. 121 et seq. Georgius Liturg. Roman. Pontif. lib. 1 cap. 29, Catalanus Proleg. ad Pont. Roman. to. 1 c. 20 pag. 27 et tit. 15 §. 26 de Consecr. elect. in Episc. pag. 207.*

(5) Annuli etiam usum antiquissimum esse observat Morinus *loc. cit.*, quoniam ejus mentio est in vetusto Ordine Romano, *in cit. can. Concilii Toletani IV*, apud Surium *in vit. S. Borini die 3 Decembr. apud Isidorum Hispanensem lib. 2 de Offic. cap. 5 in Biblioth. Paris. tom. 10 pag. 205 ed. Paris. 1624.* Et licet Aleuinus, Amalarius, et Rabanus nihil de annulo dicant; tamen eorum silentium hoc tantum ostendit, non eandem ea de re fuisse omnium Ecclesiarum consuetudinem, quod recte observat Bona *Rer. Liturg. lib. 1 cap. 24 §. 15 pag. 248 tom. 2.* Vide Martenium *tom. 2 de Antiq. Eccl. rit. pag. 542 et 568.*

(6) De mitræ Episcopalis origine, et antiquitate non una omnium sententia est. Sunt qui eam antiquissimam, sunt qui circa sæculum X. inductam putant. Ego dubitari vix posse arbitror (quæ sententia est Cardinalis Bona *Rer. Liturg. lib. 1 cap. 24 §. 44 pag. 251 tom. 2 ed. Taurin. 1749*) quin semper Episcopi, si non omnes, saltem aliqui, ornamentum aliquod capitis habuerint, ejus loco recentiori ætate mitra, qualis hodie est, adhiberi cœpit. Vide Bonam *loc. cit.* et Salam *in Not. Menardum in Not. ad Sacram. S. Gregorii not. 917 col. 557 tom. 3 opp. S. Gregorii ed. Maur. Paris. 1705, Martenium de Antiq. Eccl. rit. lib. 1 cap. 4 art. 4 num. 14, Mabillo-*

1758. Recte tamen observat Alexius Symmachus Mazochius in lib. *de Sanct. Neap. Eccl. Episc. cult. par. 3 c. 15 sect. 3 n. 2*, breviorē antea fuisse mitram, postea factam fuisse oblongiorē, uti nunc adhibetur. Plures hujusmodi mitræ una cum antiquissimo Baculo Pastoralī in hac mea Cathedrali Ecclesia Anagniniensi servantur. Confer. Hermannum Dominicum Christianopolulm *De S. Exuperantio Cingulanorum Episcopo cap. 2 §. 3 num. 67 seqq.*

(7) Vide Innocentium III. *lib. 1 de Myst. missæ cap. 10 pag. 522 tom. 1 ed. Coloniae 1575*. De antiquitate chirothecarum erudite disputat Cardinalis Bona *Rer. liturg. lib. 1 cap. 24 §. 12 pag. 247 tom. 2*, et Robertus Sala in *Notis ad eundem*.

(8) Monet Innocentius Cironius *Paratitl. in Decret. Gregorii IX. lib. 1 tit. 8 §. 18*. Episcopos in Concilio Constantinopolitano VIII. à cruce, quam gestant, fuisse appellatos. Innocentius III *lib. 1 de Myst. missæ cap. 55 pag. 551* inquit, Pontificem crucem gerere in pectore pro lamina, qua Hebræorum Pontifex frontem exornabat. Vide Bonam, et Salam *loc. cit. §. 10 pag. 243*.

3. Olim Episcopum Metropolita consecravit, Metropolitam senior Episcopus provinciæ, ceteris tamen utriusque consecrationis causa ad Synodum vocatis, atque in principe vacantis Ecclesiæ templo congregatis. Ibi enim coram populo, atque cleo consecrationem absolvere oportebat (1). Hodie posteaquam Summo Pontifici sunt reservatæ Ecclesiæ cathedrales, vel ab ipso, vel ejus mandato fiunt Episcoporum consecrationes. Episcopi, qui Romæ consecrationem accipiunt, aut ab aliquo Cardinali, aut ab aliquo ex quatuor majoribus Patriarchis, qui in Urbe commorantur, mandato Summi Pontificis consecrandi sunt. Ceteri vero Episcopi, qui extra Urbem consecrantur, suo arbitrio Episcopum eligunt, cui datur mandatum Apostolicum, ut eorum consecrationem absolvat, vel in ipsa, cui præesse debent, Ecclesia, vel saltem in provincia (2).

(1) Vide Gratianum *dist. 64, 65, 66*, et Decretales in *cap. 9 de Tempor. ordinat.*

(N. S. *Partitarum jure*, in Metropolitana Ecclesia consecratio fieri debebat: *Leg. 28 tit. 5 Part. 1.*)

(2) Consule Benedictum XIV in *Constit. In postremo 64 §. 16 pag. 308 to. 4 ejus Bullarii ed. Romæ 1758*, et Pontific. *Rom. tit. 15 §. 2.*

4. Tres adhibentur Episcopi in consecratione (1); ea peragenda est die dominico, post actum superiori Sabbato jejunium, effusasque preces (2), hora tertia, qua scimus, Spiritum Sanctum è cælo in Apostolos delapsum. Tempus consecrationi præfinitum est trium mensium, quibus elapsis, si Episcopus consecrari neglexerit, perceptos fructus amittet, atque etiam Ec-

clesia privabitur, si tres alios ultra menses consecrationem protraxerit (3). Consecratus vero acquirat ordinis potestatem (4), quam tamen Metropolita, et Patriarcha solum post acceptum pallium exercere possunt; ejus matrimonium cum Ecclesia consumatum efficitur (5), et vacant beneficia, quibus ipse antea fruebatur (6).

(1) *Cap. 6. et 7 de Temp. ordinat.* Num ad vim consecrationis necessaria sit præsentia trium Episcoporum, magna inter Theologos, et Canonistas disputatio est. Morinus *de Sacr. ordin. par. 3 exerc. 4 cap. 2*, et Tournely *de Sacram. Ord. pag. 453 ed. Paris. an. 1729*, consecrationem sine tribus Episcopis absolutam plane irritam esse arbitrantur. Sunt qui eam firmam, ratamque habent, si unus tantum adhibitus est Episcopus cum venia Summi Pontificis, eaque est opinio Aurelii Piette *Theol. quæst. de Sacram. Ord. par. 6 quæst. 13 §. 1 et 2*; contra sunt alii, qui consecrationem ab uno Episcopo absolutam illicitam quidem, non tamen irritam existimant, atque ita sentiunt Cabassutius *Notit. Eccl. sæc. IV. in not. ad can. 4 Nicæn.*, Juenin *de Sacram. diss. 9 de Ord. in spec. quæst. 1 de Episcop. cap. 4*, Christianus Lupus *Append. ad can. 4 conc. Nicæn. t. 1 opp. pag. 241 et seq. ed. Venet. an. 1724*, Thomassinus *Vet. et nov. Eccl. discipl. par. 2 lib. 2 cap. 12 per tot.*, Bocat *to. 5 de Ord. inst. disp. 6 sect. 6 punct. 2 pag. 443*. Van-Espen *in Jus. Eccl. par. 1 tit. 15 de Consecr. Episc. cap. 1 n. 7 et seq.* Hallier *de Sacr. ordin. par. 2 sec. 5 cap. 2 art. 2 per tot.* et præsertim §. 3, Cardinalis Gottus *Theolog. tom. 15 quæst. 5 de Episcopat. dub. 4 §. 1 et 2*, Catalanus *ad Pontif. Roman. to. 1 tit. 13 pag. 198 et seq.* Quæ postrema opinio similior veri esse videtur; et certe in sacra antiquitate non desunt exempla Episcopatum consecrationum, quæ ab uno Episcopo factæ sunt, et hæc quidem illicitæ, non tamen irritæ judicantur. Neque vero Sedes Apostolica interdum ex justa causa hujusmodi consecrationes ab uno tantum Episcopo absolvi permitteret, præsentibus duabus, tribusve Dignitatibus, si ad earum vim tres Episcopos omnino necessarios esse arbitraretur. Consule Benedictum XIV. *de Synod. dioces. lib. 15 cap. 13 n. 2 et seq.* et Cotelerium in *Constit. Apost. lib. 3 cap. 19 tom. 1 PP. Apost. pag. 292 ed. Amstelædami 1724*.

(2) In illis tamen Ecclesiæ primordiis Episcoporum consecrationes quolibet die fieri consuevisse tradit Pagius in *Baronium an. 67 n. 18 pag. 649 tom. 1 ed. Lucæ*. Certe disciplinæ, quæ nunc viget, antiquitas educi non potest ex Decretali, quam Gratianus in *can. 1 dist. 75* adscribit Anacleto Pontifici, et qua sancitum est, ut Episcopi consecratio die Dominico peragatur, nam hæc Decretalis prodiit ex officina Isidori Mercatoris.

(3) *Concil. Trident. Sess. 23 cap. 2 de Reform.*
(N. S. Altamen Alph. Sapiens sex menses, à confirmatione computandos, assignat *Leg. 27 tit. 5 Part. 1.*)

(4) *Cap. 15 de Elect.*
(5) *Cap. 2 de Transl. Episc.* Fallitur Van-Espenius in *Gratianum can. 11 cap. 7 quæst. 1*, et falluntur ceteri, quorum animis eadem hæret sententia, quod Innocentius III. in *cit. cap. 2* spirituale hoc conjugium Episcopi cum Ecclesia sua ex falsa Decretali Evaristi Pontificis in *laudato can. 11* arripuerit. Nam hujus matrimonii diserte meminere antiqui Patres, nimirum S. Cyprianus, Patres Concilii Alexandrini anni 339, S. Siricius, seu S. Inno-

centius, S. Ambrosius, S. Hieronymus, atque alii, quos enumerat Blasius de *Coll. canon. Isidor. Mercator. cap. 8 num. 2 pag. 77.* Vide etiam eundem Blasium loco indicato *not. 6, et cap. 10 num. 2 not. 1 pag. 120,* qui solide, vereque defendit Innocentium III, qui hoc *spirituale vinculum fortius, quam carnale esse dixit.*

(6) *Cap. 6 §. Cum vero de Elect.*

SECTIO II.

DE PRESBYTERORUM, ET ALIORUM CLERICORUM ORDINATIONE.

5. RITUS IN PRESBYTERORUM, ALIORUMQUE CLERICORUM ORDINATIONE OBSERVANDI.—6. TEMPUS, ET LOCUS ORDINUM CONFERENDORUM.—7. NEMO PER SALTUM PROMOVENDUS.—8. ORDINUM INTERSTITIA.—9. ORDINANDI TITULUS.—10. ET EXAMEN.—11. EPISCOPUS ALIENUM SUBDITUM ORDINARE PROHIBETUR SINE LITERIS DIMISSORIIS PROPRII EPISCOPI.—12. PENA EPISCOPI ORDINANTIS, ET CLERICI ORDINATI SINE HIS DIMISSORIIS.—13 ET 14. QUI EPISCOPUS ORDINES CONFERRE DEBEAT.—15. ETAS ORDINANDORUM.

5.

Plures etiam cæremonias adhibet Ecclesia in Presbyterorum ordinatione. Præcipuæ sunt ordinandis manus imponere, preces super eos recitare, divinum Spiritum invocare, illorum manus oleo cathecumenorum inungere, vasa demum tradere pro sacrificio. Diaconis quoque, dum ordinantur, manus imponit Episcopus (1) funduntur preces, Evangeliorum libri traduntur. In ordinatione Subdiaconorum, Acolytorum, ceterorumque clericorum traduntur instrumenta, quæ ordinis cuiusque sunt propria (2), missisque precibus eorum ordinationis perficitur (3).

(1) Diaconis tamen solus Episcopus manus imponit, uti habetur in Pontificali Romano *tit. 2. §. 8 pag. 115 tom. 1 ed. Catalani.* Presbyteris Episcopus una cum adstantibus Sacerdotibus; uti ipsum habet Pontificale Romanum *tit. 12 §. 6 pag. 129.* Verum manuum impositio, quam alii Presbyteri faciunt, solemnitas, non necessitatis est. Vide Catalanum in utrumque locum.

(2) Ita Subdiaconus accipit calicem vacuum, et patenam similiter vacuum, Acolytus ceroserarium cum cereo, et urceolos vacuos, Lector librum epistolarum, Exorcista librum exorcismorum, Ostiarius claves, et funem campanarum. In Subdiaconatu, atque in minoribus Ordinibus nulla adhibetur manuum impositio, et plane mendosa est vulgata lectio in *cap. 1 de Sacram. non iteran.* ubi Innocentius III, etiam in Subdiaconatu manuum impositionem desiderare videtur. Jampridem enim observant viri eruditi, præsertim Antonius Augustinus, et Emmanuel Gonzalez in *Not. ad d. cap. 1,* loco *Subdiaconatus* legendum esse *Diaconatum.* Græci tamen manuum impositione Subdiaconos, et Lectores ordinant, uti habetur in VII. Concil.

Oecumenico *can. 14 tom. 4 col. 496 coll. Harduini.* Ritus huic Græcorum à Latinorum ritu diversum in ordinatione Subdiaconorum, atque Lectorum, vid. in *Euchologio Goarii p. 253 et 244 Paris. 1647, et 1647, et in codice Liturgic. Assemanii lib. 8 par. 2 pag. 54 et seq.*

(3) Vid. Pontificale Roman. *par. 1 tit. 4 et seq. pag. 74 et seq. tom. 1 ed. Cathalani Romæ 1738, Concil. Carthaginense IV apud Gratianum can. 16 et seq. dist. 25. Eugenium IV in decreto Conc. Florent. apud Labbæum tom. 18 col. 22. V. quæ ad lib. 2, tit. 2, sect. 6 addemus.**

6. Dignus ordinatione locus est Ecclesia cathedralis, illaque certis, stisque diebus fieri debet (1). Majores ordines die Sabbati in omnibus quatuor anni temporibus (2), ac Sabbato sancto, et Sabbato ante Dominicam Passionis (3) inter Missarum solemnias conferuntur. Qui extra statuta tempora sacros ordines suscepit, eorum muneribus fungi (4), et Episcopus, qui in illam legem peccavit, ordines conferre prohibetur (5). Minores autem ordines quolibet die festo de præcepto etiam extra missam, sed ante meridiem conferuntur (6); tonsura autem quocumque loco, hora, die.

(1) Conc. Tridentinum *Sess. 25 cap. 8 de Reform.* Cum ab ethnicis vexaretur Ecclesia, etiam in privatis ædibus ordinationes peragebantur. S. Cyprianus *Ep. 45, 52, 68 pag. 59, 66, 112 ed. Rigaltii Paris. 1666.* Sed post ea tempora constitutum est, ut publice in Ecclesia, atque inter Missarum solemnias fierent, et ideo primum catechumeni eiciebantur. Conc. Laodicænum *can. 5* apud Labbæum *tom. 5 col. 1531 ed. Venet.*

(N. S. Nemo est qui nesciat ordinationes Sacrorum Ministrorum fieri olim solitas palam, et in totius populi conspectu, ut *sit ordinatio justa, et legitima, quæ omnium suffragio, et judicio fuerit examinata:* Cypr. *Ep. 68.* Id ipsum innuit Theophilus in *Commonit. Can. 6,* quum adserit, ordinationes habitas in *media Ecclesia,* id est, adstante universo fidelium cœtu. Etenim christiano populo, cui noti magis sunt ordinandorum mores, jus inerat scrutinii, seu examinis, vi cuius repellere poterat, quos noverat indignos: Syn. Bracar. II *Can. 5.* Eandem disciplinam confirmavit Syn. Chalced., docernens *Can. 6,* neminem nisi *manifeste* in Ecclesia, aut in Martyrio ordinandum; et Leo P. *Epist. ad Dioscor.,* quum ait, quod Sacerdotialis, vel Levitica ordinatio sub lege *Divini officii substituitur.*

Itaque per decem priora Ecclesiæ sæcula nullibi, nisi in maxima Sedis Episcopalis Ecclesia, ministrantibus clericis, plebeque præsentē, sacræ Ministrorum inaugurationes agebantur. At sæculo XI cœperunt Episcopi privatas ordinationes peragere, ut observat S. Antoninus in *Summa Part. 3 Tit. 14 Cap. 16 §. 17,* videlicet, moribus inductum esse, ut Episcopi possent, in qua maluerint Ecclesia, ordinationes celebrare.

Verum Tridentina Synodus, veterem intendens restituere ordinandi morem, decrevit *Sess. 25 Ref. cap. 8,* ut sacræ ordinationes in *Cathedrali Ecclesia, vocalis, præsentibusque ad id Ecclesiæ Canonicis, publice celebrentur; si autem in alio Diocesis loco, præsentē Clero loci, dignior quantum fieri poterit Ecclesia adeatur.* Id quod constituit dein S. Carolus Borrom. in Concil. Mediolanen. IV, et confirmavit Innocentius XIII in præf.

centius, S. Ambrosius, S. Hieronymus, atque alii, quos enumerat Blasius de Coll. canon. Isidor. Mercator, cap. 8 num. 2 pag. 77. Vide etiam eundem Blasium loco indicato not. 6, et cap. 10 num. 2 not. 1 pag. 120, qui solide, vereque defendit Innocentium III, qui hoc spirituale vinculum fortius, quam carnale esse dixit.

(6) Cap. 6 §. Cum vero de Elect.

SECTIO II.

DE PRESBYTERORUM, ET ALIORUM CLERICORUM ORDINATIONE.

5. RITUS IN PRESBYTERORUM, ALIORUMQUE CLERICORUM ORDINATIONE OBSERVANDI.—6. TEMPUS, ET LOCUS ORDINUM CONFERENDORUM.—7. NEMO PER SALTUM PROMOVENDUS.—8. ORDINUM INTERSTITIA.—9. ORDINANDI TITULUS.—10. ET EXAMEN.—11. EPISCOPUS ALIENUM SUBDITUM ORDINARE PROHIBETUR SINE LITERIS DIMISSORIIS PROPRII EPISCOPI.—12. PENA EPISCOPI ORDINANTIS, ET CLERICI ORDINATI SINE HIS DIMISSORIIS.—13 ET 14. QUI EPISCOPUS ORDINES CONFERRE DEBEAT.—15. ETAS ORDINANDORUM.

5.

Plures etiam caeremonias adhibet Ecclesia in Presbyterorum ordinatione. Praecipuae sunt ordinandis manus imponere, preces super eos recitare, divinum Spiritum invocare, illorum manus oleo cathecumenorum inungere, vasa demum tradere pro sacrificio. Diaconis quoque, dum ordinantur, manus imponit Episcopus (1) funduntur preces, Evangeliorum libri traduntur. In ordinatione Subdiaconorum, Acolytorum, ceterorumque clericorum traduntur instrumenta, quae ordinis cuiusque sunt propria (2), missisque precibus eorum ordinationis perficitur (3).

(1) Diaconis tamen solus Episcopus manus imponit, uti habetur in Pontificali Romano tit. 2. §. 8 pag. 115 tom. 1 ed. Catalani, Presbyteris Episcopus una cum adstantibus Sacerdotibus; uti ipsum habet Pontificale Romanum tit. 12 §. 6 pag. 129. Verum manuum impositio, quam alii Presbyteri faciunt, solemnitatis, non necessitatis est. Vide Catalanum in utrumque locum.

(2) Ita Subdiaconus accipit calicem vacuum, et patenam similiter vacuum, Acolytus ceroferarium cum cereo, et urceolos vacuos, Lector librum epistolarum, Exorcista librum exorcismorum, Ostiarius claves, et funem campanarum. In Subdiaconatu, atque in minoribus Ordinibus nulla adhibetur manuum impositio, et plane mendosa est vulgata lectio in cap. 1 de Sacram. non iteran., ubi Innocentius III, etiam in Subdiaconatu manuum impositionem desiderare videtur. Jampridem enim observant viri eruditi, praesertim Antonius Augustinus, et Emmanuel Gonzalez in Not. ad d. cap. 1, loco Subdiaconatus legendum esse Diaconatum. Graeci tamen manuum impositione Subdiaconos, et Lectores ordinant, uti habetur in VII. Concil.

Oecumenico can. 14 tom. 4 col. 496 coll. Harduini. Ritus hunc Graecorum à Latinorum ritu diversum in ordinatione Subdiaconorum, atque Lectorum, vid. in Euchologio Goarii p. 253 et 244 Paris. 1647, et 1647, et in codice Liturgie. Assemanii lib. 8 par. 2 pag. 54 et seq.

(3) Vid. Pontificale Roman. par. 1 tit. 4 et seq. pag. 74 et seq. tom. 1 ed. Cathalani Romae 1738, Concil. Carthaginense IV apud Gratianum can. 16 et seq. dist. 25. Eugenium IV in decreto Conc. Florent. apud Labbaeum tom. 18 col. 22. V. quae ad lib. 2, tit. 2, sect. 6 addemus.

6. Dignus ordinatione locus est Ecclesia cathedralis, illaque certis, stisque diebus fieri debet (1). Majores ordines die Sabbati in omnibus quatuor anni temporibus (2), ac Sabbato sancto, et Sabbato ante Dominicam Passionis (3) inter Missarum solemnias conferuntur. Qui extra statuta tempora sacros ordines suscepit, eorum muneribus fungi (4), et Episcopus, qui in illam legem peccavit, ordines conferre prohibetur (5). Minores autem ordines quolibet die festo de praeepto etiam extra missam, sed ante meridiem conferuntur (6); tonsura autem quocumque loco, hora, die.

(1) Conc. Tridentinum Sess. 25 cap. 8 de Reform. Cum ab ethnicis vexaretur Ecclesia, etiam in privatis aedibus ordinationes peragebantur. S. Cyprianus Ep. 45, 52, 68 pag. 59, 66, 112 ed. Rigaltii Paris. 1666. Sed post ea tempora constitutum est, ut publice in Ecclesia, atque inter Missarum solemnias fierent, et ideo primum catechumeni eiciebantur. Conc. Laodiceum can. 5 apud Labbaeum tom. 5 col. 1531 ed. Venet.

(N. S. Nemo est qui nesciat ordinationes Sacrorum Ministrorum fieri olim solitas palam, et in totius populi conspectu, ut sit ordinatio justa, et legitima, quae omnium suffragio, et judicio fuerit examinata: Cypr. Ep. 68. Id ipsum innuit Theophilus in Commonit. Can. 6, quum adserit, ordinationes habitas in media Ecclesia, id est, adstante universo fidelium cœtu. Etenim christiano populo, cui noti magis sunt ordinandorum mores, jus inerat scrutinii, seu examinis, vi cuius repellere poterat, quos noverat indignos: Syn. Braear. II Can. 5. Eandem disciplinam confirmavit Syn. Chalced., docernens Can. 6, neminem nisi manifeste in Ecclesia, aut in Martyrio ordinandum; et Leo P. Epist. ad Dioscor., quum ait, quod Sacerdotialis, vel Levitica ordinatio sub lege Divini officii substituitur.

Itaque per decem priora Ecclesiae saecula nullibi, nisi in maxima Sedis Episcopalis Ecclesia, ministrantibus clericis, plebeque praesente, sacrae Ministrorum inaugurationes agebantur. At saeculo XI coeperunt Episcopi privatas ordinationes peragere, ut observat S. Antoninus in Summa Part. 3 Tit. 14 Cap. 16 §. 17, videlicet, moribus inductum esse, ut Episcopi possent, in qua maluerint Ecclesia, ordinationes celebrare.

Verum Tridentina Synodus, veterem intendens restituere ordinandi morem, decrevit Sess. 25 Ref. cap. 8, ut sacrae ordinationes in Cathedrali Ecclesia, vocalis, praesentibusque ad id Ecclesiae Canonicis, publice celebrentur; si autem in alio Diocesis loco, praesente Clero loci, dignior quantum fieri poterit Ecclesia adeatur. Id quod constituit dein S. Carolus Borrom. in Concil. Mediolanen. IV, et confirmavit Innocentius XIII in praef.

Constit. Apostolici Ministerii §. 17. Equum est ergo, ut Episcopi publicas celebrent ordinationes in Cathedrali Ecclesia, atque intra Missarum sollempnia, ministrantibus Canonicis. Videsis Hallerium de *Sacr. Election. Sect. 4 Cap. 2 art. 1 §. 5*. Hæc de sacrorum ordinum inaugurationibus intelligas necesse est; inferiores enim constat collatos nonnumquam fuisse privatim, nec ipso excepto Subdiaconatu: Haller. *ubi supra*.)

(2) Apostolos orantes, et jejunantes manus imposuisse, scriptum est in Act. 13. 5. Apostolorum exemplo, Ecclesia jejunia instituit quatuor temporum, ut populus per hæc pœnitentiæ opera bonos Ecclesia ministros à Deo impetrare possit. Hinc S. Carolus Borromeus in suo Concilio Provinc. II tit. 1 decret. 21 jussit, ut dominico die, qui stala quatuor temporum jejunia, quibus ordinis sacramentum administratur, antecedit, Parochi in sua unusquisque eorum Parochiali Ecclesia supplicationes, litaniasque pie, ac religiose vel intus habeat, vel prosequente fidelium multitudine foris Ecclesiam, sicut moris, obeat; ut Dei, Sanctorumque ope implorata, tum Episcopus in eorum delectu, quibus ordines conferet, Spiritus S. lumine illustretur, tum illi, quibus conferuntur, in vitæ sanctitate, doctrina, religiosisque virtutibus proficiant. Idemque habetur in Concil. Mediolanensi IV. tit. Quæ pertinet ad Sacram. ordin. Hinc putarunt aliqui, jejunia quatuor temporum primum à S. Carolo in Ecclesia Mediolanensi fuisse instituta; sed eos late refellit Justus Fontaninus *Dissert. de Coron. ferrea Longob. cap. 3 n. 5 pag. 69 et 70*. Porro in Ecclesia Romana quinto saltem sæculo generatim obtinuisse jejunium quatuor temporum, ostendunt sermones S. Leonis, præsertim sermo 86 et seq. de *Jejun. septimi mensis col. 540 sermo 12, 15, 19 et 20 de Jejun. 10 mensis col. 59, 45, 59, 62 tom. 4 ed. Ballerin. Venet. 1755*. Alia bene multa S. Leonis testimonia refert Card. Cozza de *Jejun. par. 2 art. 9 num. 7 pag. 104 et seq.* In jejunii mensibus, Junio videlicet, Septembri, Decembri, eadem erat omnium Ecclesiarum ratio, et consuetudo; sed dissimilis erat disciplina in hebdomada designanda, uti post Sirmondum ad *Ep. 23 lib. 3 Goffrid. Vindocin. in Bibl. PP. t. 21 p. 105 ed. Lugd. observat Card. Bona *Rec. liturg. l. 2. c. 16 §. 4 tom. 3 pag. 545*. Solemnis erat denunciandi jejunii formula; aliam habet Card. Bona *loc. cit.* et aliam Muratorius in *Liturg. Rom. vet. tom. 1 col. 605*.*

(3) Quovis die Apostolos ordinationem absolvisse, putat Haller de *Sacr. elect. et ord. tit. de Tempor. sacr. ordin. art. 2 n. 6*. Quidam vero sunt, qui olim à Romanis Pontificibus tantum mense Decembri exactas ordinationes putant; sed eos refellunt Pagius in *Breviar. gest. Pontif. Roman. to. 1 in vit. S. Simplicii*; Haller *loc. cit. par. 2 sect. 7 art. 2 cap. 1 §. 5 num. 6*. Porro S. Leo M. apud Gratianum *can. 4 et 5 dist. 75* tradit dissertissime, vetustam esse, atque à Patribus acceptam consuetudinem, quod ordinationes non passim diebus omnibus expediuntur, sed die dominicæ Resurrectionis (qualis olim dicebatur quilibet dies Dominicus), cui à vespere Sabbati initium constat adscribi. Primus Gelasius I. apud Gratianum *can. ult. dist. 75* constituit, ut ordinationes fierent jejunio mensis quarti (hoc est Junii, quoniam olim Christiani, exemplo Romanorum, à mense Martio annum inchoabant) septimi, hoc est, Septembris, decimi, hoc est, Decembris, et quadragesimalis initii, hoc est, primæ hebdomadæ quadragesimæ, ac medianæ hebdomadæ, idest, Sabbati ante Dominicam Passionis quintam Quadragesimæ, quæ mediana quoque Dominica dicitur, quia in ejusdem lectionibus commemoratur luna quartadecima, et quintadecima, quæ sunt medietas periodi lunaris. Quamquam vero in hac epistola nulla sit

mentio Sabbati Sancti, tamen eo quoque die à Gelasio permissas Presbyterorum, et Diaconorum ordinationes, putat Christianus Lupus in *cal. Schol. ad decret. 3. S. Leonis IX. in respons. ad 2 quest. tom. 4 pag. 299 ed. Venet.* Sed clarius deinde Alexander III. ordinationis tempora constituit in *cap. 3 de Tempor. ordin.*, eum inquit quod ad Subdiaconatum, et ceteros majores ordines, nisi quatuor temporibus, aut Sabbato sancto, vel in Sabbato ante Dominicam de Passione nulli Episcoporum, præterquam Romano Pontifici, licet aliquos ordinare.

(N. S. Horam quod spectat, antiquitus vespere Sabbatum sequente ordinatione inchoabatur, continuato jejunio, quod ex Apostolorum emanare doctrina censet Leo P. *Epist. ad Diosc. Alexand. Cap. 1*, eo quod illi jejunantes, et orantes Paulum, et Barnabam ordinarerint: *Act. 13 v. 3*, et ad diei Dominicæ mane protrahatur, et quidem ut ordinatus vel consecraret, vel certe sacram Eucharistiam participare posset: Theodoret. *Histor. Relig. cap. 15*, Epiphani. *Epist. ad Joan. Hierosolymit.* Ne autem jejunii continuatio ad matutinas usque diei Dominicæ horas ordinantes, et ordinandos defatigaret, ordinationes ipsius Sabbati vespere adfixæ sunt. Demum sequitis temporibus, ad tertiam diei Dominicæ horam consecrationes Episcoporum, et generales ordinationes clericorum ad matutinas Sabbati horas translatae sunt.

Illud hic juvat animadvertere, Græcos antiquum adhuc morem servare: scilicet, ut nullum ordinationibus præstitutum habeant diem: id quod ipsi Summi Pontifices Cælestinus III, et Innocentius III agnovere: *Cap. 9, et 11 de Temporib. Ordin. Verum in Quadragesima solis Sabbatis, Dominicis, et Anuntiationis B. V. Mariæ festo Presbyteratum, et Diaconatum conferunt. Etenim æque ac Latini in pleno sacrificio ordinationes celebrant. Porro in aliis Quadragesimæ diebus, in quibus jejunium exacte custodiunt, præsanctificata tantum participant.*)

(4) *Cap. 2 et cap. 8 de Tempor. ordinat.* Potest tamen Episcopus ordinatum ab ea pœna post actam pœnitentiam liberare, uti in *cap. 16 eod. tit. sancitum est à Gregorio IX.*, emmendata ea in re Decretali, quæ est in *cit. cap. 8*, per quam hæc clerici restitutio Sedi Apostolicæ fuerant reservata. Ex quamvis Sixtus V *Constit. Sanctum et salutare 140 pag. 40 tom. 5 par. 1 Bullarii*, eam rem similiter Sedi Apostolicæ reservasset, tamen huic Constitutioni derogavit recentior Constitutio Romanum Pontificem 121. Clementis VIII. *pag. 97 tom. 5 part. 2 Bullarii*.

(5) *Cap. de Tempor. ordinat.* Quemadmodum autem Summus Pontifex extra tempora à Jure constituta sacros ordines conferre potest, ita Episcopis conferendi tribuit facultatem, quod præstat literis Apostolicis in forma Brevis, quas vulgo extra tempora appellamus. Quæ facultas conceditur justis de causis, quas numerat Congregatio particularis habita, Innocentio XII. Pontifice, apud Rigantium ad *Regul. 24 Cancellar. §. 1 num. 44 tom. 2*.

Ex Brevi Pont. Clementis XIII. 13 Dec. 1766 (*leg. 4 tit. 4 lib. 2 Novis. m9 ital.*) §. 9. *Apost. in Hisp. Nuntio facultas conceditur ut arctatis ad ordines recipiendos beneficiatis, eos extra tempora conferri permittat.*

(6) *Cap. 3 de Tempor. Ordin. Ordinat.* Quæ Decretalis non ita est intelligenda, ut Episcopus eadem die uni clerico plures minores ordines conferat, nullis servatis interstitiis, quæ etiam in minoribus ordinibus servari jubet Synodus Tridentina *c. 11 sess. 25 de Reform.*, nisi aliud Episcopo magis expedire videatur. Nam ea non ad unum pertinet clericum, sed ad plures, qui ordines erant suscepturi, atque id sibi voluit Pontifex, ut plures quidem minores

eadem die, sed uni clerico unus, alteri alter recte tribueretur. Non igitur, ut quidam putant, huic Decretali ea in re à Tridentina Synodo derogatum est.

7. Gradatim præterea conferendi sunt ordines: et qui ad majorem ordinem, neglectis mediis, adscendit, quem *per saltum promotum* dicimus (1), is, si dolo careat, tamdiu suscepti ordinis munus exercere prohibebitur, quamdiu labatur tempus necessarium ad ordinem, quem omisit; et si non ministraverit, poterit cum eo Episcopus, ut inquit Synodus Tridentina (2), *ex legitima causa dispensare*.

(1) Vox hæc *per saltum promotus*, quæ habetur etiam in titulo Decretali *de clerico per saltum promotus*, est sane vetus apud Ecclesiasticos Scriptores, extatque in decretis Siricii *cap. 43* apud Pithœum *Codex canon. Eccles. Rom. pag. 190 Paris. 1687*. Elegantius Alexander II. in *can. 1 dist. 52 præposterum cursum* vocat, hoc est inversum cursum, atque ordinem ab antiquis canonibus constitutum, quem progressum vocat Concilium Sardicense *can. 10 t. 2 col. 665 collect. Labbæi*; cui consonat Braconense II, *cap. 20*, alias *can. 37*. Mandat autem Alexander Constantiensi Episcopo, ut eum, qui omisso ordine Subdiaconatus *negligentia potius, quam superbia*, Diaconatum, Presbyteratumque susceperat, ab officio sacerdotali prohibeat, *donec proximo quatuor temporum jejunio Subdiaconatus ministerium sibi rite imponas, et sic deinceps, ad majora officia eum redire concedas*. Hæc recentior disciplina ab antiqua distat, quod nunc nullus ex inferioribus ordinibus omitti potest, antequam superiores accipiantur; sed olim minor aliquis ordo impune omittebatur, si qui satis probatus esset, adeo ut superiori ordine dignus videretur, ut ostendit Morinus *de Ss. Ordinat. par. 3 exerc. 11 cap. 2 et 3*.

(N. S. Quam ætate constans, et communis hæc disciplina invaluerit, obscurum est: at verosimilius sæculo XI; Contendit Pagius, *Breviar. Hist. chron. in Sabiniano*, Gregorium VII primum fuisse, qui ex Diacono in Pontificem electus, prius in Presbyterum ordinatus sit, et altera die Pontifex consecratus: quum superioribus sæculis tum qui ex Diaconis, tum qui ex Presbyteris in R. Pontifices eligerentur, nonnisi una, solaque Episcopali benedictione consecrari consueverint, ut pluribus idem Auctor id probare conatur.)

(2) *Sess. 25 cap. 15 de Reform.* Quod tamen ita est intelligendum, ut Episcopus post susceptum ordinem, quem omisit, facultatem tribuat ministrandi in ordine per saltum suscepto, non ut ordinatus, antequam inferiorem ordinem omissem suscipiat, ad superiorem evehatur. Confer etiam Clementis VIII. *cit. Const. Romanum Pontificem*, qua Episcopis restituta est facultas ea in re dispensandi, quam uni Sedi Apostolicæ reservaverat Sixtus V. *cit. Const. Sanctum et salutare*.

Qui tamen absque prima Tonsura minores ordines recepit, suspensioni, de qua hic agitur, minime subjacet; cum tonsura, saltem in odiosis, *ordinis* nomine non comprehendatur.

8. Sed et certa intervalla temporum, quæ *interstitia* vocan-

tur, inter unum, atque alterum ordinem debent intercedere, eaque non tantum in majoribus, sed etiam in minoribus ordinibus servanda sunt. Vetus in Ecclesia est lex interstitiorum (1); et licet olim aliqui interdum minores ordines impune omittentur (2), nunquam tamen recte quis poterat, nullo interjecto spatio, pluribus ordinibus initiari (3). Hodie minorum ordinum interstitia Episcopi arbitrio permissa sunt (4), quod arbitrium tam late patere non debet, ut sine justa causa nulla adhibeantur. Quod attinet ad interstitia majorum ordinum, saltem unius anni spatium inter unum, atque alterum ordinem debet intercedere, nisi aliud Episcopo videatur ob Ecclesiæ utilitatem, ac necessitatem (5).

(1) Confectam esse epistolam Caji Pontificis apud Gratianum *can. 1 dist. 77*, jam pridem animadverterunt viri eruditi; sed tamen interstitiorum mentio est apud Siricium, ac Zosimum *d. dist. 77 can. 2 et 3*, in Concilio Sardicensi *can. 10 col. 666 tom. 2 collect. Labbæi ed. Venet.* in VIII. Synodo œcumenica *can. 5* apud eund. Labbæum *to. 10 col. 655*, et in Capitular. Regum Francor. *lib. 7 cap. 42* apud Baluzium *tom. 1 pag. 695 ed. Venet. an. 1772*. Antiquam vero de interstitiorum tempore Ecclesiæ disciplinam explicat diligenter Thomassinus *Vet. ac nov. Eccles. disciplin. part. 1 lib. 2 c. 55 et 56*, Hallier *de Sacram. elect. et ordinat. tit. de Tempor. sacr. ordinat. sec. 7 cap. 2 art. 7*, Juenin *de Sacram. Dissert. 3 quæst. 8 cap. 5. de Sacram. ordin. in comun.*

De interstitiis vid. Syn. Barcinonens. an. 599, *can. 5.*

(2) Vide S. Thomam in *Suppl. quæst. 35 art. 5 num. 50*, Juenin *de Sacram. loc. cit. cap. 4* Morinum *de Sacram. Ordinat. par. 3 exerc. 11 cap. 2*.

(3) Vide Thomassinum *Vet. ac nov. Eccles. disciplin. par. 1 lib. 2 cap. 55*.

(4) Concilium Tridentinum *Sess. 25 cap. 11 de Reform.* satis perspicue declaravit, etiam in minoribus ordinibus interstitia esse servanda, cum eos conferri jussit *per temporum interstitia*; verum nullam certum eorum tempus definiit, remque totam Episcopi arbitrio permisit.

(5) Conc. Trident. *Sess. 25 cap. 11, 13, 14 de Reform.* Haud tamen Episcopo licet plures uno die majores ordines conferre. Ceterum hic interstitiorum annus, qui inter unum, atque alterum majorem ordinem debet intercedere, est annus ecclesiasticus, ideoque ordinatus Diaconus in quatuor temporibus Quadragesimæ recte ordinatur Sacerdos in quatuor temporibus Quadragesimæ anni consequentis, licet Pascha celerius advenerit, uti sequendum sententiam Sac. Congregationis Concilii, monet Fagnanus in *Cap. Literas num. 2 de Tempor. ordinat. et in Cap. Ad nostram num. 13 vers. et confirmatur de Regular.*

9. Ne autem clericus, cum dedecore sui ordinis, aut stipem quærere, aut sordidum aliquod munus exercere cogatur, nemo sacris est initiandus ordinibus, exceptis Regularibus (1), nisi beneficium (2) habeat, aut pensionem, aut patrimonium (3),

quod suppeditet ad cultum, et ad victum, quodque nullis sub-
jici oneribus, neque alienari potest, nisi clericus aliunde ha-
beat, quod suppetat ad decentem ejus tuitionem (4). Qui decep-
to Episcopo falsum obtulit, aut simulatum patrimonium, sus-
penditur à susceptis ordinibus, donec illud integrum, atque le-
gitimum obtineat (5); et Episcopus, qui sciens prudens clericum
sine beneficio, aut patrimonio ordinavit, cogitur ei præstare ne-
cessaria ad vitam honeste transigendam, donec aptum, atque
conveniens beneficium consequatur (6).

(1) Regulares paupertatis titulo ordinari compertum est; verum eos,
qui professionem non emisissent, vel exire, aut dimitti à claustris possunt,
titulo hoc paupertatis ordinari vetuit S. Pius V in *Const. Romanus Pontifex*
102 tom. 4 par. 3 pag. 46.

(2) *Nullum absolute ordinari*, inquit Concilium Chalcedonense *can. 6*
apud Labbæum tom. 4 col. 1635 ed. Venet. nec *Presbyterum, nec Diaconum*,
nec omnino aliquem eorum, qui sunt in ordine ecclesiastico, nisi
specialiter in Ecclesia civitatis, vel pagi, vel martyrio, vel monasterio
is, qui ordinatur designetur. Eos autem, qui absolute ordinantur, decrevit
S. Synodus irritam, ac invalidam habere ejusmodi manuum impositionem,
et nusquam exercere, ac operari posse ad ejus, qui ordinavit, injuriam.
Eadem habet Concilium Francofordiense *can. 28 col. 105 eod. loco*. Aliquem
absolute ordinare idem erat atque ordinare sine titulo, hoc est nulla desig-
nata Ecclesia, cui perpetuo addictus esse, ac servire deberet. Nam *titulus*
eamdem ac Ecclesia significationem habebat. Baronius *ad an. 112 num. 5 tom.*
2 pag. 68 ed. Lucæ. an. 1758 hujus nominis rationem affert hujusmodi. Quem-
admodum, inquit, Fiseus imposito titulo, hoc est velis quibusdam, in
quibus Imperatoris imago, aut nomen inscripta, inscriptumque erat, rem
sibi addicebat, ita Christiani crucis imagine, aut Christi nomine Ecclesie
inscripto, locum aliquem divino cultui addictum significabant. Sed credibile
non est, Christianos ea tempestate, qua ethnici imperio potiebantur, signa
illa in suis Ecclesiis ante omnium oculos ponere voluisse; nisi forte dica-
mus, hæc signa tantum Christianis nota fuisse. Rectius Mabillonius *Comment.*
in ordin. Roman. cap. 3, et Bertius *Hist. Eccles. 2 sæc. tom. 2 dissert. 1*
num. 5 pag. 40 ed. Bassani 1769; titulos fuisse observant loca Deo conse-
crata, quæ sacerdotes, et ministros sibi addictos habebant. Nam et lapis
erectus, et Deo consecratus à Jacob in Bethel, Titulus dicitur *Genes. c. 28*
v. 18 et 22, atque aræ similiter, et delubra idolorum *Levit. cap. 26 v. 1*,
et numer. cap. 55 v. 52. Tituli appellantur. Pauca hæc de Titulis dicenda
putavi; nunc ad rem redeo. Omnes igitur clerici in ordinatione certæ ad-
scribebantur Ecclesie, quam deserere non poterant, nisi ab Episcopo dimissi
fuissent, quo spectabant veteres *litteræ dimissoriæ*. Quare clericos, qui
sine Episcopi venia à suis Ecclesiis discesserant, ad eas redire cogunt, et
pœnis etiam coercent S. Leo M. *Ep. 1 cap. 5 col. 590 tom. 1 opp. ed. Balle-*
rin. Venet. 1755, S. Gregorius M. *lib. 9 Ep. 65 col. 981 tom. 2 ed. Mau-*
rin. Paris. 1705, Concilium Arelatense *Can. 21 col. 1455 tom. 1*, et Fran-
cofordiense *Can. 27 ejusd. Collect. Labbæi*. Quod idem sancitum est *Novel.*
5 cap. 2, et in Capitularibus Regum Francorum apud Baluzium *tom. 1 Ca-*
pitul. 1 an. 789, cap. 24 col. 165, Capitul. an. 791 c. 26 col. 193, Capi-

tul. 1 incerti an. cap. 11 col. 551 Capitul. Caroli M. lib. 1 cap. 3 col. 475
ed. Venet. an. 1772. Ordinatorum titulos populo nunciabat Archidiaconus
ea formula, quam describunt Romani Correctores in *Can. 1 dist. 70*. Ab
Ecclesie titulo non præcise aberat titulus Monasterii. Quidam enim ordina-
bantur, ut sacra conficerent in sacellis Monasteriorum, et ii quidem his sa-
cellis erant addicti, ut ceteri clerici Ecclesiis suis. Non desunt tamen exem-
pla quorundam, quorum insignis pietas, atque doctrina, propter quam Ec-
clesie universæ utiles videbantur, ab Episcopis impetrare potuit, ut in or-
dinatione nulli certæ Ecclesie adscriberentur. Ita Paulinus *Ep. 6 p. 7, ed.*
Veron. 1756 de ordinatione, qua insignitus est à Lampio Barcinonensi, ha-
bet hæc: *Ea conditione in Barcinonensi Ecclesia consecrari adductus sum,*
ut ipsi Ecclesie non alligarer; in sacerdotium tantum Domini, non etiam
in locum Ecclesie dedicatus. (Verum non admodum probata fuit Siricio P. id
genus ordinatio; nunquam enim adduci potuit, ut Paullinum, qui Romam ve-
nerat, in communionem reciperet, de quo acriter conqueritur: *Ep. 5, alias*
1, num. 14. N. S.) Eademque lege Hieronymus à Paullino Episcopo Antioche-
no ordinatus est. Erant tamen hæc exempla præter communem consuetudi-
nem, à qua se recte discedere Episcopi putabant posse, ut morem gererent
illis, quos Ecclesie universæ utiles fore prospiciebant. Verum ea disciplina,
per quam nemo ordinabatur, nisi certæ adscriberetur Ecclesie, cui perpetuo
addictus esse deberet, generatim obtinuit, eaque vigeat adhuc sæculo
XI, uti patet ex Concilio Placentino apud Gratianum *Can. 2 dist. 70*, et
Claramontano *Can. 15* apud Labbæum *tom. 12 col. 851*. Eodem autem redi-
bat Ecclesie, ac Beneficii titulus; nam qui certæ adscribebatur Ecclesie,
ei de ipsius Ecclesie redditibus alimenta præstabantur; quæ præstationes be-
neficii loco erant. Nunc, ut recte animadvertit Benedictus XIV. *de Synod.*
dioces. lib. 11 cap. 2 num. 8 et seq. cum instituta sint beneficia simplicia,
quorum Rectores residentie onere non obstringuntur, cum item patrimonii
ordinationis titulum præbeant, non ea potest retineri generatim Chalcedo-
nensis Concilii lex, ut scilicet nullius ordinatio habeatur, nisi mancipetur
certæ alicujus Ecclesie ministerio, quod ipse deserere nusquam possit. Ve-
rum nunc etiam eo jure utimur, ut omnes clerici in ordinatione certæ Ec-
clesie adscribantur, quod quidem jus est constitutum à Concilio Tridentino
Sess. 25 cap. 16 de Reform. ab Innocentio XIII. *Constit. Apostolici minis-*
terii 54 §. 5 Bullar. Roman. ult. edit. tom. 11 pag. 259, à Benedicto XIII.
Constit. In supremo militantis 51 §. 2 loc. cit. pag. 380, et in *Concil.*
Roman. tit. 6 cap. 2 de Etat. et qualit. præficiend. Atque hæc adscriptio
non ea quidem omnia efficit, quæ à Concilio Chalcedonensi, vetustisque ca-
nonibus sancita erant, sed tamen clericus servire debet Ecclesie, cui in or-
dinatione adscriptus est, præsertim si ea Parochialis sit. Nam clericus sus-
ceptos ordines in ea debet exercere, tum suam Parochia operam præbere,
cum pueros rem christianam docet, cum sacris in Ecclesia muneribus fungit-
ur, cum ad ægrotos desert sanctissimum Eucharistie sacramentum. Omnis
clericus, qui non hæc sese præstitisse demonstraverit, non est ad superio-
res ordines traducendus.

(3) Patrimonii titulo occasionem dedisse videtur Alexander III. in *Cap. 4*
de Præben., cum Episcopum, qui clericum sine beneficio ordinaverat, libe-
rat à pœna eidem suppeditandi necessaria, donec ecclesiasticum beneficium
obtinerit, quo sese alere honeste possit; nisi forte talis, qui ordinatur,
extiterit, qui de sua, vel paterna hereditate subsidium vite possit habere.
Si recte Alexandri mentem inspiciamus, non hic profecto ipse patrimonii ti-
tulum instituit, sed tantum proponit casum, quo Episcopus ab ea pœna libe-

retur. Verumtamen Canonistæ, hoc freti decreto Alexandri, indiscriminatim ordinari putarunt clericos vel beneficii, vel patrimonii titulo; sed Concilium Trident. *Sess. 21 cap. 2 de Reform.* statuit: *Ne quis clericus sæcularis ad sacros ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere... Patrimonium vero, vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illos, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate ecclesiarum suarum.* Quibus ex verbis manifestum est, recte definitum à Sac. Congregatione Concilii, apud Fagnanum *in cap. 4 de Præben. num. 24*, ex sententia Synodi Tridentinæ beneficii titulum legitimum, atque ordinarium esse, titulum vero patrimonii, ac pensionis extraordinarium, ac veluti *ex dispensatione* admitti, cum nimirum Episcopus pro Ecclesiæ utilitate, aut necessitate aliquem ordinandum esse judicaverit.

(N. S.) Quis silentio prætereat, Gratianum & Chalcodon. Canonem suo inseruisse Decreto *in Can. 1 Distinct. 70*, et loco *Pagi* perperam possessionis legisse? Atque hinc factum, ut contra Canonis mentem, et illius ævi disciplinam, aliquem ad titulum possessionis, sive patrimonii ordinari posse, Glossa crediderit. Profecto hoc Chalced. Canone constituti ordinandorum tituli, si patrimonii excipias, qui ad finem usque sæculi XII, et XIII jam incunte non invaluit... Patrimonii, vel Pensionis titulus ideo inventus est, et à Syn. Trid. probatus, ne ob Beneficiorum raritatem necessario Ecclesiæ servitio Ministri deessent. Unde qui Patrimonii, vel Pensionis titulo ordinati sunt, non minus Ecclesiæ, cui tanquam necessarij adscripti sunt, adligati esse debent, quam Beneficijarii. Syn. Prov. Tolet. an. 1562 Act. 5 Decret. 52 alias 55. *Ea vero deputatio, aut, in Litteris Ordinum testimonialibus adscribatur, ut Visitatores à singulis ejus Ministerii rationem exigant. Quod si inconsulto Episcopo locum, cui adscripti sunt, deseruerint, eis, ex præscripto Tridentinæ Synodi, Sacrorum exercitium interdicitur.* Sed quia plerumque evenire solet, ut nonnulli se ipsos fallentes, non Deum, simulatis donationibus, cum tacito, vel expresso restituendi pacto, vel falsis etiam de industria conquisitis testibus, aliisque fraudibus conficta Patrimonia... ordinationis causa producant; si quis post hac (ita in Decret. præced.) falsa, confictaque hujuscemodi Patrimonia, vel commodata Beneficia, ut ordinetur, attulerit, ab executione ordinum ipso facto, quoad Ordinario visum fuerit, suspensus existat, ac præterea arbitrariis pœnis severe mulctetur. Hæc Tridentinæ Sanctiones de adscribendis cuidam Ecclesiæ ordinandis firmatæ sunt, Bulla Apostolici Ministerii lanoe. XIII §. 5; et Concordato an. 1757 Art. 4, et 9, etiam ad ordines minores, primamque Clericalem Tonsuram extensæ sunt.)

Reg. decretum 50 April. 1852, adsentiente Apost. Nuntio latum, Prælatorum ius patrimonii titulo, juxta Trid. sanctionem, ordinandi, aperte agnovit. Eo tamen in casu exegit, ut annuus patrimonii reditus non minor sit centum ducatis (1,100 reales); ut ordinatus probet se in qualibet Universitate aut Seminario eccles. scient. incumbere, necnon ætatem aliasque à SS. canonibus præscriptas qualitates habere; denique ut quicumque tali titulo ordinetur, alicui paræciæ adscribatur, ut ibi sub proprio Presbytero deserviat, et quodlibet aliud officium, quod pro Eccles. necessitate aut utilitate Prælati ei deferat, adimplere teneatur.

(N. S. Pro Hisp. Tridentini Decretum, quod ordinationem sine titulo vetat, Constit. Apostolici Ministerii, altera Benedicti XIII confirmata, renovatum est, et statutum ne quis nec ad ipsam clericalem tonsuram admittatur, nisi 1 cui mox conferendum sit Beneficium, aut qui studiorum causa in

via sit ad ordines suscipiendos: 2 Qui utilis, vel necessarius sit Ecclesiæ. 3 Qui alicui adscribatur Ecclesiæ.

Ad primum quod attinet, *Articulo 5* Concordati an. 1757 (*Leg. 4 tit. 12 lib. 1 Novis. Compil.*) constitutum est, ut nullus, quamvis idoneus, sacris initiatur Ordinibus, quin pacifice possideat Beneficium, idque congruum secundum taxam vel à Synodo, vel à consuetudine præfixam, quæ quidem augeri oporteret ab Episcopis, uti monuit Supremus Castellæ Senatus 12 Junii an. 1769; *Leg. 2 tit. 16 lib. 1 Novis. Compil.* Congruum utique Beneficium requiritur, quum Beneficia, quæ tertiam non superent congruam partem, ad Legata pia reducenda sint; quæ vero sint citra congruam supprimenda sint ex ejusdem Constitut. §. 7, Regioque Decreto 5 Maii an. 1766; *Leg. præcit.* Præterea, constitutum est, quod nulli conferri possit Beneficium Ecclesiasticum, etiam minoribus initiato ordinibus, nisi qui ad quatuordecim ætatis annos advenit; quod jam prius decreverat Trident. *Sess. 25 Reform. cap. 6.* Taxa quoque patrimonii Clericalis in eodem Concordati articulo constituta est; scilicet, ut ejus reditus non sint ultra sexaginta scutorum Romanorum summam; et prohibita sunt etiam sub excommunicationis pœna, Nuntio Apostolico reservata, donationes, quæ patrimonii occasione fieri solebant; *Legg. 5 et 4 tit. 2 ejus. lib.* Insuper vetita est patrimonii renuntiatio ante obtentam aliunde congruam, et patrimonii administratio, quæ patrimonii donatori traditur, idque sub pœna Commissi; *leg. 2, laud. tit. 12.*

Quantum spectat ad secundum, Regio Decreto 6 Maii an. 1766 præscriptum est locorum Ordinariis, neminem sacro Presbyteratus ordine inaugurandum, cui non possit licentia pro fidelium Confessionibus audiendis conferri, ita ut ad animarum curam, simul ac oporteat, exercendam paratus sit; *leg. 8 tit. 8 lib. 1 ibid.*

Quoad tertium, Supremus Hispaniæ Senatus sæpius indixit Clericis, qui Matrimonium conflexerant, nec ulli adligati erant Ecclesiæ, ut ad proprias redirent; simulque Diocesanos ea de re admonuit; *eadem leg. 8; legg. tit. 15, repet. lib. 1.*

(4) Synodus Tridentina *loc. cit.* tantum in majoribus ordinibus titulum postulat beneficii, pensionis, aut patrimonii; sed in locis compluribus, sive lege, quam multi cum Glossa repetunt *ex cap. 2 de Præben.*, ubi ea in re nullum inter majores, minoresque ordines discrimen constituitur, sive consuetudine receptum est, ut etiam in minoribus ordinibus titulus requiratur. Confer. Giralduum *Expos. jur. Pontific. par. 1 lib. 3 tit. 5 sect. 360 t. 1 p. 250.*

(5) *Cit. Constit. Romanus Pontifex S. Pii V.*

(6) *Cap. Cum secundum de Præben.* Hæc autem pœna, per quam Episcopus clerico sine titulo ordinato alimenta præstare cogitur, eum tantum liberari, si ipse Clericus obtineat beneficium, non item si ex bonis patrimonialibus obtineat, unde vivere honeste possit, secundum jus novissimum Conc. Tridentini, ostendit Rigant. *ad Regul. 24 §. 5. n. 192.*

10. Ulque ordo clericalis turpitudine omni careat, et idonea scientia sit præditus, necesse est inquirere in vitam, mores, scientiam singulorum (1), antequam ordines suscipiant; quod examen qui subterfugerit, prohibebitur obire munus ordinum susceptorum, si ordinandis se clam inseruerit, ut Episcopum deciperet (2). Quin etiam si quis sacris se miscuerit officiis, cum

non esset ordinibus initiatus, spem ordinum amittet in posterum, atque ab Ecclesia abjicietur (3).

(1) Vetus est in Ecclesia lex, ut nemo ordinetur, nisi primum Episcopi judicio probatus fuerit *can. 2. 3. 5 dist. 24.* quæ lex consentanea est præcepto Apostoli *1 ad Timoth. V. 22 Manus cito nemini imposueris;* eamque commendant Ss. Patres, præsertim S. Jo. Chrysostomus *Homil. 16 in 1 ad Timoth. tom. 11 pag. 642 ed. Paris. an. 1754, S. Leo M. Ep. 12 cap. 2 col. 659 tom. 1 ed. Baller., S. Gregorius M. lib. 5 ep. 49. et l. 4. ep. 28 col. 660 et 704 t. 2 ed. Paris. 1705.* Atque huc spectat Decretalium titulus *de scrutinio in ordine faciendo*, in quem videndus Cironius in *Paratitl.* Consultissimam hanc legem probavit Synodus Tridentina *sess. 23 cap. 7 de Reform.*, cum statuit, ut Episcopus ordinationes facturus, sibi etiam ascitis peritis viris, *ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam, et fidem diligenter investiget, et examinet.* Plura simul eadem Synodus decreta edidit de scientia, qua clericos pro singulis ordinibus præditos esse oportet *d. sess. 23 cap. 4, 11, 13, 14.* Atque ut ordinandorum vita omnibus esset explorata, vetus Ecclesia eorum nomina coram clero, et populo nunciare consuevit, uti patet ex Concilio Chalcedonensi apud Gratianum *Can. 1 dist. 70*, ubi habetur *ordinationis publicatæ vocabulum*, ex S. Cypriano *ep. 55 pag. 47 ed. Paris. 1666*, aliisque apud Hallier. *de Sac. elect. lib. 1 cap. 2 art. 2*, et Em. Gonzalez *ad tit. de Scrutin. in ordin. facien.* Synodus Tridentina *sess. 23 cap. 5 de Reform.* statuit, ut *ad minores ordines promovendi, bonum à Parocho, et magistro scholæ, in qua educantur, testimonium habeant. Hi vero, qui ad singulos majores erunt assumendi, per mensem ante ordinationem Episcopum adeant, qui Parocho, aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, ut nominibus, ac desiderio eorum, qui volent promoveri, publice in Ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus, et vita à fide dignis diligenter inquirat, et literas testimoniales, ipsam inquisitionem factam continentes, ad ipsum Episcopum quamprimum transmittat.*

* V. Syn. Arandens. ad Durium 1473, *cap. 3*; Tarracon. *Compil. Joan. Teres. Lib. 3, tit. 4, cap. 2*; Synod. Tolet. an. 1565 *Act. 5 Ref. cap. 2*—Hoc Trident. decretum ab Hisp. Episcop. servari, omnibus notum est.

(2) *Cap. ult. de eo qui furtiv. ordin. suscep.* Potest tamen Episcopus suspensionis pœna solvere furtive ordinatum, nisi ministraverit, uti statuit Clemens VIII. *cit. Const. Romanum Pontificem*, abrogata constitutione Sixti V. cujus paulo ante facta mentio est.

(3) *Cap. 1 de Cler. non ordin. Ministr.*

41. Ordinum ubique conferendorum potestas unius est Romani Pontificis (1), Episcopi in diœcesi sua. Alienæ diœceseos hominem ordinare quis nequit, nisi ab ejus Episcopo veniam acceperit literis, quas appellant *dimissoriales*. Dabantur olim hæc literæ, ut clericus dimitteretur ab Ecclesia, cui erat addictus, atque ut alteri Ecclesiæ adscribi posset (2); nunc dantur, ut ordinetur ab Episcopo non suo, sed is tamen, ut antea, pertinet ad suum Episcopum, cum hodie tantum suscipiendorum ordinum gratia clerici dimittantur (3).

(1) De ordinatis à Summo Pontifice illud est animadvertendum, quod qui ab eo minorem ordinem accepit, majorem ab alio accipere non potest, quam ab ipso Pontifice, aut ab Episcopo, cui idem Pontifex facultatem dederit. Confer. Benedictum XIV. *in Const. In postremo 64 pag. 298 tom. 4 ejus Bullarii ed. Romæ 1758*, ubi ea de re agitur copiose, et diligenter.

(N. S. Antiquitus Episcopo Cleri, quin et populi testimonium exquirendum erat de natalibus, vita, conversatione, moribusque eorum, qui ordinandi erant: adeo ut penes plebem jus esset testimonium ferendi de Clerico sive ordinando, sive ab ordinatione rejiciendo. Ad rem S. Cyprianus *Epist. 63: Coram omni Synagoga jubet Deus constitui Sacerdotem, id est, instruit, et ostendit ordinationes Sacerdotales non nisi sub populi adsistentis conscientia fieri oportere, ut plebe præsentate, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur.* Et Siric. *Epist. ad Himerium Tarracon. cap. 10*, docet Diacono Presbyterium, vel Episcopatum dari, *si eum cleri, et plebis evocavit electio.* Tum Augustinus, auctore Possidio in ejus vita, *cap. 21: In ordinandis Sacerdotibus, et Clericis consensum majorem Christianorum, et consuetudinem Ecclesiæ sequendam esse arbitratus est.* Quinimmo ipsummet Augustinum, et Paulinum Nolanum, testimonio, atque adeo vi inflammata plebis id petentis, summoque studio, et clamore flagitantis, Presbyteros sacros fuisse, narrant Possidius *ibid. cap. 4*, et Paulinus *Epist. 24 inter Epist. August.* Porro Plebs suum testimonium dabat per voces *dignus est, indignus est*: *Const. sic dictæ Apost. Lib. 8 cap. 4: Eusebius Lib. 6 cap. 29: Ambrosius De Dignit. Sacerdot. cap. 5: Augustinus Epist. 515*, aliique. Hæc Christianæ Ecclesiæ consuetudo, ipsis etiam Rom. Ethnicis Imperatoribus adeo probata est, ut non dubitarent illam laudibus extollere, atque in civilium magistratum electione sibi inuitandam proponere. Id de Alexandro Severo testatur Lampridius: *Vita Alex. Sev. cap. 45.*

Porro ejusmodi testimonium deinde loco cleri, et plebis, ut præstaret Archidiaconus, usus invaluit: *Conc. Carthag. IV Can. 8.* Qua de re Archidiaconi præcipuæ partes erant in ordinandorum institutione, examinatione, et ad Episcopum presentatione. Et licet sequulis temporibus universum hæc in re Archidiaconi munus in meram evaserit cæremoniam, non eo tamen à lethali noxa immunis erit, ubi dignum Presbyteratu, vel Diaconatu illum dixerit, quem indignum noverit: *Cap. un. de Scrutinio in ordine faciendo.*

Synodus quoque Tridentina *Sess. 23 Ref. cap. 7* præcipit, ut Episcopus, Sacerdotibus, et aliis prudentibus viris peritis, divinæ legis, et in Ecclesiasticis functionibus exercitatis, sibi adscitis, ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam, et fidem diligenter investiget, et examinet.

1 Igitur inquirendum, num eis obstet aliquod ex Canonicis impedimentis, quæ *irregularitates* dicuntur. * *V. huj. lib. tit. 7.*

2 Num habeant scientiam ordini suscipiendo congruentem. Profecto Clerici in divinarum Scripturarum, et Sacrorum Canonum doctrina instituti sint oportet. Ad rem Synodus Toletana *IV Can. 24, alias 25: Ignorantia, mater cunctorum errorum, maxime in Sacerdotibus Dei vitanda est. Sciant igitur Sacerdotes Scripturas Sanctas, et Canones, ut omne opus eorum in prædicatione, et doctrina consistat, atque ædificent cunctos tam fidei scientia, quam operum disciplina.* Similia efferunt Canones à Gratiano congesti *Distinct. 43.* Adhæc præclare Syn. Tolet. *VIII Can. 8: Absurdum est eos, qui cæteros simpliciores, et laicos habent docere (quibus et disciplina, et vitæ debent esse veluti quoddam speculum), ad alicujus ordinis, vel*

dignitatis promoveri statum, qui legem Dei ignorant... Nullus igitur ad sacra Dei misteria veniat indoctus, aut ignorantiae tenebris caecutiens; sed solus is accedat, quem morum innocentia, et litterarum splendor reddunt illustrem; aliter ordinaturis, et ordinandis immente in posterum Dei, et ejus Ecclesiae vindicta. Denique Synodus Trident. Sess. 25 Ref. cap. 4, 11, 13, et 14 primae tonsurae initiari vetat, qui legere, et scribere nesciant, et minoribus ordinibus, qui saltem latinam linguam non intelligant; tum ab Subdiaconatu, et Diaconatu arcendos praecipit, qui litteris, aliisque ad ordinem exercendum spectantibus non sint instructi; tandem ad Presbyteratum eos adsumi jubet, qui ad docendum populum, et ad Sacramenta ministranda sunt idonei. In Hispania vero, ex Constitut. Apostolici Ministerii §. 4, in promovendis ad minores Ordines Idiomatici Latini notitiam, ad Subdiaconatum, et Diaconatum quod ad uniuscujusque Ordinis officium implendum spectat, et ad Presbyteratum Theologiae Moralis scientiam, quae per exactum ab ordinando examen subeundum experiri debet.

3 Inquirendum quoque est in promovendorum mores, vitamque transactam: unde Synod. Illiberit. Can. 24 peregre baptizatos ordinari vetat, quod eorum minime sit cognita vita.

4 Divina quoque in promovendis requiritur vocatio: neque enim caelestia, quibus summopere indigent, Altaris ministri sibi promereri poterunt auxilia, nisi divina duce, et comite vocatione ad ordines accedant. Ejus varia sunt indicia; et quidem praeter signa sensibilia, et extraordinaria, praecipua sunt morum innocentia, et gravitas, rerum caducarum contemptus, proximorum salutis procurandae studium, in sacris legendis codicibus jucunditas, et delectatio, legitimus, et immaculatus ad ordines ingressus. Hujusce vocationis necessitatem discimus, tum ab ipso Christo Domino, qui et in mundum venit missus a Patre: Joann. VII v. 16, et discipulos ad promulgandum Evangelium missit, quos ipse elegerat; tum ex Apostolo, qui ad Hebr. V. v. 4, docet illam legitimum Eccl. ministri esse proprietatem, ut ad sabrum ministerium non suapte ascendat voluntate, sed divina vocatione: sicut de Aarone Scriptura testatur, eum divinitus ad illam dignitatem vocatum fuisse. Hinc Concilium Tridentinum Sess. 25 Ref. cap. 4 vetuit primae Tonsurae initiari, de quibus probabilis conjectura non sit, eos non saecularis iudicii fugienti fraude, sed ut Deo fidelem cultum praesentent, hoc vitae genus elegisse.)

(2) Huc spectabant antiquae literae dimissoriae, quae et pacificae, et formaliter dicebantur, quamquam, uti demonstratum supra est Titul. 5 sect. 5, §. 50. not. 2, formatarum literarum vocabulum nomen esset generis, quod et commendatorias, et communicatorias, et dimissorias literas comprehendebat. Omnes enim clerici in ordinatione certae ecclesiae adscribebantur, neque eam deserere poterant, nisi primum Episcopus ipsos ab ejus servitio dimitteret, et quasi emanciparet: Conc. Carthag. I. Can. 5 col. 749, et Trullanum Can. 17 apud Labbaeum tom. 7 col. 1555. edit. Venet. quo decernitur, ut nullus omnino clericus, in quocumque sit gradu, potestatem habeat sine proprii Episcopi scripta dimissoria, in alienae Ecclesiae catalogum referri. Ex quo evidens est, datas literas dimissorias, non ut clericus ordinaretur, sed ut referri posset in alienae Ecclesiae catalogum, quod fieri non poterat, nisi primum ab Ecclesia, cui erat addictus, dimitteretur. Duas literarum dimissorialium formulas proponit Gratianus Can. 1 et 2 distinct. 75, sed haec commentitiae sunt. Clerici peregrini, qui sine Episcopi litteris vagabantur, graviori afflictiuntur poena a Concilio Arelatensi I. Can. 2 col. 1454 tom. 1, Niceno Can. 16 col. 59 tom. 2, Taurinensi Can. 7 col. 1536 tom. 2, Chalcedonensi Can. 20 col. 1690 tom. 4, Arelatensi II. Can. 15 col.

4 tom. 5 apud Labbaeum edit. Venet., atque a Canone 15 Apostolorum apud Cotelerium PP. Apostolor. tom. 1 pag. 444 edit. Amstelredami 1724, ubi hujusmodi clericus ulterius ministrare prohibetur, et tamquam laicus communicare jubetur.

(5) Cap. 8 de Offic. Archid., cap. 5 de Tempor. ordinat. in 6.

12. Episcopus, qui sine litteris dimissoriis alienum subditum ordinavit, anni spatio ordinum collatione interdicitur; ipse autem clericus susceptos ordines exercere non potest, nisi primum a suo Episcopo veniam obtineat (1). Diu in utraque Ecclesia proprius Episcopus is tantum fuit, qui aliquem primum clero ascripserat. Nulla enim habebatur ratio originis, aut domicilii (2); et cum clericus relinquere non posset Ecclesiam, cui adscriptus in ordinatione fuerat, ab ejus Episcopo reliquos etiam ordines suscipiebat.

(1) Conc. Trid. Sess. 25 cap. 8 de Reform. Vide Rigant. ad Regul. 24 Cancel. §. 4 num. 59 et seq. ubi etiam explicatur poena, qua plectitur Episcopus, qui aut extra tempora constituta, aut ante legitimam aetatem ordines contulit.

(2) Vide Hallier de Sac. ordin. part. 2 sect. 5 cap. 5 art. 1 §. 4, qui multis exemplis ostendit, olim vetitum fuisse solum alienos clericos, non autem alienos laicos ordinare. Revera tantum de clericis, nulla de laicis mentio est in vetustis canonibus Concilii Sardicensis Can. 18 et 19 col. 679 apud Labbaeum ed. Venet. tom. 2, Carthaginensis III. Can. 21 col. 1402 tom. 2 ejusdem collect. Quod etiam confirmant S. Leo M. ep. 14 cap. 9 col. 639 tom. 1 ed. Ballerin. Venet. 1755, et S. Augustinus ep. 64 col. 155 tom. 2 ed. Venet. 1729, qui tradit disertissime, Carthaginensi canone de solis clericis statutum, non etiam de laicis. (* Consonant Syn. Tolet. 1 in Exordio; et Valent. e. 6. *) De orientali Ecclesia testatur Balsamon in Respons. ad Marcum apud Leunclavium Jur. Graeco Roman. p. 382 et 385 ed. Francofur. 1596, primum in Synodo Constantinopolitana Michaelis Aethioli Patriarchae actum fuisse de alienis laicis non ordinandis. Atque huc spectant exempla Origenis, Hieronymi, Augustini, aliorumque complurium, qui omnes ordinati non sunt ab Episcopis, quorum in dioecesi nati erant, aut domicilium habebant. Quidem Demetrius Episcopus Alexandrinus, licet Origeni esset infensissimus, tamen ei numquam vitio vertit, quod ab alieno Episcopo ordinatus fuisset, ac tantum objecit voluntariam sui ipsius mutilationem, ejus causa eum irregularem contendebat: nihil namque aliud habebat, quod ei objiceret, uti narrat Eusebius lib. 6 Histor. cap. 8 pag. 265 ed. Valesii Cantabrigiae 1720.

13. Sed deinceps non amplius prioris ordinationis, verum originis et beneficii ratio haberi coepit (1). Accessit recentiori aetate titulus domicilii (2), ac denique titulus etiam familiaritatis (3). Itaque certo Episcopo nunc omnes subjecti sunt, aut propter beneficium, quod aliquis habet in ejus dioecesi, aptum, et conveniens ad decentem ipsius tuitionem (4); aut propter origi-

nem, cum nimirum ipse in ejus diœcesi natus est, non fortuito, sed domo pridem à parentibus constituta (5); aut propter domicilium, quod quis in ejus diœcesi perpetuum, fixumque possit (6); aut propter familiaritatem, cum per triennium Episcopo familiaris fuit, et cum eo commoratus est (7).

(1) Cap. 1 de Tempor. ordinat. in 6.

(2) Cap. 5 eod. tit.

(3) Conc. Tridentinum Sess. 25 cap. 9 de Reform.

(4) Quemadmodum olim ipsa ordinatio clericum certæ ecclesiæ adscribebat, ita hodie beneficium ecclesiasticum clericum facit ministrum Ecclesiæ, in qua habet beneficium, et subjectum Episcopo, cujus in diœcesi illud situm est. Quare hæc subjectio propter beneficium omnino est consentanea antiquæ Ecclesiæ disciplinæ, uti ostendit Hallier de Sacr. ordin. par. 2 sect. 5 cap. 3 art. 5 §. 1. Ut vero omnes amoverentur fraudes, quæ ea in re fieri possent, statuit Innocentius XII in Bulla Speculatores 96 tom. 9 pag. 574 Bullarii ult. ed. ut illud satis esse debeat ad decentem Clerici tuitionem. Qua quidem Bulla accurate recensentur, atque explicantur quatuor illi tituli beneficii, originis, domicilii, familiaritatis, quorum causa quis certo Episcopo subijcitur, et alia in conferendis ordinibus servatu necessaria proponuntur.

(5) Episcopum originis memorat Clemens IV. in c. 1 de Tempor. ordinat. in 6, sed ita memorat, ut facile constet, disciplinam hanc jampridem fuisse constitutam. Et licet originis nomen, secundum Jus civile in leg. 6 §. 1 ff. Ad Municip. non tantum propriam ipsius ordinandi, sed etiam patris originem comprehendat; tamen in ordinatione nulla habetur paternæ originis ratio, sed tantum spectatur locus originis, aut nativitatis ejus, qui ordinibus initiatur; modo ipse eo in loco casu natus non fuerit, puta cum pater in itinere esset, aut ibi mercaturæ ex. gr., officii causa temporalem moram duceret.

(6) Innocentius XII. in cit. Const. Speculatores legem constituit, per quam domicilium acquiritur, ut quis ejus loci Episcopo subijciatur. Inquit enim domicilium ab eo tantum acquiri, qui illud adeo stabiliter constituerit in aliquo loco, ut vel per decennium saltem in eo habitando, vel majorem rerum, ac honorum suorum partem cum instructis œdibus in locum hujusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuo ibidem permanendi animum demonstraverit; et nihilominus ulterius utroque casu se vere, et realiter animum hujusmodi habere, jurejurando affirmet. Sed hoc jusjurandum requiritur, cum filius propter suum, non item cum propter patris domicilium ordinari cupit, uti demonstrat Rigant. ad Regul. 24 Cancell. §. 5 num. 51.

(7) Ut Episcopus ordinare recte possit illum, quem trienni spatio secum habuit familiarem, necesse est etiam, quod beneficium, quacumque fraude cessante, statim re ipsa illi conferat, ut inquit Synodus Tridentina Sess. 25 cap. 9 de Reform. Illud vero statim ita explicat Innocentii constitutio §. ad hæc; statim, hoc est saltem intra terminum unius mensis à die factæ ordinationis. Et quamquam Synodus Tridentina, atque Innocentii constitutio tantum beneficii titulum memoret, tamen Episcopum ordinare posse clericum familiarem suum etiam titulo pensionis, aut patrimonii, modo id pos-

tuat utilitas, aut necessitas suarum Ecclesiarum, eundemque illis adscribat, monet Giraldus Exposit. jur. Pont. par. 2 sect. 97 pag. 958 tom. 3.

14. A quolibet Episcopo, cui quis subest propter beneficium, aut originem, aut domicilium, aut familiaritatem, ordines suscipere potest; quin etiam, modo fraus absit, ordo unus ab uno Episcopo, et alius ab alio recte suscipitur (1). Verum cum Episcopus ordines confert jure beneficii, aut familiaritatis, necessariae sunt literæ testimoniales Episcopi originis, et domicilii, per quas comperta sit vita, ætas, natales, mores clerici, qui ordines suscepturus est (2). Regulares autem exhibitis literis dimissoriis sui Superioris ordinandi sunt ab Episcopo, cujus in diœcesi situm est cœnobium, in quo commorantur; non item ab alio Episcopo, nisi certis monumentis ostendant, illum vel abesse, vel ordinationes non habere (3).

(1) Ita qui unum ab Episcopo originis ordinem accepit, alium ab Episcopo domicilii, vel beneficii accipere potest; atque ita modo procul sit fraudis causa, responsum est à Sacr. Congregatione Concilii in Fundana Ordinum 25 Januar. 1668 lib. 25 Decret. pag. 52, in Aquipendens. seu Clusina Diaconatus 15 Novembr. 1717, et in Bononien. seu Ferrarien. Ordinationis 14 Novembris 1755 t. 6 pag. 183. Vid. Card. Petra ad Const. Apostol. tom. 1 pag. 529 et 530 sect. 1 num. 64.

(2) Cit. Constit. Speculatores §. 5 et 6.

(3) Benedictus XIV. Constit. Impositi 27 tom. 2 ejus Bullar. pag. 109 ed. Venet. 1754. Excipiuntur tamen Regulares, ut ipse docet Benedictus, qui à Sede Apostolica privilegium impetrarunt suscipiendi ordines à quovis catholico Antistite, modo hoc privilegium ipsis nominatim, et post Concilium Tridentinum concessum sit.

(N. S. In Hispania Regulares Episcopum Diœcesis, intra quam situm est Monasterium residentiae, adire debent, ut ordinentur: ex Constitut. Apostolici Ministerii §. 17. Diœcesano vero absente, aut impedito, à quocumque Catholico Antistite poterunt ordinari, testante in Dimissorialibus Præfato de causa cur Diœcesanus ordines non conferat. At non expedit, quod Regulares, ut examen subterfugiant Diœcesani, ipsius absentiam ex Instituto expectent, aut ad alterius Diœcesis Monasterium se transferant. Prosper Lambert. de Synodo Diœcesana Lib. 9 cap. 17 num. 4. §. Circa litteras dimissorias illud hic juvat subnectere, ex Constitutione Apostolici Ministerii §. 5, neminem in Hispania ordinari posse, nisi cum litteris testimonialibus Episcopi domicilii, quibus constet aptitudo, et probitas ordinandi, sub pœna suspensionis ordinantis à collatione ordinum per annum, et ordinati à susceptorum exercitio ad proprii Episcopi arbitrium. Apostolico Hisp. Nuntio interdicta est facultas dimissorias expediendi, art. 18 Concordati 1757.)

15. Certa etiam pro singulis ordinibus ætas requiritur, qua in re varia fuit antiquæ Ecclesiæ disciplina (1). Nunc tonsura, et

minores ordines ante exactum septimum ætatis annum non conferuntur (2); Subdiaconus autem nemo esse potest, nisi vigesimum secundum, Diaconus, nisi vigesimum tertium, Presbyter, nisi vigesimum quintum ætatis annum attigerit (3). Qui ante hanc ætatem, non impetrata venia Sedis Apostolicæ, vel ab alieno Episcopo, sine literis dimisorii Episcopi sui, ordinibus initiatus est, susceptorum ordinum munera exercere prohibetur, et si exercuerit, irregularis efficitur (4).

(1) De ætate ordinandorum non eadem semper fuit Ecclesiæ disciplina, quod late ostendit Thomassinus *Vel. ac nov. Eccl. discipl. par. 1 lib. 2 cap. 67 et seq.* Dum viguit consuetudo, ut parentes Ecclesiæ offerrent infantes filios, qui in clerum cooptabantur; ac suo deinceps tempore per gradus ad superiores ordines evehebantur, cum antea singulorum minorum ordinum officia exercissent. Quo fiebat, sicuti observat Cardinalis Bona *Rer. liturg. lib. 1 c. 24 §. 18 tom. 2 pag. 574 ed. Taurin. 1749, ut rerum ecclesiasticarum peritissimi essent, in quibus fuerant ab ipsa pene infantia nutriti.* Quam parentum oblationem tanti valuisse multi putant, ut filii etiam cum puberes evaserant, deserere non possent illud vitæ institutum, cui parentes eos vel infantes, vel impuberes addixerant. Certe in Concilio Chalcedonensi *can. 7 col. 605 tom. 2 collect. Harduini ed. Paris. habentur hæc: qui semel in clero deputati sunt, aut monachorum vitam expeliverunt, statui-mus, neque ad militiam, neque ad dignitatem aliquam venire mundanam.* Pueros autem à parentibus oblatos in ipsa infantia tonsos fuisse, ac Lectoratus ordine insignitos, adeo ut revera in clero deputati dicerentur, non obscure tradit Concilium Toletanum II. *Can. 4 col. 1159 tom. 2 laudatæ collectionis,* cum inquit, hos pueros mox fuisse detonsos, et ministerio electorum contraditos. Quod etiam ostendit Cyrillus Sytopolitanus in *Vit. S. Euthymii Abbatis, Analector. Græcor. tom. 1 pag. 8 et 9 Paris. 1698,* ex quo intelligimus, ipsum Euthymium triennem Otrejo Melitensi Episcopo oblatum fuisse, qui susceptum puerum baptizavit, et totondit commissæque sibi ecclesiæ Lectorem fecit, atque in Episcopio accepit, et enultrivit. Quibus ex locis, meo iudicio, perspicuum est, pueros à parentibus oblatos statim tonderi, ac Lectoratus ordine donari consuevisse; quamquam non ignorem, plures esse viros doctos, quorum in animis alia insidet opinio. Ut ea de re sit, profecto si hæc parentum oblatio efficiebat, ut hi pueri revera Clerici fierent, non item efficiebat, ut perpetuam castitatem servare cogerentur. Nam ipsis integrum erat, postquam adoleverant, aut uxorem accipere, aut suscepto subdiaconatu, sese perpetuæ continentiæ lege obstringere. Rem omnem explicat disertissime laudatus Canon I. Concilii Toletani II, cujus hæc verba sunt: *De his, quos voluntas parentum à primis infantie annis clericatus officio mancipavit, statuimus observandum, ut mox cum detonsi, vel ministerio lectorum contraditi fuerint, in domo ecclesiæ, sub episcopali præsentia, à præposito sibi debeant erudiri. At ubi octavum decimum ætatis suæ compleverint annum, coram totius Cleri, plebisque conspectu, voluntas eorum de expetendo conjugio ab Episcopo perscrutetur. Quibus si gratia castitalis, Deo inspirante, placuit... primum Subdiaconatus ministerium habitu probationis suæ vicesimo anno suscipiant.* Quod cautum erat de omnibus, qui se clero adscripserant,

ut cum ad pubertatis annos venissent, vel uxorem ducerent, vel continentiam profiterentur, uti loquitur Conc. Carthaginense III. *Can. 49 tom. 1 col. 965 collect. Harduini.* Poterant hi quidem minores clerici uxorem accipere, sed non poterant à Clericatus professione recedere, quod late ostendit Thomassinus *Vel. et nov. eccles. disciplin. part. 2 lib. 4 cap. 11 et seq.* Dicam paulo post de pueris, quos parentes monasterio offerebant. Hujus autem disciplinæ de filiorum oblatione moderationem paucis ab hinc sæculis inductam esse monet Benedictus XIV in literis datis ad P. Hieronymum Guglielmi 15 Decem. 1751, quæ extant in ejus Bullario *tom. 3 Const. 54 §. 3 pag. 240 ed. an. 1754.* Consule Morinum *de Sacr. ordin. par. 5 exerc. 15. de Tonsur. cleric. cap. 5,* Bosquetum in *Notis ad Ep. 136 Innocentii III. lib. 2. reg. 14 pag. 151,* Martenium *de Antiq. Eccles. ritib. lib. 1 par. 2 cap. 8 art. 5 num. 2,* Thomassinum *Vel. et nov. eccles. disciplin. par. 2 lib. 1 cap. 25 et 24.*

(2) Nullam pro tonsura, et minoribus ordinibus ætatem expresse constituit Synodus Tridentina; sed ea res Episcopi arbitrio relinquitur, qui pueros ordinare poterit ea ætate, qua ipsos ad hoc munus aptos, et idoneos iudicabit. Generatim tamen post septennium minores ordines conferuntur. Vide Catalanum in *Pontifice. Roman. tit. 2 §. 1 n. 9 par. 1 pag. 28,* et Fagnanum in *cap. Super inordinata de Præben. num. 27 ad ult.*

(3) Conc. Trident. *sess. 25 cap. 12 de Reform.* De Subdiaconorum ætate non eadem semper, et ubique fuit antiquæ Ecclesiæ disciplina. Concilium Toletanum II *loc. cit.* et Trullanum *Can. 15 col. 1666 tom. 3 collect. Harduini* ætatem constituunt annorum viginti; Concilium Melitanum *can. 4 col. 1685 tom. 6 par. 2 ejusd. collect. anno decimoquarto,* aut decimoquinto Subdiaconos ordinari permittit. Hugo à S. Victore *de Sacram. lib. 2 cap. 21 pag. 614 tom. 5 opp. ed. Rothomag. 1643,* sua adhuc ætate ante quartum-decimum ætatis annum Subdiaconatum dari non consuevisse testatur; et Clemens V in *Clement. Generale de Ætat. et qualit. ordin.* annum decimum octavum definit. Diaconos vero ante annos 25, Presbyteros ante annos 50 ordinari vetat *c. 5 et 6 dist. 77.*

(N. S. Igitur IV, et V sæculo ea lex viguit, ut nonissi post annum ætatis trigesimum quisque ad sacros, majoresque ordines accedere posset; licet non desint exempla ordinationum ante legitimam hanc ætatem eodem ævo peractarum, quibus personæ sanctitas, et gravitas abstersit invidiam, auctoritatem conciliavit. Certe S. Remigius, Episcopus Arelatensis electus est, quum natus esset annos non amplius quam viginti duos. Pro ordinibus vero inferioribus nulla erat constituta ætas.

Sequitis temporibus eadem pene viguit disciplina, tum quod ad ordines inferiores, uti constat ex Concilii Generalis V *Collat. V,* ubi Thomas Presbyter occurrit, qui annorum non amplius quinque clero cooptatus est: tum etiam quod ad Ordines superiores, uti produnt Concilia per ea tempora habita, Arelatense IV *Can. 1,* Aurelianense III *Can. 6,* Trullanum *Can. 14, et 15,* Tolosanum an. 1056 *Can. 2,* Melphense an. 1089 *Can. 4* etc. Adhuc et Justinianus in *Authent. post Leg. 9 Cod. de Episcop. et Cler. Leo,* et Constant. *Imp. Juris Orient. Tom. 2 pag. 94.*

Varia fuit Ecclesiæ Hispaniæ à sæculo VI erga ordinandorum ætatem disciplina. Synodus Tolet II. *Can. 1* decrevit, ut pueri ab infantia detonsi, ad decimum octavum ætatis annum continentiam professi, vicesimo anno ad Subdiaconatum, vicesimo quinto ad Diaconatum promoverentur. At non videtur hæc felicem effectum sortita esse constitutio; etenim Syn. Tolet. IV. *Can. 20* alias 19. laxatam hac in re videns disciplinam, ita constituit: *Nos et*

Divinae legis, et Conciliorum præcepti immemores, infantes, et pueros Levitas fecimus ante legitimam ætatem, ante experientiam vitæ. Ideoque ne ulterius fiat à nobis, et Divinae legis, et Canonice admonemur sententiis. Syn. Tolet. X Can. 6, nec ad tonsuram admittere voluit filios à parentibus Ecclesiae traditos, nisi post decimum ætatis annum. At Syn. Compostel. an. 1056 Cap. 2, ad Subdiaconatum 18, ad Diaconatum 25, ad Presbyteratum 50 annos designavit.

Notum est quidem, ab sæculo X quam frequentia occurrere exempla ordinationum, in quibus saluberrimæ ejusmodi leges passim datae sunt; at constat quoque, ex una parte Ecclesias, in quibus sincera vigeat disciplina, ab præscriptis Canonibus non aberrasse; et ex altera parte, viros illorum sæculorum sanctissimos, contra ejusmodi ordinationes plurimum scripsisse.)

(4) Ita sancitum est à Pio II. *Constit. Cum ex sacrorum* 9 tom. 5 par. 5 pag. 109. *Bullarii ed. ult.* Graviore, quam quæ hac constitutione comprehenderentur, pœnas indixit Sixtus V in *cit. Constit. Sanctum* 140 p. 40 l. 5 par. 4; sed eas sustulit, et antiquiorem Pii II. constitutionem, cujus nunc facta mentio est, servari voluit Clemens VIII *cit. Constit. Romanum* 121 pag. 97 tom. 5 par. 1 *Bullarii ed. cit.* Piana Constitutio tantum memorat ordines sacros, ex quo conficit Rigantius ad *Regul. 24 Cancell. §. 4 num. 22*, ea pœna tantum illos esse plectendos, qui majores, non item, qui minores ordines extra legitimam ætatem, vel extra tempora à jure constituta, vel sine literis dimissoriis proprii Episcopi susceperunt; quamquam num. 24 fateatur, hos etiam clericos, cum absit bona fides, à susceptorum ordinum exercitio esse suspendendos. Verum id quidem est, quod dicitur de Piana Constitutione; sed Innocentius XII in *cit. Constit. Speculatores*, eo ipso suspensos à susceptorum ordinum executione declarat clericos, qui sine literis testimonialibus proprii Episcopi tonsuram, atque ordines susceperunt.

TITULUS V.

QUIBUS MODIS POTESTAS JURISDICTIONIS, ET OMNIA ECCLESIASTICA BENEFICIA ACQUIRANTUR.

1. POTESTAS JURISDICTIONIS ACQUIRITUR VEL ECCLESIASTICO MAGISTRATU, VEL DELEGATIONE.

Potestatem jurisdictionis acquirunt clerici vel ecclesiastico Magistratu, vel delegatione. Qui jurisdictione utuntur sua, et insita beneficio, quo fruuntur, ii proprie dicuntur gerere ecclesiasticum Magistratum; qui non propriam, et nativam, sed ab alio acceptam jurisdictionem exercent, ii delegationem habent, uti sunt Vicarii, de quibus superiori loco actum est. Ecclesiasticum Magistratum clerici consequuntur per electionem, postulationem, collationem, institutionem, quæ nimirum

pertinet ad beneficia jurispatronatus: lisdem etiam modis omnia ecclesiastica beneficia acquiruntur.

SECTIO I.

DE ELECTIONE.

2. QUID ELECTIO SIT?—5 ET 4. ELECTIO SUMMI PONTIFICIS.—5. ROMANI PONTIFICIS INITIO EPISCOPOS CONSTITUTEbant.—6. QUOMODO DEinceps ELECTIONES DELATE AD SYNODOS PROVINCIALES, AD METROPOLITAS, AD CLERUM, AD CANONICOS?—7 ET 8. VETUS EPISCOPORUM ELIGENDORUM RATIO.—9 ET 10. EPISCOPORUM ELECTIONES SEDI APOSTOLICÆ JUSTIS DE CAUSIS RESERVATE.—11. RESERVATIONES INDUCTÆ À CLEMENTE IV, À BENEDICTO XIII, À REGULIS CANCELLARIÆ.—12. CONCORDATA.—13. ELECTIONES PRÆLATORUM INFERIORUM.—14 AD 16. QUI ELIGERE, ET QUI ELIGI POSSINT.—17. INTRA QUOD TEMPUS EPISCOPI ELECTIO FACIENDA SIT?—18 ET 19. ELECTIO PER SCRUTINIUM.—20. PER COMPROMISSUM.—21. PER QUASI INSPIRATIONEM.—22. ELECTIONIS CONFIRMATIO.—23 ET 24. VIS CONFIRMATIONIS, ATQUE EJUS CONCEDENDÆ MODUS.

2.

Electio est idoneæ personæ ad ecclesiasticum Magistratum, aut Dignitatem vacantem canonice facta vocatio. Ea proprie pertinet ad majores Ecclesiæ Dignitates, ad Summum Pontificem, ad Episcopos, ad Prælatos sive sæculares, sive regulares, qui aliis præficiuntur.

(N. S. Apostolica, eique proxima insequuta ætate, quatuor potissimum fuisse videntur Clericos, quæ superiores, quæ inferiores, deligendi rationes: nimirum 1 sortitione; 2 selectione primitiarum ex conversis gentilibus; 3 speciali mandato, et inspiratione Spiritus S. 4 demum via ordinaria examinationis, et electionis.

Prior in Matthiæ ad Apostolatam designatione, ex communiore interpretum sententia, observata est; *Act. 1, 26.* Eadem in Hispania, 6 dumtaxat sæculo vigit; quod ex *Canone 3 Concilii Barcinonensis an. 599* colligere licet, ubi, post plura ad Clericorum electionem spectantia, hæc subnectuntur: *Duobus, aut tribus, quos antea consensus Cleri, et plebis elegerit, Metropolitanæ judicio, ejusque Coepiscopis præsentibus, quem Sors, præcunte Episcoporum jejuniò, Christo Domino terminante, monstraverit, benedictio consecrationis adcumulet.* * V. M. Villodas ad prælaud. can. explicatione.

Alterius, nimirum per selectionem primitiarum ex conversis gentilibus, præclarissimum nobis præbet monumentum S. Clemens R. in priori ad Corinthios *Ep. num. 42*, in qua scribit: *Apostolos per regiones, et urbes verbum prædicantes, primitias earum, spiritu probantes, Episcopos, et Diaconos eorum, qui credituri erant, constituisse.*

Tertius sacros ministros eligendi modus erat per speciale Spiritus S. mandatum. Hac ratione haud paucos primis illis Ecclesiæ temporibus ordinatos

Divinae legis, et Conciliorum præcepti immemores, infantes, et pueros Levitas fecimus ante legitimam ætatem, ante experientiam vitæ. Ideoque ne ulterius fiat à nobis, et Divinae legis, et Canonice admonemur sententiis. Syn. Tolet. X Can. 6, nec ad tonsuram admittere voluit filios à parentibus Ecclesiae traditos, nisi post decimum ætatis annum. At Syn. Compostel. an. 1056 Cap. 2, ad Subdiaconatum 18, ad Diaconatum 25, ad Presbyteratum 50 annos designavit.

Notum est quidem, ab sæculo X quam frequentia occurrere exempla ordinationum, in quibus saluberrimæ ejusmodi leges passim datae sunt; at constat quoque, ex una parte Ecclesias, in quibus sincera vigeat disciplina, ab præscriptis Canonibus non aberrasse; et ex altera parte, viros illorum sæculorum sanctissimos, contra ejusmodi ordinationes plurimum scripsisse.)

(4) Ita sancitum est à Pio II. *Constit. Cum ex sacrorum 9 tom. 5 par. 5 pag. 109. Bullarii ed. ult. Graviore*, quam quæ hac constitutione comprehenderentur, pœnas indixit Sixtus V in *cit. Constit. Sanctum 140 p. 40 l. 5 par. 4*; sed eas sustulit, et antiquiorem Pii II. constitutionem, cujus nunc facta mentio est, servari voluit Clemens VIII *cit. Constit. Romanum 121 pag. 97 tom. 5 par. 1 Bullarii ed. cit.* Piana Constitutio tantum memorat ordines sacros, ex quo conficit Rigantius ad *Regul. 24 Cancell. §. 4 num. 22*, ea pœna tantum illos esse plectendos, qui majores, non item, qui minores ordines extra legitimam ætatem, vel extra tempora à jure constituta, vel sine literis dimissoriis proprii Episcopi susceperunt; quamquam num. 24 fateatur, hos etiam clericos, cum absit bona fides, à susceptorum ordinum exercitio esse suspendendos. Verum id quidem est, quod dicitur de Piana Constitutione; sed Innocentius XII in *cit. Constit. Speculatores, eo ipso suspensos à susceptorum ordinum executione declarat clericos*, qui sine literis testimonialibus proprii Episcopi tonsuram, atque ordines susceperunt.

TITULUS V.

QUIBUS MODIS POTESTAS JURISDICTIONIS, ET OMNIA ECCLESIASTICA BENEFICIA ACQUIRANTUR.

1. POTESTAS JURISDICTIONIS ACQUIRITUR VEL ECCLESIASTICO MAGISTRATU, VEL DELEGATIONE.

Potestatem jurisdictionis acquirunt clerici vel ecclesiastico Magistratu, vel delegatione. Qui jurisdictione utuntur sua, et insita beneficio, quo fruuntur, ii proprie dicuntur gerere ecclesiasticum Magistratum; qui non propriam, et nativam, sed ab alio acceptam jurisdictionem exercent, ii delegationem habent, uti sunt Vicarii, de quibus superiori loco actum est. Ecclesiasticum Magistratum clerici consequuntur per electionem, postulationem, collationem, institutionem, quæ nimirum

pertinet ad beneficia jurispatronatus: lisdem etiam modis omnia ecclesiastica beneficia acquiruntur.

SECTIO I.

DE ELECTIONE.

2. QUID ELECTIO SIT?—5 ET 4. ELECTIO SUMMI PONTIFICIS.—5. ROMANI PONTIFICIS INITIO EPISCOPOS CONSTITUEBANT.—6. QUOMODO DEINCEPS ELECTIONES DELATÆ AD SYNODOS PROVINCIALES, AD METROPOLITAS, AD CLERUM, AD CANONICOS?—7 ET 8. VETUS EPISCOPORUM ELIGENDORUM RATIO.—9 ET 10. EPISCOPORUM ELECTIONES SEDI APOSTOLICÆ JUSTIS DE CAUSIS RESERVATÆ.—11. RESERVATIONES INDUCTÆ À CLEMENTE IV, À BENEDICTO XIII, À REGULIS CANCELLARIÆ.—12. CONCORDATA.—13. ELECTIONES PRÆLATORUM INFERIORUM.—14 AD 16. QUI ELIGERE, ET QUI ELIGI POSSINT.—17. INTRA QUOD TEMPUS EPISCOPI ELECTIO FACIENDA SIT?—18 ET 19. ELECTIO PER SCRUTINIUM.—20. PER COMPROMISSUM.—21. PER QUASI INSPIRATIONEM.—22. ELECTIONIS CONFIRMATIO.—23 ET 24. VIS CONFIRMATIONIS, ATQUE EJUS CONCEDENDÆ MODUS.

2.

Electio est idoneæ personæ ad ecclesiasticum Magistratum, aut Dignitatem vacantem canonice facta vocatio. Ea proprie pertinet ad majores Ecclesiæ Dignitates, ad Summum Pontificem, ad Episcopos, ad Prælatos sive sæculares, sive regulares, qui aliis præficiuntur.

(N. S. Apostolica, eique proxima insequuta ætate, quatuor potissimum fuisse videntur Clericos, quæ superiores, quæ inferiores, deligendi rationes: nimirum 1 sortitione; 2 selectione primitiarum ex conversis gentilibus; 3 speciali mandato, et inspiratione Spiritus S. 4 demum via ordinaria examinationis, et electionis.

Prior in Matthiæ ad Apostolatam designatione, ex communiore interpretum sententia, observata est; *Act. 1, 26.* Eadem in Hispania, 6 dumtaxat sæculo vigit; quod ex *Canone 3 Concilii Barcinonensis an. 599* colligere licet, ubi, post plura ad Clericorum electionem spectantia, hæc subnectuntur: *Duobus, aut tribus, quos antea consensus Cleri, et plebis elegerit, Metropolitanam judicio, ejusque Coepiscopis præsentibus, quem Sors, præcunte Episcoporum jejuniis, Christo Domino terminante, monstraverit, benedictio consecrationis adcumulet.* * V. M. Villodas ad prælaud. can. explicatione.

Alterius, nimirum per selectionem primitiarum ex conversis gentilibus, præclarissimum nobis præbet monumentum S. Clemens R. in priori ad Corinthios *Ep. num. 42*, in qua scribit: *Apostolos per regiones, et urbes verbum prædicantes, primitias earum, spiritu probantes, Episcopos, et Diaconos eorum, qui credituri erant, constituisse.*

Tertius sacros ministros eligendi modus erat per speciale Spiritus S. mandatum. Hac ratione haud paucos primis illis Ecclesiæ temporibus ordinatos

novimus: uti Paulus, et Barnabas Act. 15. 17; Ecclesiarum Asianarum Clerici, quos S. Joannes, ex Patmo insula redux, ordinavit, id attestante Clemente Alexand. apud Eusebium Lib. 5 cap. 25: Fabianus Romanus Pontifex, ex eodem Eusebio: Lib. 6 cap. 29: Alexander Hierosolym. Episcopus: Eusebius: *ibi* cap. 41: Alexander itidem sic dictus Carbonarius: Nyssenus in *vita S. Gregorii Thaumaturgi*.

Quartus denique, et communior magisque ordinarius ad sacrum ministerium, præcipue vero ad animarum regimen, promovendi modus, erat *Electio*, stricto sensu sic proprie dicta, à tribus prioribus, extraordinariis sacros ministros deligendi rationibus distincta, semper in Ecclesia secundum peculiare quosdam statutos canones peracta, licet non eadem semper hæc de re fuerit Ecclesie disciplina.

3. Romanum Pontificem ab antiquis temporibus eligunt Cardinales, de quo nullæ sunt editæ Constitutiones (1), quas servare oportet diligenter, ut res tanti momenti rite, recteque expediatur. In hac electione præcipua sunt, quod post soluta justa funeri defuncti Pontificis per dies novem, Cardinales die decima conclave ingrediuntur, posteaquam Missa Spiritus S. solemniter celebrata est. Postero autem die inchoatur electio: et neque Cardinales, qui in conclavi sunt, absentes expectare coguntur, neque absentibus licet suffragium suum alteri committere.

(1) De electione Summi Pontificis celebres in primis sunt constitutio Gregorii X in Concilio Lugdunensi cap. 5 de *Elect.* in 6, et duæ Gregorii XV. Constitutiones, quarum altera est Constitutio *Decet Romanum Pontificem* 51 pag. 5 tom. 5 par. 5, altera Constitutio *Eterni* 41 pag. 400 tom. 5 par. 4 *Bullar. ed. cit.* in quibus Pontificis electio accuratè describitur. Omnes autem antiquiores de Summi Pontificis electione constitutiones confirmavit Clemens XII in *Constit. Apostolatus* 76 pag. 302 tom. 15. *Bullarii edit. cit.* ubi plura de conclavis regimine, ac de rebus generalis, Sede Apostolica vacante, decreta sunt. De jure autem Cardinalium in eligendo Summo Pontifice videandus in primis Mamachi *ad Auctor. opusc. Quid est Papa?* ep. 7 num. 1 et seq. pag. 96 et seq. tom. 2.

4. Cum electio fit per scrutinium (nam fieri potest etiam per compromissum, et quasi inspirationem, quos singulos eligendi modos paulo post explicabimus) non tantum *scrutinium*, sed etiam *accessus* adhibetur. Nimirum cum publicatio scrutinio, nemo electus deprehenditur à duabus ex tribus eligentium partibus, quas postulat electio Summi Pontificis (1), novum in *accessu* suffragium ferre possunt Cardinales, et ita conficere justum numerum suffragiorum, quo opus est, ut canonicè electio absolvatur. Omnes, qui præsentibus sunt, Cardinales, exceptis iis, qui in sacris constituti non sunt (2), jus habent ferendi suf-

fragii, neque repelli quis potest, quod excommunicatus sit, suspensus, interdictus (3).

(1) *Cap. 6 de Elect.*

(2) Pius IV in *Constit. In eligendis* 75 §. 25 tom. 4 par. 2 pag. 143. *Bullarii ed. cit.*

(3) *Clement. 2 de Elect.*, Pius IV in *cit. Constit. In eligendis* §. 29. Sed præcipua, quæ ad Romani Pontificis electionem pertinent, accurate descripta sunt in laudatis Constitutionibus Gregorii XV, atque in libello, cui titulus *Cæremoniale electionis Romani Pontificis*, ubi etiam habentur constitutiones, quas Cardinales initio conclavis sese diligenter servaturos jurati promittunt.

De Summi Pont. electione ac institutione videsis André *Diction. Jur. Canon. cit. ed. Matrit.*, verb. *Conclave*, et *Papa* §. 5: itemque Card. Soglia *Instit. Jur. Pub. Eccl.*, lib. 3, §. 54, *nota*; ubi præcipuas ejus discip. vicissitudines expositas habes; ac Rom. Pont. nunquam successores à se electos habuisse, nec eligere posse, probatum: idque etiam prohiberi Episcopis, etsi olim ex consuetudine liceret.

In laud. can. hon. André opere, quinam in Papatum sint elegibiles, et cuiusnam personæ aut corpori talis electio, nullo superstite cardinali, competet, quaeritur: eod. art. *Papa*.

Moribus præsentibus Imperatores, ait Selvagius *lib. 1. tit. 19. §. 22*, cardinalibus ad Pontificis electionem coactis, quem sibi ex cardinalibus infensum habent, modeste denuntiant; sicque quominus in Pontificem eligatur, sunt impedimento. Hoc est quod vulgo dicunt *dar la esclusiva*, cujus juris origo non sat comperta, et quo gaudent Austriæ, Hispaniæ ac Gallæ Monarchæ, per istarum nationum cardinales, in conclavi, antequam electio fiat, et ab unoquoque ex dictis Principibus in quaque electione semel, et unius tantum cardinalis respectu, explicando.

5. Episcopus in illis Ecclesie primordiis Apostoli ipsi constituerunt, in primis autem Petrus, caput, et princeps omnium, à quo præsertim occidentales Ecclesie originem repetunt (1). Verum ampla illa, quæ in Apostolis inerat, potestas regiminis, aut jurisdictionis, cum ipsis Apostolis exspiravit, non ad eorum in Episcopatu successores translata est; tantum Petri potestas, cui ceteri suberant, ordinaria fuit, atque ad ejus successores deferri debuit. Itaque vita functis Apostolis, tantum Petri successores Romani Pontifices, Episcopus constituere potuerunt eodem jure, quo Petrus ipse constituerat; atque hæc sane fuit vetustissima Ecclesie disciplina (2).

(1) Celebre est illud, quod repugante nemine testatus est Innocentius I. *Ep. 25 ad Decent. Eugubin.* apud Constantium col. 856: *præsertim cum sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, African, atque Siliam, Insulasque adjacentes, nullum instituisse ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Petrus, aut ejus successores constituerunt Sacerdotes.*

(2) Confer quæ scripsimus *tit. 5 sect. 1 §. 18 not. 1*

6. Lapsu temporis constitutis Episcopatibus, et ampliatis eorum regionibus, factaque provincialium divisione, ut res omnis commodius expediretur, Episcoporum electio Metropolitae, ac Synodis provincialibus commissa est. Verum posterior hæc disciplina nihil detrudere potuit de jure Summi Pontificis, ad quem initio pertinebat Episcopos constituere. Itaque Romani Pontifices, etiam cum à Metropolitae, Synodisque Provincialibus Episcoporum electio perficiebatur, ea in re sui jura Primatus exercuerunt, constitutis legibus, quas temporum, ac locorum ratio postulabat (1). Atque his quidem legibus factæ semper sunt Episcoporum electiones, et vero factæ ab iis, quibus hoc negotium Summi Pontifices commiserunt (2). Itaque si ea, quæ in Episcopis eligendis à Sede Apostolica immutata, sancitaque sunt, perperam, et injuria gesta dicamus, legitimam cum Protestantibus Episcoporum successionem tollemus; at si catholici esse volumus, et legitimam hanc successionem agnoscere, profecto recte omnia, et jure facta habeamus necesse est.

(1) Confer. Siricium *ep. 4 ad Anys.* apud Constantium *col. 642 et ep. 6 ad divers. episc. cap. 1 col. 659.*, Innocentium I. *ep. 2 ad Victic. cap. 1 col. 748. et ep. 5 ad Synod. Toletan. col. 764 et seq.*, Zosimum *ep. 7 ad Patrocl. Arelaten. col. 961, et ep. 11 ad Cler. Ordin. et Presb. Massilien. col. 975.* Leonem M. *ep. 10 ad episc. Prov. Vienem. cap. 4 opp. tom. 1 col. 656 et seq., ep. 15 ad episc. Metrop. Illiric. cap. 5 col. 679. ep. 14 ad Anas. Thessalon. cap. 5 col. 688 et ep. 167 ad Rust. Narbon. Inqu. 1 col. 1420 ed. Ballerin. Venet. 1735.* Gregorium M. *lib. 1 ep. 77 opp. tom. 11 col. 561 ed. Maurin. Paris.* Sane Romani Pontifices certo generi personarum Episcopos eligendi, aut nominandi potestatem concesserunt, dederuntque etiam leges, quibus electiones fieri deberent. Quæ leges semper observatæ fuerunt; atque ita profecto Capitula Ecclesiarum Cathedralium eligendi facultatem; ita Principes per indulta, aut pacta conventa jus nominandi obtinuerunt. Quisquis in dubium revocat Sedis Apostolicæ potestatem, is in idem quoque discrimen revocet necesse est electiones Capitulorum, aut nominationes Principum, quæ omnes ex illo fonte procedunt. Non igitur in Ecclesia catholica legitimam Episcoporum successionem habebimus; qui Protestantium error est. Testatur Petrus de Marca, *de Concord. Sacerd. et Imper. lib. 3 cap. 8 num. 6*, idque certissimis ostendit monumentis, quod Pontificum Romanorum decretis electio personæ collata est in arbitrium Cleri, et Populi, etiam absque Synodi episcopalis presentia, et num. 8, hujus, inquit, novæ formæ origo tribuenda est Siricio Papæ, et sequentibus Pontificibus etc. Quomodo hæc electiones ratæ firmæ haberi potuissent, nisi illi legitimam eligendi potestatem habuissent? Quomodo vero legitima fuisset hæc potestas, nisi eam Summi Pontifices suo jure concessissent?

(2) Vide Cl. Gard. Gerdilium *Confutazione di due libelli etc. tom. 1 pag. 20 et seq. et pag. 108 et seq.*

7. Jam vero ad clerum delatis Episcoporum electionibus, is

porro eligebat, seu potius aliquem designabat, præsentem, ac testimonium dicente populo (1), ne Episcopus daretur invitis, atque ut omnibus essent comperti mores ejus, qui eligebatur (2). Præcipue tamen erant in electione partes Metropolitanæ, et Episcoporum provinciæ (3), qui proprie eligebant Episcopum, et qui suo lubitu rejiciebant postulatum, aut nominatum, ubi minus idoneus videretur.

(1) Populum in Episcoporum electionibus unum delisse testimonium, ostendunt: Bellarminus *de Cleric. lib. 1 cap. 6 pag. 258 tom. 1 ed. Venet.* Sixtus Senensis *lib. 5 Biblioth. adnot. 118 pag. 625 ed. Neap. 1742*, Petrus de Marca *Concord. sacerdot. et imper. lib. 3 cap. 2 num. 2 et seq.* Thomassinus *Vel. et nov. eccles. disciplin. par. 2 lib. 2 cap. 1 et seq.* Quod testimonium initio dabatur à populo universo, deinceps, ut procul essent dissidia, et confusio multitudinis, ab Honoratis, et Primatibus Civitatis dari cœpit. Si alias unquam populus in electionibus partes habuit, id factum est per abusum, et contra canonum disciplinam.

(2) Episcopus, inquit Cyprianus, *ep. 63 pag. 114 ed. Paris. 1666, deligatur plebe præsentem, quæ singulorum vitam plenissime novit, et uniuscujusque actum de ejus conversatione prospexit.* Et paulo antea *pag. 115 sacerdotales ordinationes fieri ait, ut plebe præsentem, vel detegantur malorum crimina, vel honorum merita prædicentur, et sit ordinatio justa, et legitima, quæ omnium suffragio, et judicio fuerit examinata.* Sæpe tamen hoc populi testimonium, atque petitio despiciebatur; quoniam, ut inquit Cælestinus I. *ep. 5 ad episcop. Apul. et Calabr. apud Constantium col. 1074, docendus est populus, non sequendus, nosque, si nesciunt, eos quid liceat, quidve non liceat, commovere. non his consensum præbere debemus.*

(3) Conc. Nicænum *can. 4 tom. 2 col. 72 collect. Labbei ed. Venet.* (N. S. Nono sæculo requirendus erat Principis consensus; ac regiæ Episcoporum nominationes in sollemnes abiere investituras. Nomine *Investituræ significabatur Regius adsensus electionibus adhibitus, et concessio bonorum ecclesiasticorum sollemni baculi, et annuli pastoralium facta traditione.* Hic mos ex eo ortum duxisse videtur, quod quum feuda Ecclesiis donata sint, Episcopi, et Abbates, non secus, ac alii feudatarii, investituras acciperent, quæ deinde ad cetera Ecclesiastica bona extensæ sunt. Vi investituræ Principes rogandi erant, ut canonicas electiones permitterent, electi Regibus ad recipienda bona Ecclesiastica sistebantur, ac tandem sequebatur Ordinatio.)

At quum hujusmodi mos in eam evaderet abusionem, ut Episcopi sola Principis auctoritate, nullo Cleri, Synodi Provinciæ, aut Metropolitanarum judicio instituerentur, atque adeo passim pretio concessæ Ecclesiæ, et Monasteria; hinc R. Pontifices, et Episcoporum Synodi recentem invasionem totis viribus reprimere conati sunt, donec sæculo XII abolendis investituris tandem consentirent Principes pactis cum Sede Apostolica conventis.)

8. In Ecclesiis compluribus, potissimum si quod erat periculum, ne qua in electione dissidia essent futura, Metropolita ad viduatam Ecclesiam mittebat Episcopum Visitatorem, cujus erat edocere populum, quid esset de eligendis Episcopis à ea-

nonibus constitutum, et motus componere animorum, qui contrariis studiis raperentur. Ita clerici, Monachi, laici cum Episcopo Visitatore certum hominem laudabant, atque inde decretum conficiebatur. Re perlata ad Metropolitanam, is, accitis provinciae Episcopis, aut eum, de quo canonicum decretum factum fuerat, Episcopum consecrabat, aut si quid ei officere, et obstare animadverteret, alium Episcopum eligebat (1). Saeculo tamen XII. jus eligendi Episcopos ad solos viduae Ecclesiae canonicos migravit, quod jus est Decretalium Gregorii IX (2).

(1) Episcopi Visitoris crebra mentio est in epistolis S. Gregorii M., praesertim lib. 1 ep. 78 col. 562, ep. 41 lib. 4 col. 721, ep. 21 lib. 6 col. 808, ep. 17 lib. 10 col. 1052, et ep. 15 lib. 15 col. 1227 tom. 2 ed. Paris. 1705. Operae pretium est verba ipsa describere ipsius Gregorii cit. ep. 15 lib. 15, ut pateat, quod munus esset Episcopi Visitoris, et quas in Episcoporum electionibus partes clerus, et populus haberent. Ideo *Dilectio tua*, inquit Gregorius, *ad praedictam Ecclesiam ire properabit, et assiduis adhortationibus clerum, plebemque ejusdem Ecclesiae admonere festinet, ut, remoto studio, uno eodemque consensu talem sibi definiendum expetant Sacerdotem, qui et tanto ministerio dignus valeat reperiri, et a venerandis canonibus nullatenus respiciatur. Qui dum fuerit postulatus cum solemnitate decreti omnium subscriptionibus roborati, et Dilectionis tuae testimonio literarum, ad nos sacrandus occurrat.* Iisdem verbis concepta sunt reliquae Gregorii epistolae, quibus Visitor constituitur. Ex his autem intelligimus, clerum, et populum tantum laudasse, aut postulasse Episcopum, sed veram, propriamque electionem ad eum pertinuisse, cujus erat postulationem rejicere, aut approbare, et Episcopum consecrare. In multis quidem Ecclesiis, cum de eligendo Episcopo agebatur, a Metropolitana Visitatorem mitti consuevisse constat; sed non idem in omnibus generatim Ecclesiis factum videtur, quamquam ubique praecipuae fuerint Metropolitanae partes in Episcoporum electionibus. Plures autem formulae decreti, quod a clero, et populo fiebat, extant apud Baluzium. *Formul. antiq. promot. episc. num. 7, 10, 21 tom. 2 capit. col. 418, 420, 435 ed. Venet.*

(2) Consule titulum Decretalium de *Electione*.

9. Tandem post Clementem IV., Benedictum XII., ceterosque Pontifices Episcoporum electiones Sedi Apostolicae reservatae sunt. Avertenda nimirum erant mala complurima, quae in ipsis electionibus ex ambitione hominum, ex dissensione, studiisque partium oriebantur. Quibus rebus cum remedium adhibere oporteret Romanos Pontifices, factum est, ut ipsi servarent sibi Episcoporum electiones, ut Ecclesiae consulerent, ut dissidia tollerent, ut favorem, et gratiam arcerent, ut ratio haberetur una meritorum (1).

(1) Plenum est corpus Juris canonici dissidiorum, quae in electionibus

oriebantur. Leo X in *Constit. Primitiva* §. 6 tom. 5 pag. 453 Bullar., quae complectitur concordata Galliae, ex his causis repetit Episcopatum reservationes, et apposite Innocentius apud Thomassinum tom. 2 lib. 2 cap. 55 n. 5 in fin., inquit, *ne si denuo restitueremus vobis licentiam eligendi, denuo Apostolica licentia abutentes, Remensem scinderetis ecclesiam.* Atque haec quidem dissidia, et haec turbae, uti ostendit Thomassinus loco mox indicato, ex populi factionibus oriebantur, et interdum etiam in caedes erumpebant, adeo ut in Ecclesiis quibusdam Episcoporum electiones intermittere oportuerit, quod in Ecclesiis Bituricensi, Lugdunensi, Burdegalensi, Carnotensi evenisse constat. Rem hanc testatissimam facit canon Concilii Bituricensis anni 1276 col. 574 tom. 14 collect. Labbæi, cui praefuit Legatus Pontificius, a quo anathematis poena indicta est adversus tantorum facinorum auctores: *Multitudine populi per iniquitatis filios concita, in electores impetum faciente, et electiones ipsae in nonnullis ecclesiis impediuntur totaliter etc.* Alias quoque poenas constituit haec Synodus contra eorum criminum reos, quae poenae in Concilio Auscensi anni 1279 renovatae sunt: col. 602 tom. 14 collect. Labbæi.

10. Neque vero Summi Pontifices aliquid de alieno jure usurparunt, uti jactant homines in Sedem Apostolicam male animati, sed potius repetere jus suum, quod Ecclesiae sollicitudo, ac ratio temporum repetere cogebat. Nam initio jus constituendi Episcopos, uti demonstratum supra est, proprium erat Pontificum Romanorum, qui deinceps eligendi potestatem concesserunt Synodis Provincialibus, Clero, Metropolitanis, Capitulis Canonicorum. Cum hi omnes concessa sibi potestate abuterentur, cum leges in electionibus observandas despicerent, cum in iis ambitio, simonia, studia partium, cetera hujuscemodi dominarentur, consequens erat, ut creatio Episcoporum ad eum rediret, in quo jus hoc semper haeserat, et a quo potestas omnis in inferiores derivata fuerat (1). Ita jure devolutionis (2), justissimisque de causis integrata est vetus disciplina, per quam Summus Pontifex suo jure Episcopos constituerebat.

(1) Consule Benedictum XIV. *Const. In postremo* 64 §. 15 ejus Bullar. tom. 4 pag. 505 edit. Venet. 1758.

(2) Jus devolutionis secundum receptam ubique doctrinam egregie declarat Thomassinus *Respons. ad not. Script. anonymi praemiss. tom. 1 oper. de Vet. et nov. Eccl. discipl. Ubi jus*, inquit, *ab inferiori ad Superiorem devolvitur, verbi gratia, a Capitulo ad Episcopum, ab Episcopo ad Metropolitanum, a Metropolitanano ad Primate, non accipit ab inferiori, non usurpat in inferiorem Superior, non facit injuriam inferiori Superior, non repetere potest a Superiori inferior.... Ratio porro ista potiundae potestatis alicujus oppido magnificentissima est. Solemne est enim, jura omnia ad Superiores ab inferioribus devolvi, et omnium prorsus spiritualium Potestatum jura ad Summum Pontificem devolvi posse, quia summus omnium vertex est. Nec flocci ergo facias jus devolutionis, quo*

splendidus alius vix fingi potest. Si autem hæc jura à Conciliis provincialibus ad Romanum Pontificem devolvuntur, quia summus omnium veritæ est; perperam ergo inde inferitur, quod ea ex sese non habeat, quod ea usurpet, quod contrario usu possit amittere. Scripserat autem paulo supra: non ergo eam potestatem à Conciliis provincialibus vel accepit, vel extorsit Romanus Pontifex; sed quam semper habuerat, semper alicubi exercuerat, eam, supersedentibus Conciliis provincialibus, cæpit ubique terrarum solus exercere.

11. Initio Clemens V. Sedi Apostolicæ reservavit Ecclesias, quarum Episcopi in Romana Curia decedunt (1). Benedictus XII., præter Episcopatus in Curia vacantes, alias etiam fecit reservationes (2). Denique post editas Regulas Cancellariæ, generatim Summo Pontifici servata et electio, et collatio omnium Cathedralium Ecclesiarum.

(1) *Extrav. Etsi in temporalium, de Præben. int. communes.*

(2) *Extrav. Ad regimen, cod. tit.*

12. Ob hanc rem turbæ in Ecclesia factæ sunt, quas sustulerunt concordata, hoc est, pacta conventa inter Sedem Apostolicam, et potentissimos Europæ Principes. Nicolaus V. ita cum natione Germanica rem composuit, ut in Germania Episcopi à Canonicis eligantur, servata Summo Pontifici eorum confirmatione (1). Leo X., abrogata pragmatica, sanctione, quam ediderat pseudo-concilium Basileense adversus Pontificias reservationes, Galliarum Regi permisit nominationem idonei viri, quita- men à Summo Pontifice in Consistorio creandus esset Episcopus Ecclesiæ, ad quam fuerat nominatus (2). Denique alia etiam inita sunt pacta, sive concessa indulta, et privilegia Regibus Hispaniarum, Lusitaniæ, Pannoniæ, aliisque Principibus, qui nunc ad cathedrales Ecclesias ditionum suarum vel nominationem habent, vel præsentationem, vel supplicationem, ut Pragmatici loquuntur, pro viris idoneis, et Episcopatu dignis (3).

(1) Concordata Germaniæ à Nicolao V. probata fuerunt in Bulla *Ad Sacram. 1 tom. 3 par. 3 pag. 61 Bullar.*

(2) Vide Leonis X Bullam *Pastor æternus 21 tom. 3 par. 3 pag. 450 et sep. Bullarii ed. cit.*, qua abrogatur Pragmatica sanctio, et Bullam *Primitiva pag. 453*, qua comprehenduntur pacta conventa inter Leonem X, et Franciscum I, Galliarum Regem.

(3) Consule Rigant. *Ad Regul. 2 Cancellar. §. 1 per tot.*, ubi omnia inter Sedem Apostolicam, atque Europæ Principes pacta conventa, eisque concessa, indulta, et privilegia accurate recensentur.

(N.S. Ad Hispanias quantum attinet, electiones, ut existimamus, à Clero simul et Populo peractæ, saltem ad sæculum usque V. 1. Pro tribus prioribus sufficit unus nobis S. Cyprianus, qui ep. 68 ad Clerum, et Populum Hispaniæ: *Diligenter, ait, de traditione Divina, et Apostolica observatione observandum est... ut ad eam plebem, cui Præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem Provinciæ proximi quique conveniant, et Episcopus eligatur plebe præsentate, quæ singulorum vitam plenissime novit... Quod apud vos factum videmus in Sabini collegæ nostri ordinatione, ut de universæ Fraternalitatis suffragio, et de episcoporum, qui in præsentia convenerant, judicio, episcopatus ei deferretur.*

2. Pro sæculo 4 exstat Epistola Siricii ad Himerium Tarracon. §. 10: *Qui dum initiatus fuerit, Acolytha... Acolytus, et Subdiaconus fiat, et sic ad Diaconatum... proveheat. Exinde jam accessu temporum Presbyterium, vel Episcopatum, si cum Cleri, ac plebis evocavit electio, non immerito sortietur.*

3. Sæculo V eadem adhuc perdurasse electionum formam, evincitur ex epist. Innocentii I ad episcopos Synodi Tolet. Cap. 2, qui ordinationes à Ruffino, et Minutio peractas, irritas declaravit, quod nec Metropolitanæ judicium, nec plebis voluntas interesserit. Item Episcopi Tarracon. Provinc. Sylvanum apud Hilarum P. accusarunt; de eo quod nullis petentibus populis Episcopus fuerit inauguratus.

4. At in ipso sæculo VI exitu præstinam visa est Syn. Barcinon. an. 599 mutasse electionis methodum. Siquidem, uti dictum est, ex ejusdem Synodi Can. 5, Clerus simul, et Populus duos, seu tres eligendos proponebat, et decisio sorti dabatur, Metropolitanæ judicio, et Comprovincialibus adstantibus. Quamvis enim jam tunc esset edita Martini Bracar. Collectio, cujus in Cap. 1 populis adhibebatur antiqua in electionibus facultas, non videntur tamen populi tunc primum jus hoc penitus amisisse.

5. Nam sæculo VII ineunte Concilium Tolet. IV Can. 19, alias 18, avitam restituit electionum formam: *Sed nec ille deinceps erit Sacerdos, quem nec Clerus, nec populus propriæ civitatis elegerit, vel auctoritas Metropolitanæ, vel Comprovincialium Sacerdotum adsensio exquisivit.*

6. Verum exeunte jam sæculo VII omne omnino electionis jus Regibus tributum est, et relicta Metropolitanæ Toletano, quasi Primario, confirmatio, vel consecratio. Ita Synod. Tolet. XII Can. 6: *Salvo privilegio uniuscujusque Provinciæ, licitum maneat deinceps Toletano Pontifici, quicumque Regalis Potestas elegerit, et jam dicti Toletani episcopi judicio dignos esse probaverit, in quibuslibet Provinciis successores eligere.* Id quod indicat Braulio epist. 5 ad Isidorum, et Isidorus ep. 6 ad Braulionem: *Risco Append. ad Florezium, Tom. 50 Hispan. Sacr.* Unde non immerito dixit Philippus II, Regium hoc jus ab antiqua emanare consuetudine: *Leg. 4 Tit. 17 Lib. 1 Novis. Compilat.*

7. Sed non multo post, eodem jam jam exeunte sæculo, primævam eligendi rationem renovasse partim videntur Patres Syn. Tolet. XVI, qui Can. 12 Felicem, loco depositi Sisherti, ab Egicia Rege ad Toletanam Sedem electum, confirmare noluerunt, nisi cum consensu Cleri, ac Populi.

8. Denique sæculo VIII, quo nullum unquam Hispanis, aut obscurius, aut infelicius esse poterit, quum nec Episcopis, nec Regibus integrum esset de Episcoporum electionibus vel cogitare, necessum fuit, ut hoc sibi jus adsumerent Ecclesiarum Capitula.

Quum vero Hispania lugubres vestes mutare cœperit, vel Reges ipsi recens expugnatis urbibus Episcopos præficiabant, ut Ferdinandus Gonzalez,

Castellæ Comes, an. 950 Silonem Monachum ad Oxomensem elegit Ecclesiam, et Ferdinandus I Pelagium ad Legionensem, ut ipse de se testatur in ejus vita; vel de Regum licentia, Ecclesiarum Capitula, uti colligitur ex *Actis* Conventus Pampilonensis 5 Kalend. Octobr. an. 1025. Quocirca Bernardus electus est ad Ecclesiam Toletanam, *Ildephonsi, Excellentissimi Regis*, consensu: Urbanus II in *Epist. ad eundem Bernardum* an. 1088. Id quod ratum habuit Alphonsus Sapiens *Leg. 13 Tit. 5 Partit. 1.*, et Alphonsus XI *Leg. 5 Tit. 5 Lib. 1 Ordinamenti Reg.* quæ inserta est *Leg. 1. Tit. 47, Lib. 1 Novis. Compilat.*, et Juri Canonico est conforme, ut ex *Capit. 13 de Electione* satis aperte colligitur.

Sequitur tamen temporibus, quum Capitula ab hac exciderint prerogativa, illam sibi Romana Sedes reservavit, ita ut deinceps, *ad Regum supplicationem, precario à Pontificibus Romanis Episcopi instituerentur*, ut refert Mariana *Hist. Hisp. Lib. 26 cap. 5*; quod quidem saltem obtinuit à Ferdinandi Catholici ævo, ut liquet ex *Lege 1 Tit. 8, et 4 tit. 17 vit. lib. 1 Novis. Compilat.*

In nostro Regno, quam additurnas seclandas controversias Hadrianus VI plenam Episcopatum electionem cesserit Carolo I, ac prius Aragoniæ Regibus, Alexander II, Gregorius VII, et Urbanus II, ad ipsos eam non uno titulo spectare declaravit Philippus II *cit. leg. 4 Tit. 47 Lib. 1 Novis. Compilat.*, atque exinde Reges nostri nominant ad omnes omnino Archiepiscopatus, Episcopatus, Prælaturas, et Abbatis Consistoriales, iis paucis dumtaxat exceptis, quorum Patronatus ad Dominos temporales spectat, relicta tantummodo Pontificibus Romanis confirmatione.

Illud etiam in nostro Regno observatur, ut Episcopatus, sicuti et reliqua cuncta Beneficia, non nisi Regnicolis, vel jura civitatis habentibus conferenda sint, ex Henrici II Constitutione, quæ exstat in *Leg. 1 Tit. 14 Lib. 1 Novis. Compilat.* Id quod confirmavit Benedictus XIV in Concordato cum Ferdinando VI inito an. 1755, etiam quoad quinquaginta duo Beneficia Sedi Apostolicæ in eo reservata: *Leg. 1 tit. 18 ejusd. lib. 1.*

Hispaniæ Regibus in Episcoporum electione partes fuisse, ostendit quidem Tolet. Synodi XII canon 6, ab Selvagii Adnotat. citatus. Verum ex illius contextu facile inferes, non tunc primum tale jus nostratibus Principibus acquisitum fuisse: quod revera antea, à Reccaredi videlicet ætate, ipsos explicasse, asserit Cl. G. Cardillus Villalpandus laudato jam opp. de Tolet. Conciliis, *cap. 57.* Nec omittendus canon 5 Barcinon. Syn. an. 599, in quo de *Regis præcepto*, eum de electione in Episcopatum quæstio versatur, expressam mentionem habes.

Quod ad tempora occupatæ à Saracenis Hispaniæ attinet, haud constans esse potuit prædite Regaliæ exercitium, præsertim in prima sæcularis illius belli epocha. Verumtamen cum ad exitum vergeret egregium à Pelagio aggressum facinus, stabilitum fuit, ut Hisp. Monarchæ ad omnes istius Nationis Prælaturas præsentarent, quo à Sancta Sede confirmationem nominati, quod tunc generalis erat disciplinæ, obtinerent. Nonnulli primum ab Urbano V Petrum I tale privilegium sanciri obtinuisse, contendunt; sed communior est sententia affirmantium, ejusmodi conventionem, saltem in vim legis perpetuæ, non extitisse usque ad tempora Sixti IV: tunc enim (teste J. Mariana, *Hist. Hisp. lib. 24 cap. 16*) Cath. Reg. Ferdinando et Elisabeth, ejusque successoribus indultum est, ut ad Episcopatus illi eligerentur, quos ipsi Principes nominarent ac institui peterent. Hanc conventionem ad an. 1482 refert Jac. August. Riol, ad Philip. V Reg. scribens opp., quod D. A. Valladares Sotomayor collect. vulgo *Semanario erudita* tom. 3 inseruit.

Ejus quoque existentiam agnoverat Cl. Nicol. Garcia eximio *Tractatu de Beneficiis, part. 5, cap. 1, num. 218.*

Julius II Pont., Bulla 28 Jul. an. 1503, Hisp. Regibus simile Juspatronatus in Indiarum Ecclesias declaravit: *Novis. Compilat. lib. 1 tit. 18, nota 2.*

Demum ejus, de quo agimus, Juspatronatus plenissima confirmatio apparet in Concordato an. 1755 inter Ferdinandum VI Regem, et Pont. Benedictum XIV finito, tam istarum ditionum quam Indiarum respectu; ut videre est in *Novis. Compilat.*, cit. tit. 18 leg. 1; quod Concordatum in hoc ac in aliis observari statuit novissimum an. 1851, art. 44 sic:

Summus Pontifex, et Catholica Majestas declarant, Regales Hispaniarum Coronæ prerogativas sartas teclas manere ad formam conventionum, quæ inter utramque Potestatem celebratæ antè sunt. Atque ideo enuntiatæ conventiones, et speciatim ea, quæ inter Summum Pontificem Benedictum XIV et Regem Catholicum Ferdinandum VI, anno 1755, initia est, confirmatæ declarantur, ac plene in suo robore persistent quod ad ea omnia, quæ per præsentem inmutata aut modificata minime fuerint.

Opportunum nunc erit observare, ad exemplum veteris Castellæ Cameræ (*tit. 4 lib. 4 nuper citatæ Compil.*), Decreto 2 Maji 1851 erectum apud nos fuisse senatum pro Ecclesiasticis negotiis, sub titulo *Real Cámara Ecclesiastica*, ut ipso audito, de Episcopatum, Dignitatum, præbendarum, cæterorumque beneficiorum provisione à Gubernio ageretur, et similiter in aliis, quæ Ecclesiam inter ac Statum relationes attingant.

Denique animadvertendum, pro prudentiori Reg. Juspatronatus exercitio, et antiquæ Cast. Cameræ, et nuper constitutæ, regulas præscriptas esse; illæ nempe maxime *leg. 12, tit. 18 alleg. Novis. Compilat.* huic, Decreto 25 Julii 1851; in quibus de qualitatibus promovendorum, tum ad Prælaturas, tum ad dignitates, præbendas, cæteraque beneficia, late decisum est.

13. Pertinent hæc ad Episcoporum electiones. Prælati autem ceteri vel sæculares, vel regulares, aut nominantur à Principibus, ut eos Pontifex confirmet, vel eliguntur à collegio illorum, quibus præficiuntur.

14. Electio canonica esse debet, ut vim habeat; atque ut canonica sit, duo præsertim spectare decet, primum, qui eligere, alterum, qui eligi possint. Omnibus, qui sunt è gremio capituli, jus est eligendi, et cunctos, qui eo jure frui possent, vocare decet (1), ne si aliquis prætermisus est, querelam proponat suam, ut electio irrita declaretur (2). Absentes vocantur per literas, nisi in remotis locis commorentur (3); nemo invitus interesse cogitur electioni (4), et qui interesse nequit propter justum impedimentum, recte suffragium suum committit uni ex canonicis, vel etiam extraneo, si capitulum consenserit (5).

(1) *Cap. 13, 55 de Elect.*

(2) Quod si absens ratam habeat electionem vel expressis verbis, vel silentio suo, ea minime vitiat *cap. 28 de Elect.*

(3) *Cap. 18 et 28 de Elect.*

(4) *Argum. cap. 6 de Privil.* Verum si intersit Ecclesiæ, vel consuetu-

dine, aut statuto inductum sit, quod omnes non impediti ad faciendam electionem venire debeant, eos omnes venire oportet, Schmalzgrueb. *Jus. eccl. lib. 1 par. 2 tit. 6 §. 3 num. 22.*

(5) *Cap. 42 §. Illud autem de Elect.* Quin etiam plures constitui possunt procuratores, ut tamen unus eorum tantum suffragium ferat *cap. 46 de Elect. in 6.* Verum eligens nomine alterius, et suo, non debet ancipiti conscientia dividere suffragia in diversos, sed utrumque debet in unum conferre, nisi ad certam personam eligendam fuerit constitutus. *Cap. 46 §. Porro de Elect. in 6.*

45. Carent eligendi jure furiosi, et amentes, in sacris non constituti (1), suspensi (2), qui personali interdicto (3), aut majori excommunicatione tenentur (4), canonici supra numerum (5), carentes ætate, quam statuta postulant (6); denique prohibetur quis semetipsum eligere (7). Quidam etiam ad tempus amittunt eligendi potestatem; et hi sunt, qui inter eligentes laicorum suffragia admiserunt, quæ electio nullius momenti est (8), præterea negligentes eligere intra tempus à jure definitum, et canonicam in eligendo formam contemnescentes (9), et indignum scienter eligentes. Quæ potestas, pro ea vice, qua ii deliquerunt, devolvitur ad reliquos canonicos non delinquentes, et si omnes deliquerint, statim delabitur ad Summum Pontificem, si tantum neglexerint, ad proximum superiorem (10).

- (1) *Clemen. 2 de Ætat. et qualit. et ordin. præfic.*
- (2) Confer Schmalzgrueb. *loc. cit.* §. 1 num. 9, et Pirhing. *Jus. Can. lib. 1 tit. 6 secl. 1 num. 50*, ubi explicatur genus suspensionis, quæ canonicos à jure eligendi repellit.
- (3) Vid. Schmalzgrueb. *loc. cit.*
- (4) *Cap. Postulatis, et cap. ult. de Cler. excom. ministr.* Sed qui tenentur minori excommunicatione, licet eligi nequeant, possunt tamen eligere, uti constat ex *cap. 59 de Elect.*
- (5) *Argum. cap. 54 de Elect.*
- (6) *Cap. 52 eod. tit. in 6.*
- (7) *Cap. 26 de Jurepatr., et cap. 7 de Instit.*
- (N. S. At quorsum hoc? Profecto, tum ob alias rationes, tum vel maxime ne ambiendarum dignitatum Ecclesiasticarum daretur occasio; ac contra in electione per compromissum, data compromissariis facultate eligendi unum ex ipsis, compromissarii recte poterant eligere unum ex se, et electus electioni de se factæ recte consentire; neque ambitionis nomine accusari poterit, quippe quod ex forma compromissi licuit compromissariis unum ex se eligere, atque adeo compromissarius quisque totius Capituli sententia dignus est, qui promoveri possit: *Cap. 53 de Electione.*)
- (8) *Cap. 43 de Elect.*
- (9) *Cap. Quia propter eod. tit.*
- (10) *Cap. 41 de Elect., et cap. 18 eod. tit. in 6.*

46. Ut vero quis creetur Episcopus, exiguntur justî, ac le-

gitimi natales (1), et sana religio, et morum virtus, et idonea scientia (2), et Laurea Sacræ Theologiæ, Jurisve Canonici, aut publicum alicujus Academiæ testimonium, quo ad alios docendos idoneus ostendatur (3). Excluduntur ab Episcopatu minores annis triginta (4), irregulares omnes (5), criminosi (6), excommunicati, suspensi, interdicti (7), qui contra canonum decreta pluribus fruuntur beneficiis, quæ incompatibilia dicuntur (8), qui alium habet Episcopatum, nisi eo se abdicare paratus sit (9), qui saltem sex ante menses, quam eligatur, sacros ordines non susceperit (10), denique qui scienter elegit indignum, eligi per triennium nequit (11).

- (1) *Cap. 7 de Elect.*
- (2) *Cap. 19 eod. tit.*
- (3) Conc. Trident. *Sess. 22 cap. 2 de Refor.*
- (4) *Cap. 7 de Elect. Concil. Trident. Sess. 7 cap. 1 de Reform.* Quæ ætas annorum 30 absoluta esse debet, uti sancitum est à Gregorio XIV. in Constit. *Onus Apostolicæ 16, §. 9 tom. 5 par. 1 pag. 269. Bull. ed. cit.* In Galliis tamen, secundum pacta conventa, à Rege nominantur ad Episcopatum, qui vigesimum septimum agunt ætatis annum.
- (5) *Cap. ult. de Cleric. excom.*
- (6) *Cil. Const. Onus Apostolicæ Gregorii XIV. §. 9.*
- (7) *Cap. 8 de Consuet., cap. 8 de Ætat. qualit. et ordin. præfic.*
- (8) *Cap. 54 de Elect.*
- (9) Conc. Trident. *Sess. 7 cap. 2 de Reform.*
- (10) Conc. Trident. *Sess. 22. cap. 2 de Reform.*
- (11) *Cap. 25, et 26 de Elect.*
- (N. S. Pluribus profecto, iisque præstantissimis animi dotibus oportet ut fulgeant, et à cunctis vel levissimis nævis immunes sint eligendi ad Episcopatum. In his recensendis egregie *Syn. Tolet. IV Can. 19 alias 18.* Sanctius etiam, Navarræ Rex, in præf. *Conventu Pampil. Sinil.* ait *largissimi, mitissimi, humiles, amabiles, desiderabiles, probabiles, celebres Oratores, benefactores, concordēs, misericordēs, pii, justī, mansueti, benigni, pacifici, castissimi... bene instructi ad Ecclesiarum Officia.* Consonat Alphonsus Sap. à *Leg. 22 Tit. 5 Partit. 1;* quin et *Leg. 26* pœnas statuit in indignum eligentes.)

47. Episcopi electio facienda est intra tres menses (1), plurimum in templo cathedrali, et cum vacua est Ecclesia, adeo irritum sit quidquid, vivo Episcopo, gestum fuerit (2). Lapsa hoc tempore, jus eligendi devolvitur ad proximum superiorem (3).

- (1) *Cap. 41 de Elect.*
- (2) *Cap. 36 eod. tit.*
- (3) *Cap. 5 de Supplen. neglig. Prælat.*

18. Tribus autem modis, alio præterea nullo, electio perficitur: *per scrutinium, compromissum, et quasi inspirationem* (1). Fit *scrutinium* electis tribus scrutatoribus, quorum est colligere suffragia singulorum, quæ certa, et vacua conditione, atque ambiguitate esse debent (2), eaque colligenda sunt *secreto*, ut plurimum in scriptis, *singillatim*, non à pluribus conjunctim, *justo ordine*, ut scrutatores invicem à se ipsis suffragia excipiant, deinde à ceteris secundum ordinem, et prærogativam gradus, quem unusquisque obtinet, *diligenter*, ut vel ipsi, vel iis præsentibus, tabellio in scriptum redigat suffragia singulorum, eaque mox publicent, hoc est patefaciant, ut electus censetur, in quem *major, et sanior pars capituli* consensit (3).

(1) *Cap. Quia propter 42 de Elect.*

(2) *Cap. 2 eod. tit. in 6.*

(3) Ex quo conficiunt canonistæ, non tantam suffragiorum numerum esse æstimandum, sed etiam *zeli ad zelum*, ut ajunt, et *meriti ad meritum* collationem esse faciendam, monent. Verum nunc ea zeli ad zelum, et meriti ad meritum collatio obsolevit: ac tantum suffragiorum, quæ quidem justa, ac legitima sint, numerus inspicitur, uti observat Giraldus *Exposit. Jur. Pontific. Par. 1 lib. 1 sect. 46 pag. 29 tom. 1.*

19. Major pars æstimatur, respectu habito ad omnes illos, qui electioni intersunt; et ideo si eorum collegium constet ex gr. canonicis quindecim, nemo rite electus habetur, nisi octo suffragia obtinuerit (1). Si desit justus hic numerus suffragiorum, nihil agitur, sed electio consequenti die iteranda est, ac tandem repelenda, donec quis à majori parte eligatur. Absoluta, et patefacta electione, conficitur decretum, quod subscribunt eligentes (2), quibus tunc omnis variandi potestas adimitur (3).

(1) *Cap. 43 de Elect.*

(2) *Cap. 20 eod., can. 9 cap. 2 q. 1.*

(3) *Cap. 21. et 58 de Elect.*

20. Alter modus eligendi est *per compromissum*, quando à capitulo, *nemine dissentiente*, uni, vel pluribus, etiam extra gremium capituli existentibus clericis (1), electio committitur (2). Potestas compromissariis data, re non integra, revocari nequit; et cum ii, servatis compromissi legibus, ideoneum elegerunt, in eum consentire omnes debent, eumque habere Episcopi loco (3).

(1) *Cap. 42 de Elect.*

(2) *Cap. 50 et 55 de Elect.*

(3) *Cap. 8, 50 et 52 ed.*

21. Denique *per quasi inspirationem* electio absolvitur, cum electores omnes, quasi divino Spiritu afflato, in eum repente feruntur, de quo antea vix cogitaverant.

(N. S. V. Partit. 1 tit. 5, à leg. 19 usque ad 21, in quibus Alph. Sapiens hosce electionum modos mirifice explicat.)

22. Electio rite absoluta electo mox offerenda est, ejusve consensus petendus, quem intra mensem, ne cadat jure suo, debet emittere (1); et præterea intra mens tres à Superiore petenda est confirmatio (2). Sed Episcopi, et ceteri, qui à Summo Pontifice confirmandi sunt, intra mensem iter arripere debent ad Sedem Apostolicam, et ab ea petere confirmationem, vel per se ipsos, vel per idoneum procuratorem, sumpto tempore ad itinervis longinquitatem necessario (3).

(1) *Cap. 6 de Elect. in 6.*

(2) *Cil. cap. 6 de Elect. in 6.*

(3) *Cap. 16 de Elect. in 6, Clem. 2 §. ult. eod.*

23. Ideo vero desideratur confirmatio, ut in electionis rationem, in mores, atque in merita electi sedulo inquiratur (1). Nam per eam Episcopus consequitur jurisdictionis potestatem (2), quam si exerceat ante confirmationem, jus amittit ex electione quæsitum (3).

(1) *Cap. 19, 22, 44 de Elect.*

(2) *Cap. 15 eod. tit.*

(3) *Cap. 17 eod., cap. 5 eod. in 6.* Vide etiam *Constit. Romani Pontificis, 6 Julii II. tom. 3 pag. 265 Bullarii ult. ed. Roman.*, qua confirmatis superioribus ea de re Pontificum constitutionibus, cautum est, ut qui Episcopatum adepti sunt in Curia Romana, literas Apostolicas intra annum impetrare debeant, atque ut ante eas impetratas Ecclesiæ administrationem suscipere nequeant.

Episcopum electum, non vero confirmatum, jurisdictionem in Ecclesiam, ad quam nominatus est, exercere non posse, abundanter probat Hisp. Prælati, auctor opp. *Juicio analítico sobre el Discurso canónico legal que dió á luz el Excmo. é Illmo. Sr. D...., Arzobispo presentado para Toledo*; ut alia similia ea de re nostratum scripta, non multis abhinc annis in lucem, et eundem in finem, edita, omittamus.

Præfata tamen Canon. prohibitionis exceptio est in electis ultra Italianam constitutis, dummodo electi sint *concordibus suffragiis* (quod patet, solummodo locum habere in casu, quo collegium aut capitulum eligendi jus habeat, minime vero in frequentiori, quo Monarcha *nominet vel presentet*, ut in Hispaniæ fit), et confirmationem electionis petere debeant ab Apostolica

Sede; his enim *ex dispensatione* conceditur Ecclesiarum administratio, ac si electio confirmata fuisset, una dempta ipsarum bona alienandi facultate: *cap. 11 de Electione*. Berardi, Comment., tom. 1, dissert. 4, cap. 8, §. ult.

Quod ad praxim spectat, in Indiar. Eccles. servatam, ut Episcopi electi ante confirmationem illarum regimen suscipere, de ea sic se habet Illmus. Auct. prælaudat. opp. *Juicio analitico* pag. 55, nota: "Nos consta por persona fidedigna, y que la ha tenido en sus manos, que en el archivo de Indias existia no ha muchos años la Bula de Pio ó Paulo IV. en la que se autorizaba á los Obispos presentados por nuestros Reyes para las Iglesias de América, para que pudiesen administrarlas antes de recibir las Bulas de la confirmación. Esta noticia... sirve para justificar la creencia en que estábamos, de que semejante práctica no podría subsistir, sin que se fundara en una autorización mas ó menos espresa de la Silla Apostólica..."

24. Olim confirmatio à Metropolitana fiebat; et cum eam, ut plurimum, statim exciperet consecratio, vix una ab altera distinguebatur, adeont Episcopus utramque simul potestatem, et jurisdictionis, et ordinis, acquirere videretur. Verum confirmatio, et consecratio duo semper distincta fuerunt, ac semper firmum, immotumque fuit, per illam jurisdictionis, per hanc vero ordinis conferri potestatem. Nunc primum Episcopi ab aliis electi, aut nominati, à Summo Pontifice confirmantur, postea eorum consecratio perficitur, uti demonstratum supra est. Cum extra Curiam Romanam electi mores, et cetera scitu necessaria expendantur, *processus* conficitur vel à Nuntio Apostolico, vel ab Ordinario, vel si hic desit, à vicinioribus Ordinariis (1), et inde ad Urbem transmittitur, ubi, cunctis diligentissime perpensis, in Consistorio refertur ad Summum Pontificem, quæ *præconizatio* dicitur, deinde in altero Consistorio iudicium fertur, quæ dicitur *propositio*, quam statim sequitur decretum, quod, consultis Cardinalibus, à Summo Pontifice emittitur (2). Episcopi Italiæ, atque Insularum adiacentium coram Summo Pontifice à Cardinalibus, Prælatibus, atque aliis Sacræ Theologiæ, et Juris Canonici peritis viris diligenti, atque improvise examine probantur, eorumque *processus* in Urbe conficitur, antequam Episcopatum obtineant (3).

(1) Cone. Trid. Sess. 22 cap. 2 de Reform., et sess. 24 cap. 1 de Reform., ubi accuratius rei totius conficiendæ methodus, et ratio declaratur.

* In Hispania apud Apost. Sedis Nuntium conficitur hic, de quo Ul. Auct. agit, *processus*, in quo et de congruentibus electi qualitatibus, et de Ecclesiæ, ad quam præsentatus est, statu inquisitio versatur.*

(2) Vid. cit. *Const. Onus Apostolicæ* Gregorii XIV, et instructionem editam. au. 1627 ab Urbano VIII., quæ est in *Bullario* tom. 6 par. 1 pag. 75 Cons. 254, ubi etiam traditur ratio, quam servare oportet, cum Regulares

Episcopatum consequuntur, et ostenditur, quæ tenenda sit methodus cum extra urbem, quæ item, cum in urbe *processus* conficitur.

(3) Vide Fagnanum in *cap. Nisi cum pridem* num. 63 de *Renunciat.*

Summo Pontificatui inhaerens jus Episcopos confirmandi, mirifice adse-rebat et ab objectis vindicabat perillustris olim cath. scriptor, F. Lamennais, opere, quod Hispanus quidam Prælati vernaculo sermone edidit Matriti, sub titulo: "Tradicion de la Iglesia sobre la confirmacion de los Obispos;" et de eodem argumento perbelle inter nostrates versati sunt, Doct. D. Petrus Inguanzo, Ovetensis Eccl. Canon. *Doctoralis*, postea S. R. E. Cardinalis, Toletanus Archipræsul, notissimo tractatu vulgo: "Discurso sobre la confirmacion de los Obispos;" et D. Jos. Ign. Moreno, Limanæ in Peruvia Metrop. Eccl. Archidiaconus, opere: "Supremaeia del Papa, especialmente con respecto á la institucion de los Obispos;" quod tribus volum. constat.*

SECTIO II.

DE POSTULATIONE.

25. QUID POSTULATIO SIT?—26. IN QUO DIFFERAT AD ELECTIONE?—27. IN QUO CUM EA CONVENIAT?

25.

Cum aliquis eligendus est, qui canonico impedimento laborat, ita ut ejus electio rata firma haberi non possit, rogare oportet eum, cui jus est dandæ veniæ, ut vitium illud, et impedimentum removeat. Quod fit per postulationem, quæ est petitio à collegio Electorum apud majorem Potestatem facta ejus, qui ob aliquod canonicum impedimentum eligi non potest; ea vero respicere debet dumtaxat illos, quorum tolli impedimentum solet, et potest, ceteri inutiliter postulantur (1).

(1) *Cap. 1 de Postulat.*

Vetus Ecclesia eam noverat postulationem, qua clerici et populus ad quemdam præ aliis omnibus sibi Pastorem obtinendum, ardentissime vota suasque preces exponebant; aut eum, quem sibi præfici optabant, ab illius Ecclesiæ, cui adscriptus erat, Superiore dimittendum flagitabant; aut denique à Principibus electionis libertatem, ut dein canonicè confirmaretur, ex-petebant: *Can. 1. Dist. 61 in Decreto Gratiani.**

26. Differt ab electione postulatio, quod hæc gratiæ innititur, illa juri; hæc Superiori offertur, qui idoneus non est, ut ab eo vitium, et impedimentum avertat, illa qui est idoneus, ut electus confirmetur; in electione, quæ rite facta est, electores consilium mutare non possunt, possunt (1) in postulatione, antequam ea Superiori offeratur (2); electus consentire in suam

Sede; his enim *ex dispensatione* conceditur Ecclesiarum administratio, ac si electio confirmata fuisset, una dempta ipsarum bona alienandi facultate: *cap. 11 de Electione*. Berardi, Comment., tom. 1, dissert. 4, cap. 8, §. ult.

Quod ad praxim spectat, in Indiar. Eccles. servatam, ut Episcopi electi ante confirmationem illarum regimen suscipere, de ea sic se habet Illmus. Auct. prælaudat. opp. *Juicio analitico* pag. 55, nota: "Nos consta por persona fidedigna, y que la ha tenido en sus manos, que en el archivo de Indias existia no ha muchos años la Bula de Pio ó Paulo IV, en la que se autorizaba á los Obispos presentados por nuestros Reyes para las Iglesias de América, para que pudiesen administrarlas antes de recibir las Bulas de la confirmación. Esta noticia... sirve para justificar la creencia en que estábamos, de que semejante práctica no podría subsistir, sin que se fundara en una autorización mas ó menos espresa de la Silla Apostólica..."

24. Olim confirmatio à Metropolitana fiebat; et cum eam, ut plurimum, statim exciperet consecratio, vix una ab altera distinguebatur, adeont Episcopus utramque simul potestatem, et jurisdictionis, et ordinis, acquirere videretur. Verum confirmatio, et consecratio duo semper distincta fuerunt, ac semper firmum, immotumque fuit, per illam jurisdictionis, per hanc vero ordinis conferri potestatem. Nunc primum Episcopi ab aliis electi, aut nominati, à Summo Pontifice confirmantur, postea eorum consecratio perficitur, uti demonstratum supra est. Cum extra Curiam Romanam electi mores, et cetera scitu necessaria expendantur, *processus* conficitur vel à Nuntio Apostolico, vel ab Ordinario, vel si hic desit, à vicinioribus Ordinariis (1), et inde ad Urbem transmittitur, ubi, cunctis diligentissime perpensis, in Consistorio refertur ad Summum Pontificem, quæ *præconizatio* dicitur, deinde in altero Consistorio judicium fertur, quæ dicitur *propositio*, quam statim sequitur decretum, quod, consultis Cardinalibus, à Summo Pontifice emittitur (2). Episcopi Italiæ, atque Insularum adiacentium coram Summo Pontifice à Cardinalibus, Prælatibus, atque aliis Sacræ Theologiæ, et Juris Canonici peritis viris diligenti, atque improvise examine probantur, eorumque *processus* in Urbe conficitur, antequam Episcopatum obtineant (3).

(1) Cone. Trid. Sess. 22 cap. 2 de Reform., et sess. 24 cap. 1 de Reform., ubi accuratius rei totius conficiendæ methodus, et ratio declaratur.

* In Hispania apud Apost. Sedis Nuntium conficitur hic, de quo Ul. Auct. agit, *processus*, in quo et de congruentibus electi qualitatibus, et de Ecclesiæ, ad quam præsentatus est, statu inquisitio versatur.*

(2) Vid. cit. *Const. Onus Apostolicæ* Gregorii XIV, et instructionem editam. au. 1627 ab Urbano VIII., quæ est in *Bullario* tom. 6 par. 1 pag. 75 Cons. 254, ubi etiam traditur ratio, quam servare oportet, cum Regulares

Episcopatum consequuntur, et ostenditur, quæ tenenda sit methodus cum extra urbem, quæ item, cum in urbe *processus* conficitur.

(3) Vide Fagnanum in *cap. Nisi cum pridem* num. 63 de *Renunciat.*

Summo Pontificatui inhaerens jus Episcopos confirmandi, mirifice adse-rebat et ab objectis vindicabat perillustris olim cath. scriptor, F. Lamennais, opere, quod Hispanus quidam Prælatum vernaculo sermone edidit Matriti, sub titulo: "Tradicion de la Iglesia sobre la confirmacion de los Obispos;" et de eodem argumento perbelle inter nostrates versati sunt, Doct. D. Petrus Inguanzo, Ovetensis Eccl. Canon. *Doctoralis*, postea S. R. E. Cardinalis, Toletanus Archiepiscopus, notissimo tractatu vulgo: "Discurso sobre la confirmacion de los Obispos;" et D. Jos. Ign. Moreno, Limanæ in Peruvia Metrop. Eccl. Archiepiscopus, opere: "Supremae del Papa, especialmente con respecto á la institucion de los Obispos;" quod tribus volum. constat.*

SECTIO II.

DE POSTULATIONE.

25. QUID POSTULATIO SIT?—26. IN QUO DIFFERAT AD ELECTIONE?—27. IN QUO CUM EA CONVENIAT?

25.

Cum aliquis eligendus est, qui canonico impedimento laborat, ita ut ejus electio rata firma haberi non possit, rogare oportet eum, cui jus est dandæ veniæ, ut vitium illud, et impedimentum removeat. Quod fit per *postulationem*, quæ est petitio à collegio Electorum apud majorem Potestatem facta ejus, qui ob aliquod canonicum impedimentum eligi non potest; ea vero respicere debet dumtaxat illos, quorum tolli impedimentum solet, et potest, ceteri inutiliter *postulantur* (1).

(1) *Cap. 1 de Postulat.*

Vetus Ecclesia eam noverat *postulationem*, qua clerici et populus ad quemdam præ aliis omnibus sibi Pastorem obtinendum, ardentissime vota suasque preces exponerant; aut eum, quem sibi præfici optabant, ab illius Ecclesiæ, cui adscriptus erat, Superiore dimittendum flagitabant; aut denique à Principibus electionis libertatem, ut dein canonicè confirmaretur, expe-tebant: *Can. 1. Dist. 61 in Decreto Gratiani.**

26. Differt ab electione *postulatio*, quod hæc gratiæ innititur, illa juri; hæc Superiori offertur, qui idoneus non est, ut ab eo vitium, et impedimentum avertat, illa qui est idoneus, ut electus confirmetur; in electione, quæ rite facta est, electores consilium mutare non possunt, possunt (1) in *postulatione*, antequam ea Superiori offeratur (2); electus consentire in suam

electionem potest, postulatus non potest, nisi sub conditione, si eadem rata habeatur; denique electo à majori suffragiorum parte perficitur, postulatio, ut probetur, duas saltem eorum partes desiderat (3).

- (1) *Cap. 58 de Elect.*
- (2) *Cap. 4 de Postulat.*
- (3) *Cap. 3 de Postulat.*

27. In ceteris eadem est electionis, et postulationis ratio, et qui eligendi, ii etiam postulandi jus habent. Præstat tamen electio postulationi, et ideo si pars capituli aliquem elegerit, pars vero postulaverit, tunc postulatio electioni præferitur, cum postulantium numerus duplo major est numero eligentium (1). Postulatio autem, ut electio, examinanda est, et postulantes adire debent Superiorem, qui jus habet confirmandæ electionis. Sed hodie generatim omnes, quibus vel ætas, vel alius Episcopatus, vel quidvis aliud impedimento est, quominus eligi possint, à Sede Apostolica veniam, sive, ut pragmatici vocant, *indultum eligibilitatis* impetrare solent.

- (1) *Cap. 40 de Elect.*
- (N. S. V. Alph. Sap. legg. 24 et 25 tit. 5 cit. Part. 1.)

SECTIO III.

DE COLLATIONE.

28. QUID SIT COLLATIO?—29. EPISCOPUS COLLATOR BENEFICIORUM SUE DIŌCESES.—50. SUMMUS PONTIFEX COLLATOR BENEFICIORUM OMNIUM.—51. APOSTOLICÆ RESERVATIONES.—52. RESERVATIONES CLAUŌE IN CORPORE JURIS.—53. RESERVATIONES EXTRAVAGANTIUM.—54. RESERVATIONES COMPREHENSÆ BULLIS SUMMORUM PONTIFICUM.—55 AD 57. RESERVATIONES REGULARUM CANCELLARIÆ.—58 AD 40. RESERVATIONUM DISCRIMEN.—41 ET 42. ANNATÆ, ET EARUM ÆQUITAS.—43 ET 44. CARDINALES, ET LEGATI À LATERE QUÆ BENEFICIA CONFERANT?—45 ET 46. COLLATIO QUOMODO EXPEDIATUR?

28.

Collatio est modus alius, quo Ecclesiasticos Magistratus, et beneficia adipiscimur. Desinitur beneficii vacantis ab habente potestatem libere facta concessio. Summo jure collatio dupliciter differt ab electione. Primum, quod electio locum habet in beneficiis, quæ vacua viduam faciunt Ecclesiam, uti Episcopatus,

Abbatia, collatio in ceteris; deinde quod electio fit à pluribus, uti sunt collegia Canonorum, collatio ab uno solum rectissime absolvitur. Sed moribus hominum, et consuetudine factum est, ut quibusdam in locis Dignitates etiam Capitulorum electione tribuantur, atque interdum electio dicatur ea beneficii concessio, quæ ab uno conficitur.

29. Collator est omnium beneficiorum suæ diœceseos Episcopus (a); sed lex aliqua sæpe impedimento est, quominus ipse certa beneficia conferre possit. Atque huc spectant Apostolicæ reservationes; per quas certorum beneficiorum collatio pertinet ad Summum Pontificem; huc leges, consuetudines, foundationes, per quas certa beneficia vel ab Episcopo cum Capituli consensu, vel conjunctim cum eo, vel alternatim, vel à solo Capitulo conferuntur. Quas foundationes, consuetudines, leges, quæ in unaquaque Ecclesia vigent, tenere, ac servare diligenter decet.

(a) (N. S. Jam inde ab Apostolorum ævo illa semper in Ecclesia viguit consuetudo, veterum Conciliorum Canonibus firmata, ut omnes Diœceseos Ecclesiæ cum suis redditibus, decimis, oblationibus, aliisque quibuscunque juribus, in Episcopi essent potestate: Conc. Antiochenum *Can. 24*, Aurelianense *1 Can. 17*, Cabilonense *1 Can. 42*, Moguntinum an. 813 *Can. 3*, Turonense *Can. 16* etc. His omnibus prævit ætate, et sententiæ dignitate Syn. Tolet. *IV Can. 33*; alias *52*, ita constituens: *Noverint conditores Basilicarum, in rebus, quas eisdem ecclesiis conferunt, nullam potestatem habere: sed juxta Canonum instituta, sicut Ecclesiam, ita et dolem ejus ad ordinationem episcopi pertinere.*)

30. Sed Summus etiam Pontifex, cujus potestas fertur in omnes diœceses, omnium beneficia conferre potest; et ideo sibi merito quorundam collationes reservavit (1). Eo jure certe usus est S. Gregorius M. (2), quem suspicari non licet jus alienum invadere, et rem non suam arripere voluisse. Sæculo præsertim XII. jus hoc explicabatur per triplex genus literarum (3); quæ conferendi ratio cum minus commoda videretur, satius visum est literis consignare certas beneficiorum reservationes, ut omnes intelligerent, quorum collatio ad Summum Pontificem, quorum ad Episcopos, atque ad ceteros pertineret.

(1) *Papa jure potuit*, inquit Petrus Alliacensis *de Eccles. Conc. gener. Rom. Pontif. auctor. par. 2 cap. 1 §. unde ulterius to. 2 opp. Gersonii pag. 945 ed. Antuerpiæ 1706, ordinationes majorum, et electivarum dignitatum, ac collationes aliorum beneficiorum sibi, et Apostolicæ Sedi reservare, quia hæc antiquissimo jure sibi competebant. Hæc etiam non solum jure universali administrationis Papalis potuerunt competere, sed*

electionem potest, postulatus non potest, nisi sub conditione, si eadem rata habeatur; denique electo à majori suffragiorum parte perficitur, postulatio, ut probetur, duas saltem eorum partes desiderat (3).

- (1) *Cap. 58 de Elect.*
- (2) *Cap. 4 de Postulat.*
- (3) *Cap. 3 de Postulat.*

27. In ceteris eadem est electionis, et postulationis ratio, et qui eligendi, ii etiam postulandi jus habent. Præstat tamen electio postulationi, et ideo si pars capituli aliquem elegerit, pars vero postulaverit, tunc postulatio electioni præferitur, cum postulantium numerus duplo major est numero eligentium (1). Postulatio autem, ut electio, examinanda est, et postulantes adire debent Superiorem, qui jus habet confirmandæ electionis. Sed hodie generatim omnes, quibus vel ætas, vel alius Episcopatus, vel quidvis aliud impedimento est, quominus eligi possint, à Sede Apostolica veniam, sive, ut pragmatici vocant, *indultum eligibilitatis* impetrare solent.

- (1) *Cap. 40 de Elect.*
- (N. S. V. Alph. Sap. legg. 24 et 25 tit. 5 cit. Part. 1.)

SECTIO III.

DE COLLATIONE.

28. QUID SIT COLLATIO?—29. EPISCOPUS COLLATOR BENEFICIORUM SUE DIŌCESES.—50. SUMMUS PONTIFEX COLLATOR BENEFICIORUM OMNIUM.—51. APOSTOLICÆ RESERVATIONES.—52. RESERVATIONES CLAUŌE IN CORPORE JURIS.—53. RESERVATIONES EXTRAVAGANTIUM.—54. RESERVATIONES COMPREHENSÆ BULLIS SUMMORUM PONTIFICUM.—55 AD 57. RESERVATIONES REGULARUM CANCELLARIÆ.—58 AD 40. RESERVATIONUM DISCRIMEN.—41 ET 42. ANNATÆ, ET EARUM ÆQUITAS.—43 ET 44. CARDINALES, ET LEGATI À LATERE QUÆ BENEFICIA CONFERANT?—45 ET 46. COLLATIO QUOMODO EXPEDIATUR?

28.

Collatio est modus alius, quo Ecclesiasticos Magistratus, et beneficia adipiscimur. Desinitur beneficii vacantis ab habente potestatem libere facta concessio. Summo jure collatio dupliciter differt ab electione. Primum, quod electio locum habet in beneficiis, quæ vacua viduam faciunt Ecclesiam, uti Episcopatus,

Abbatia, collatio in ceteris; deinde quod electio fit à pluribus, uti sunt collegia Canonorum, collatio ab uno solum rectissime absolvitur. Sed moribus hominum, et consuetudine factum est, ut quibusdam in locis Dignitates etiam Capitulorum electione tribuantur, atque interdum electio dicatur ea beneficii concessio, quæ ab uno conficitur.

29. Collator est omnium beneficiorum suæ diœceseos Episcopus (a); sed lex aliqua sæpe impedimento est, quominus ipse certa beneficia conferre possit. Atque huc spectant Apostolicæ reservationes; per quas certorum beneficiorum collatio pertinet ad Summum Pontificem; huc leges, consuetudines, foundationes, per quas certa beneficia vel ab Episcopo cum Capituli consensu, vel conjunctim cum eo, vel alternatim, vel à solo Capitulo conferuntur. Quas foundationes, consuetudines, leges, quæ in unaquaque Ecclesia vigent, tenere, ac servare diligenter decet.

(a) (N. S. Jam inde ab Apostolorum ævo illa semper in Ecclesia viguit consuetudo, veterum Conciliorum Canonibus firmata, ut omnes Diœceseos Ecclesiæ cum suis redditibus, decimis, oblationibus, aliisque quibuscunque juribus, in Episcopi essent potestate: Conc. Antiochenum *Can. 24*, Aurelianense *1 Can. 17*, Cabilonense *1 Can. 42*, Moguntinum an. 813 *Can. 3*, Turonense *Can. 16* etc. His omnibus prævit ætate, et sententiæ dignitate Syn. Tolet. *IV Can. 33*; alias *52*, ita constituens: *Noverint conditores Basilicarum, in rebus, quas eisdem ecclesiis conferunt, nullam potestatem habere: sed juxta Canonum instituta, sicut Ecclesiam, ita et dolem ejus ad ordinationem episcopi pertinere.*)

30. Sed Summus etiam Pontifex, cujus potestas fertur in omnes diœceses, omnium beneficia conferre potest; et ideo sibi merito quorundam collationes reservavit (1). Eo jure certe usus est S. Gregorius M. (2), quem suspicari non licet jus alienum invadere, et rem non suam arripere voluisse. Sæculo præsertim XII. jus hoc explicabatur per triplex genus literarum (3); quæ conferendi ratio cum minus commoda videretur, satius visum est literis consignare certas beneficiorum reservationes, ut omnes intelligerent, quorum collatio ad Summum Pontificem, quorum ad Episcopos, atque ad ceteros pertineret.

(1) *Papa jure potuit*, inquit Petrus Alliacensis *de Eccles. Conc. gener. Rom. Pontif. auctor. par. 2 cap. 1 §. unde ulterius to. 2 opp. Gersonii pag. 945 ed. Antuerpiæ 1706, ordinationes majorum, et electivarum dignitatum, ac collationes aliorum beneficiorum sibi, et Apostolicæ Sedi reservare, quia hæc antiquissimo jure sibi competebant. Hæc etiam non solum jure universali administrationis Papalis potuerunt competere, sed*

etiam ex speciali causa ratione materiæ subjectæ: utpote quia inferiores in suis electionibus, et ordinarii collatores in beneficiorum collationibus abutebantur, et per potentiam laicalem sæpe jure suo non libere uti permittebantur, seu alia aliqua speciali ratione.... Ex quo subinfertur, quod cum Sedes Apostolica in præmissis præscripsit, supposito quod Summi Pontifices in hoc abusi fuerint, vel excesserint, non propter hoc est ab eis hujusmodi jus tollendum, sed abusus pellendus, et excessus restringendi sunt. Confer Paulutium Jurispr. sac. tom. 2 lib. 6 tract. 10 cap. 4, et Thomassinum Vel. et nov. Eccles. disciplin. par. 2 lib. 1 cap. 45 et seq.

(2) Vide S. Gregorium M. ep. 8. 79. 80 lib. 1 col. 495, 565, ep. 15, 24 et 57 lib. 2 col. 577, 587 et 599 seqq., et ep. 14 lib. 4 col. 694 opp. tom. 2, ed. Paris. 1705, ubi multa hujus rei exempla sunt. Nullum vero indicium, et nulla conjectura est, unde colligi possit, S. Gregorium primum fuisse, qui eo jure uti cœperit. Quinimo cum ipse antiquarum regularum studiosissimus esset, certe dicendum merito est, eum nihil novi induxisse, sed illud tantum egisse, quod ab aliis Pontificibus superiori ætate actum fuerat. Revera ante Gregorium M. Innocentius I. anno circiter 415, ab Episcopo Naissitano restitui jussit Presbyteros à Bonoso, antequam damnarentur, ordinatos, qui Naissitana dioceseos Ecclesias administrabant: ep. 16 apud Constantium col. 321 seq. Cælestinus an. 450 aperte Sedis Apostolicæ auctoritatem sanxisse scribit, ut clerici de dignitate dejecti, locum suum recuperare deberent: ep. 14 ad Cler. et Popul. Constantinopol. num. 7 col. 1146 ibid. Leo M. an. 454. Anatolio Constantinopolitano Antistiti jussit, ut Aetium de Archidiaconatu ejus Ecclesiæ defectum restitueret, eiceretque Andream, qui ejus locum injuria occupabat: ep. 115 cap. 2 col. 1190, ep. 152 cap. 2 col. 1262, et ep. 255 cap. 2 col. 1273 opp. tom. 1 edit. Ballerin Venet. 1755. Simplicius anno circiter 475 Gaudentium Aulsiensem Episcopum ob illicitas ordinationes, munere sacerdotali, et magna ecclesiasticorum reddituum parte multavit: ep. 5 ad Florent. apud Labbæum tom. 5 Concil. col. 96. edit. Venet. Neque multo post Gelasius I. de rebus Ecclesiarum universe constituit, pœnamque indixit in Episcopos, qui secus facerent: ep. 9 ad episc. Lucan. cap. 27. et 28, et ep. 10 ad episc. Sicil. col. loc. col. 321. Confer etiam eundem Gelasium in Fragmen. epist. loc. cit. col. 549. seq., et Symmachum ep. 5 ad Cæsar. Arelaten. cap. 1 ibid. col. 425. Mitto cetera generis ejusdem, ex quibus manifestum est, semper Romanos Pontifices ecclesiasticorum honorum arbitrium, et potestatem habuisse.

(3) Dabantur primum literæ monitoriæ, quibus nisi pareret Episcopus, adhibebantur præceptoræ, et si neque iis mos gereretur, mittebantur executoriæ, et simul eum iis Executor, ejus erat curare, ut pontificia mandata exitum consequerentur. Earum mentio est in decretalibus, præsertim Innocentii III, et Honorii III. cap. 50, 57, 58 et 46 de Rescript. Non inde tamen conlci potest, præceptorias, atque executorias literas primum ab his Pontificibus datas fuisse, quasi superiores Pontifices rem omnem egerint hortatu solum, ac precibus, quæ deinceps in mandata conversæ fuerint. Nam ante hos Pontifices non preces, sed mandatum, hoc est præceptorias literas adhibuerant Hadrianus IV ep. 11 ad Theobal. episc. Paris. ep. 14 ad Canon. S. Crucis Aurelian. ep. 16 ad Godefrid. episc. Atreb. col. 25 et seq. tom. 15 concil. collect. Labbæi ed. Venet. et Alexander III. in cap. Si quando de Rescript; atque ejus quidem ea in re potestatem non solum nemo in discrimen revocavit, sed etiam Rex ipse, atque Episcopi agnovērunt. Nam ep. 167 ad Decanum et capitul. Paris. col. 221 cit. tom. 15 Concil., Nepoti Meldensis Episcopi Beneficium, aut Dignitatem contulit precibus, ut ipso

loquitur, Carissimi in Christo filii illustris Francorum Regis, Reginae quoque, et aliarum magnarum personarum precibus inductus. Quid opus verbis est? Quanta, et quam late patens antiquissimis temporibus potestas fuerit Summorum Pontificum in administratione, cura, et distributione reddituum Ecclesiarum, ostendit S. Gregorius M. non solum literis, quarum supra facta mentio est, sed etiam ep. 12 lib. 5 col. 757 ibid, qua jussit, ut Visitatori, quem ipse miserat ad Ecclesiam Agrigentanam, quarta pars reddituum ejusdem Ecclesiæ unoquoque anno tribueretur, itemque Cæsarius Arelatenensis ep. ad Symmachum P. tom. 2. concil. col. 956. collect. Harduini ed. Paris, S. Leo M. ep. 17 pag. 85 par. 2. ed. Romæ 1755, aliique complures. Non in omnibus quidem Pontificis literis eadem est verborum formula, sed omnes tamen eodem redeunt, ut quicquid iis literis comprehensum est, exitum habere debeat. Orto schismate inter Urbanum VI, et Pseudo-Papam Clementem VII, jus reservationum in discrimen revocari cœpit; verum ipse Ludovicus Bavarus in suo, cui favebat, Pseudo-Papa potestatem agnovit reservandi sibi collationem beneficiorum; ubicumque Ludovicus dominium habebat temporalium, aut prævalebat armis, Antipapa in spiritualibus præsidebat, dignitates, ac beneficia conferebat; uti narrat Cornelius Zantliet in Chron. apud Martenium Vel. Scriptor. tom. 5 pag. 187. Ex quo facile intelligitur, quomodo catholici reservationes, quæ à vero Pontifice fiebant, accipere debuissent. Revera eas utiles, et salubres appellant antiqui Scriptores, qui ea ætate floruerunt, quoniam per eas effectum est, ut averterentur mala, et vitia, quæ in collationes beneficiorum, atque in Episcoporum electiones irrepserant. Confer Bernardum Guidonis in Vit. Joan. XXII. apud Baluzium Vit. Papar. Avinion. tom. 1 col. 157. Petrum de Herentals ibid. col. 482. Auctorem Anonymum qui suppar fuit Joanni XXII, in Cod. Vaticano num. 4869 pag. 9, et confer etiam acta Cleri Gallicani tom. 12 pag. 15 ed. Paris. 1740, ubi, inter ceteras, hanc etiam rationem proposuit Henricus III, Galliarum Rex, cum quidam essent, qui antiquam electionum rationem reintegrari cupiebant. Sed et aliæ, cæque justissimæ fuerunt reservationum inducendarum causæ; ut scilicet Romani Pontifices clericos bene de Ecclesia meritos remunerandi, tum Principibus pro aliquo rogantibus gratificandi, eosque in Ecclesiam propensiores reddendi copiam haberent, atque etiam ut beneficiorum collatione firmiter esset Romanæ Ecclesiæ communicatio cum ceteris Ecclesiis, atque ita unitas Religionis, et mutua conspiratio, atque concordia ecclesiasticæ disciplina conservaretur. Consule Thomassinum Vel. et nov. eccles. discipl. par. 2 lib. 1 cap. 45 et seq., et Cl. Zaccariam in Anti Febronio par. 2 lib. 5 cap. 5 num. 8 et seq. tom. 4, ubi de his reservationibus diligeret, atque erudite disputatur. Actum est de Pontificis reservationibus in Concilio Constantiensi, atque hoc alterum erat caput, quod à futuro Pontifice commendari debebat, uti patet ex sess. 40 col. 706 tom. 16 concil. collect. Labbæi ed. Venet. Sed electo Martino V, nihil à Concilio contra illas actum est, imò à Summo Pontifice in ipso Concilio probatæ, confirmatæque sunt tum antiquæ reservationes, tum Regula Cancellariæ, ac præterea nova est inducta reservatio mensium, quæ regula IX. Cancellariæ continetur, uti constat ex sess. 45 col. 722, 751 et 1275.

(N. S. Apud nos olim Patroni nonnulli mandata de providendo etiam respectu beneficiorum non vacantium, seu expectativarum concedere ausi sunt; putantes forsitan idem sibi in laici Patronatus Beneficiis licere, ac in libera collationis, Romano Pontifici. Abusionem hanc radicitus evellere constituens Syn. Vallisolet. Cap. 15: Statuimus, ait, ut nulli Ecclesiarum Patroni ad Ecclesias, in quibus Juspatronatus obtinent, antequam vacent, cuiquam

litteras presentationis concedant; quas si forte concesserint, eo ipso irritæ sint penitus, et inanes. Clerici vero, qui hujusmodi litteras presentationis impetrant, vel pro quibus ipsis scientibus, et consentientibus ab alio impetrantur, ad Ecclesias ipsas obtinendas in ipsa vacatione reddantur inhabiles ipso facto. Non ideo tamen Patronorum audacia cohibita est, uti colligitur ex Synod. Arand. an. 1475 Cap. 13, quæ huic abusioni penitus extinguendæ manum etiam adplicuit.)

31. Tunc igitur stabilitæ sunt reservationes, quæ sane sunt dissimiles ab affectionibus, et hinc alia sunt beneficia, quæ reservata, alia, quæ affecta dicuntur. Affecta sunt ea, quibus conferendis se miscuit, seu manus apposuit Summus Pontifex; reservata autem sunt, quorum collatio Pontifici expresse servata est. Reverentia Pontifici debita facit, ut nemo conferre possit beneficium affectum, aut reservatum; sed affecta beneficia pro ea tantum vice, reservata perpetuo à Pontifice conferuntur (1).

(1) Præter jus reservationis, confert etiam Summus Pontifex alienarum dioceseon beneficia *jure devolutionis*, cum scilicet ad eum collatio devolvitur, et *jure præventionis*, cum primus collationem occupat.

32. Reservationes aliæ *juris corpore clausæ*, et aliæ *extra corpus juris* esse dicuntur. *Juris corpore* continetur reservatio, quam sancivit Clemens IV. (1), beneficiorum, quæ per obitum in Curia vacua fiunt. Quæ reservatio à Bonifacio VIII. traducta deinceps est etiam ad beneficia, quæ obtinent Legati, aut Nuntii Sedis Apostolicæ, ac ceteri omnes ad Romanam Curiam venientes, vel ab ea recedentes, si in locis Curiæ finitimis, hoc est, duorum dierum in itinere distantibus, ex hac vita migraverint; itemque ad beneficia Curialium, qui se in locum contulerint Curiæ finitimum, ibique decesserint, aut Curiam comitantes, dum ea transfertur, in itinere mortui sunt (2).

- (1) Cap. 2 de Præben. in 6.
- (2) Cap. 34 eod. tit. in 6.

33. *Extra corpus juris* sunt reservationes, quæ Extravagantibus, quæ item Bullis Summorum Pontificum, quæ denique Cancellariæ Regulis comprehenduntur. Principio Joannes XXII. (1) confirmavit, latiusque explicavit reservationem, quam fecerat Clemens V. (a); tum Sedi Apostolicæ reservavit collationem beneficiorum vacantium per prohibitam eorum multitudinem, sive pluralitatem (2). Postea Benedictus XII. superiora confirmans.

reservata esse voluit beneficia, quæ vacua fiunt, ubi quis Episcopatum est assequutus, ubi alio translatus, ubi motus dignitate, ubi addictus Curie decessit, postremo beneficia, quæ coram Pontifice resignantur (3). Atque hæ reservationes sunt, quæ Extravagantibus continentur (4).

- (1) Extravag. Ex debito 4 de Elect. int. communes.
- (2) Extrav. Execrabilis 4 de Præben. inter commun.
- (3) Extrav. Ad Regimen. 15 eod. tit. int. commun. Vide Rigant. ad Regul. 1 Cancellar. §. 1 num. 38 et seq.
- (4) Extravagantes tum communes, tum Joannis XXII nunc corporis Juris Canonici partem faciunt; sed quoniam Extravagantium nomine huic corpori insertæ sunt, pristinam adhuc naturam suam retinere videntur, ideoque his comprehensæ reservationes Juris corpore clausæ non dicuntur. Confer. Rigantium loc. cit. num. 45 et seq.
- (a) Extrav. 3 de Præb. inter comm.

34. Bullæ Pontificum Romanorum multas habent reservationes. Nam ad eas spectant beneficia vacantia propter crimen hæreseos (1); beneficia recepta contracta fiducia, sive, ut vulgo ajunt, *in confidentiam* (2); beneficia vacantia vacua Sede Episcopali (3); Ecclesiæ parochiales, quæ concursu delatæ non fuerint (4); beneficia eorum, qui offendunt litigantes, judices, causidicos Curie Romanæ (5); itemque beneficia eorum, qui simulato nomine subeunt examen, ut pro alis beneficium obtineant, aut pensiones offerunt beneficii obtinendi causa (6); denique beneficia vacantia ex resignatione, in qua observatum non fuit præceptum, quod de ea publicanda à Gregorio XIII. dictum est (7).

- (1) S. Pius V. Bulla cum ex Apostolatus 41 tom. 4 par. 2 pag. 343. Bullar. ind. edit. ult.
- (2) S. Pius V. Bulla Intolerabilis 117 tom. 4 par. 3 pag. 67.
- (3) S. Pius V. Bulla Sanctissimus in Christo 77 tom. 4 par. 5 pag. 362.
- (4) S. Pius V. Bulla in conferendis 51 tom. 4 par. 2 pag. 362.
- (5) Alexander VI. Bulla in eminenti Sedis 15 tom. 3 par. 3 pag. 255.
- (6) Paulus IV. Bulla inter ceteras 17 tom. 4 par. 1 pag. 540.
- (7) Gregorius XIII. Bulla Humano vix judicio 155 tom. 4 par. 4 pag. 41.

35. Magnus quoque est reservationum numerus in Regulis Cancellariæ. In 1, renovantur reservationes duarum, quas memoravimus, Extravagantium, *ad regimen*, et *execrabilis*; præterea reservantur beneficia, in quibus conferendis non ea servata est ratio, quam Synodus Tridentina constituit. In 2, reservan-

tur omnes Ecclesiæ Cathedralis, et Monasteria consistorialia majoris redditus quam 200. florenorum auri *(399. circiter ducatorum Hispan.)*, et omnia beneficia, quæ vacua fiunt Sede Episcopali vacante. In 3, ampliantur reservationes *Extravagantis ad regimen*, et reservantur beneficia, quæ aliquis resignavit, aut dimisit intra tempus vacationis, et concessionis aliorum incompatibilium beneficiorum. In 4, reservantur majores Dignitates post Pontificales in Ecclesiis Cathedralibus, et principes Dignitates in Ecclesiis Collegiatis excedentes redditus decem florenorum auri, *(Hispan. ducat. circiter 21)*; non quidem omnes, sed quæ prima sit, sive Decanatus, sive Præpositura, sive alio quovis nomine appelletur; præterea Dignitates conventuales Regulares, quæ in commendam dantur, et perpetuæ sunt; præceptoriarum quorumvis Ordinum non militarium; denique beneficia Cardinalium (1), et eorum, qui vel Summo Pontifici, vel ipsis Cardinalibus familiares famuli fuerint.

(1) Vide Constitutionem Julii III editam die 12 Decemb. an. 1553, impressam post ejus Regulas Cancellariæ, qua declaratum est, etiam Cardinales tamquam Pontificis familiares habendos esse.

36. In 5, omnia beneficia collectorum, et subcollectorum fructuum Camerae Apostolicæ. In 6 omnia beneficia Curialium in itinere decedentium, dum Curia transfertur. In 7, beneficia omnia cubiculariorum, atque cursorum Summi Pontificis. In 8. Canonicatus, Præbendæ, Dignitates, Personatus, Officia, quæ sunt in tribus Urbis Ecclesiis S. Joannis Lateranensis, S. Petri in Vaticano, et S. Mariæ Majoris (1), itemque beneficia, quæ, absentibus Cardinalibus, in eorum titulis vacaverint.

(1) Verum Regula hæc non comprehendit minora beneficia, quorum collatio privilegiis Summorum Pontificum ad Cardinales Archipresbyteros, atque ad Capitula pertinet, uti observat Rigantius *ad eamd. Regulam. §. 1 num. 15 et seq.*

37. Denique in IX. regula reservantur cuncta beneficia, quæ vacaverint in octo mensibus januarii, february, aprilis, maji, julii, augusti, octobris, novembris. Hodie iis Episcopis, qui in suis Ecclesiis commorantur, beneficia, et remunerationis loco libera (quam tamen postulare debent) sex mensium collatio permittitur, eo quidem tempore, quo resident, ita ut alternis mensibus cum Pontifice dividant collationem, nisi ea bene-

ficia vacant, quæ ex aliis capitibus ad Pontificem pertineant. Relinquantur autem his Episcopis february, aprilis, junius, augustus, october, et december; menses reliqui Summo Pontifici reservantur.

(N. S. Ad Hispanias quantum attinet, omnia minora liberæ collationis Beneficia, quæ in octo in Regula IX recensitis mensibus vacabant, R. Pontifici conferenda, servata erant; Dignitates videlicet, Canonicatus, Portiones, Personatus, Abbatia, Prioratus, et his similia, iis exceptis, quæ in Regnis Granatensi, et Indiarum instituta sunt, quorum præsentatio ad Hispaniarum Reges semper pertinuit; id quod agnovit Benedictus XIV in Bulla die 9 Junii an. 1755, edita in *Concord. confirm.*

Reservationum usus extinctus in Hispania non est, donec an. 1755, inito Concordato Benedictum XIV inter, et Ferdinandum VI, Apostolica Sedes universo Beneficiorum Hispaniæ Patronatu sponte cessit, et in Catholicum Regem transtulit, quinquaginta duobus dumtaxat reservatis, quæ in ipsa Conventione nominatim exprimuntur.

Cum, ejusmodi Conventionis vi, omnium omnino Beneficiorum, et Præbendarum Patronatus, qui peculiaris non sit, ad Regem nostram pertineat, ea quæ in quatuor exceptis ordinariis mensibus vacare contigerit, nunc ab Episcopo, nunc à Capitulo, nunc etiam ab utroque simul, pro diversis Ecclesiarum consuetudinibus, privilegiis, et compromissis, vel pactis confirmatis, conferuntur. Præbendæ vero, quæ *de Officio* vocantur, videlicet, Penitentiarum, Magistralis, Lectoralis, et Doctoralis, ab Episcopo simul cum Capitulo, publico præcedente concursu, conferuntur, ex *Concord. an. 1755 Art. 2*, quin hujusmodi confirmandis Collationibus necessariæ sint Bullæ sub sigillo Plumbi, quæ antea solebant expelli: Benedictus XIV in *Declarat. Concord. sub die 10 Septemb. an. 1755.*

Novissimo tamen Concordato, ejus nempe art. 18, hæc de re quæ sequuntur, statuta habes:

• Loco duorum supra quinquaginta beneficiorum, de quibus in tractatu anni 1755 expressa sit mentio, liberæ Romani Pontificis dispositioni reservantur, Cantoris Dignitas in singulis Metropolitanis, itemque in Cathedralibus, Asturicensi, Abulensi, Pacensi, Barcinonensi, Gaditana, Cluniensi, Conchensi, Guadicensi, Oscensi, Gienensi, Lucensi, Malacitana, Mindoniensi, Ovetensi, Oriolensi, Palentina, Salmaticensi, Santanderiensi, Seguntina, Tudensi, Victoriensi et Zamorensi: in reliquis autem omnibus canonicatus vulgo *de gracia*, qui prima Sanctitatis Sæ collatione præfigetur. Hujusmodi vero beneficia ad formam prædicti tractatus conferentur.

• Ad dignitatem Decani in cunctis Ecclesiis, et quovis tempore, ac modo vacet, Regia Majestas perpetuo nominabit. Canonicatum *de officio* provisio ad Prælatos, et Capitula, prævio concursu, pertinebit. Cæteris dignitatibus, ac canonicatibus Majestas Sua, et Archiepiscopi atque Episcopi, stricto alternando, providebunt. Beneficiati seu Capellani adstantes vicisim per ipsam Majestatem Suam, et Prælatos ac Capitula nominabuntur.

• Præbendarum, Canonicatum, et Beneficiorum eorundem nominatio, quoties ob possessoris dimissionem, vel ad alterum Beneficium promotionem vacent, iis exceptis, quæ Summo Pontifici reservata sunt, ad Regiam Majestatem semper, et quando eumque spectabit.

• Idem prorsus servabitur quoad ea, quæ vacant sede vacante, aut vacua

supersint tempore mortis, translationis, vel resignationis Prælati, cujus erat jus conferendi.

Regiæ Majestati Sux similiter competet prima nominatio ad Dignitates, Canonicatus, et Beneficia in Cathedralibus noviter erigendis, nec non ad illa, quæ in nova Vallisoleti Metropolitana augebuntur, præter tamen Summo Pontifici reservata, et Canonicatus *de officio*, quibus consuetæ forma providebitur.

Singuli porro ad prædicta Beneficia nominati institutionem, et collationem canonicam à propriis Ordinariis semper et omnino consequi teneantur.

De qualitatibus promovendorum ad dignitates, præbendas, et beneficia Ecclesiarum, tum cathedralium, tum collegiarum, habendum præ oculis est decretum 25 Julii 1851, antea citatum; in quo pro recto Regalis de proposito Jurispatronatus exercitio regulæ præscribuntur, quas nec indicare sint nostri instituti ratio.

Ad rem quoque est aliud decretum 21 Novemb. ejusd. anni, adsentiente Apost. Nuntio latum, ubi de nova prædictorum capitulorum constitutione disponebatur; cujus art. 17 declaratur pro patronis Eccles. collegiarum, de quibus Concordati art. 21 §. 5 (v. pag. 215) sermo sit, jus præsentandi ad quaslibet ipsarum præbendas ac beneficia, ut eo, prout antea, in posterum utantur. Illius quoque Decreti art. 25 sic se habet: «A fin de quitar toda duda acerca de la inteligencia de la última parte del §. 2. art. 18 del Concordato, relativa á la provision de los beneficios ó capellanías de las Iglesias metropolitanas, catedrales y colegiadas, se declara pertenecer aquella á mi Real Corona, á los Prelados diocesanos con sus cabildos por rigorosa alternativa entre sí, luego que tenga efecto el primer arreglo del personal de cada Iglesia (quod eventisse jam, notum est), siguiéndose en los turnos el orden que se establece en el artículo precedente (ut nempe á Reg. Potestate primum, et postea á Prælati diocesanis, nominationes, de quibus agitur, fierent). Para la provision de los beneficios que correspondan al Prelado con su cabildo, turnarán estos entre sí, principiando por el primero.»

Quod attinet ad ultimum transcripti articuli 18 §., de illo versantur decreta 28 Martii, 14 Maji, et 5 Octob. an. 1852, inter quæ postremum, adsentiente S. Sedis Nuntio editum, tantum à præscripta Prælat. Ordin. collatione excipit dignitates ac præbendas, quæ Sum. Pont. reservantur, et in forma gratiosa conferendæ sunt, quarum respectu unice illis competit mandatum de immittendo in possessionem pronuntiare. Prima quoque ex citat. Reg. sanctionibus aboliuntur informationes apud nos vocatæ *pruebas de estatuto*.

Huc denique spectat repet. Concordati art. 25 (pag. 216), in quo Collegialis Eccl. accommodantur regulæ pro Cathedral. præbendarum ac beneficiorum provisione stabilitæ.*

38. Inter reservationes harum Regularum, ceterasque reservationes, quæ aut Juris corpore, aut Extravagantibus, aut Bullis continentur, magnum discrimen est. Nam hæ perpetuam vim habent, illæ autem vim omnem amittunt, decedente Pontifice, sed paulo post creationem ab unoquoque suscitantur. Quod non ita intelligendum est, ut vacua Sede Apostolica liceat Episcopo conferre beneficia omnia, quæ in Regulis Cancellariæ reservantur.

39. Nam videndum est, cujus generis sit reservatio. Cum ad-

hæret rei, hoc est beneficio, cujus generis sunt Regulæ 1, 2, 3, 4, et 8, cum item pertinet ad certam personam, cujus officium reservationem inducit, quo spectant Regulæ 3, 6, 7, etiam mortuo Pontifice manet reservatio. Itaque nullum ex his beneficiis conferre potest Episcopus, exceptis illis, quæ curam habent animarum, quæque vacua Sede Apostolica ab Episcopo recte conferuntur, ne quid interim, dilata collatione, populus accipiat detrimenti (1).

(1) Cap. 55 de Præben. in 6.

40. Quare propter obitum Pontificis tantum reservata esse desinunt beneficia, quæ ad tempus conferendi pertinent, quæque Regula 9, continentur. Verum hæc etiam beneficia ut recte ab Episcopo conferantur, expedienda est collatio, cum vacua est Sedes Apostolica; nam electo Pontifice, confirmatisque Regulis, amittit Episcopus conferendi facultatem, eaque redit ad Summum Pontificem (1).

(1) Regula 68. Cancellariæ.

41. In conferendis beneficiis exigit Sedes Apostolica unius anni redditus, si beneficia sint majora, sive consistorialia, ut Archiepiscopatus, Episcopatus, et similia; dimidium autem fructuum unius anni, si beneficia minora sint, et ejus redditus singulis annis summam superent 24 ducatorum aureorum, quos vocant *de Camera*; quæ annatæ, et mediæ annatæ nuncupantur (1). Earum usus in Ecclesiis quibusdam antiquissimus est (2); sed quo primum tempore iisdem Romana Ecclesia uti cœperit, non satis exploratum est (3).

(1) De annatis agitur in Bulla Decret Romanam 7 Pauli II tom. 3 par. 5 Bullar. pag. 126, in Bulla Apostolicæ 4. Innocenti VIII tom. 5 pag. 200, in Bulla Incumbentia 16. Pauli IV tom. 4 par. 1 pag. 359, in Bulla Apostolicæ 56. S. Pii V tom. 4 part. 2 pag. 369, in Bulla Cameræ nostræ 46. Sixti V tom. 4 par. 4 pag. 215, in Bulla Alias 56. Urbani VIII tom. 5 par. 5 pag. 222, in Bulla Postquam 82. Clementis X tom. 7 pag. 146.

(2) Consule Thomassinum Vet. et nov. Eccles. disciplin. par. 3 lib. 2 cap. 58 num. 1 et seq., et Natalem Alexandrum Hist. eccles. dissert. 9 de annatis art. 1 pag. 487 tom. 9 ed. Venet. an. 1776, à quibus multa ea de re exempla asseruntur.

(3) Multi sunt viri docti, et graves, qui annatas inductas putant exemplo Legis Veteris, qua Levitæ Summo Sacerdoti decimas decimarum solvere jubebantur. Numer. 18. Nam quemadmodum Lege Nova Romanus Pontifex

Summus Sacerdos est, ac totius Ecclesiae caput, ita æquum est, quod ei ab Episcopis, et Sacerdotibus aliquid persolvatur, quo ipse consulat decenti tuitioni sui, atque omnes agnoscant Primatum, quem habet in Ecclesia universa. Ita sane Legatis Principum Germaniæ, qui de annatis conquerebantur, responsum scribit Pallavicinus *Hist. Conc. Trident. lib. 2 cap. 8 num. 4*. Confer B. Thomam 2, 2, *quæst. 37 art. 4*, Petrum Alliaccensem in *tract. de Auctor. Eccles. etc. par. 2 tom. 2 opp. Gersonii pag. 945 ed. Anluerpiæ 1706*, Baronium *ad an. 1156 num. 19 pag. 105 tom. 19 ed. Lucæ*, Raynaldum *ad an. 1599 num. 12 pag. 50 tom. 8 ed. Lucæ*. Anatarum usum in Ecclesia Romana antiquissimum esse constat; sed quo primum tempore induci cœperit, certo definiri non potest. De Clemente V narrant Matthæus Westmonasteriensis *Flor. Histor. ad an. 1306 pag. 454 ed. Francofurti 1601*, et Thomas Walsinghamus *Ypodigm. Neustriæ in Anglic. Hibernic. etc. pag. 497 et 498 ed. Francofurti 1602*, eum ad duos tresve annos beneficiorum, quæ in Anglia vacarent, annatas reservasse. Similiter Joannes XXII legem edidit de annatis ad certum tempus solvendis ex omnibus beneficiis *Extrav. 10 et 11 de Præb. et dign. int. communes*; et post obitum Gregorii XI. Camere Apostolicæ magna vis pecuniæ ob non solutas annatas debebatur, uti tradit Thomassinus *par. 5 lib. 2 cap. 59 num. 5*. Denique Bonifacius IX perpetuam ea de re legem edidit, modumque constituit, qui nunc pro solvendis annatis obtinet, a quo hinc ipse Pontifex annatarum auctor à quibusdam habetur, licet eæ revera multo antiquiores sint, uti ostendunt Spondanus *ad an. 1599 num. 1*, et Raynaldus *ad eundem annum num. 12 pag. 50 tom. 8 ed. Lucæ*.

42. Hoc unum constat, pervetustum esse annatarum usum in Ecclesia Romana, atque earum exigendarum causas esse justissimas, ac prope necessarias. Nam à Romanis Pontificibus multa, et gravia ferenda sunt onera, ut opem ferant Principibus adversus hæreticos, atque infideles, cujus rei monumenta certa in historiis extant, ut in longinquas regiones mittant viros ecclesiasticos amplificandæ causa religionis, ut pauperibus, atque ad Christi fidem venientibus opitulentur, ut denique rebus consulant Ecclesiae universæ (1). Hinc cum sæpe de annatis actum, quæsitumque fuisset, nihil adversus eas constitutum est, sed firmæ, immotæque sunt relictæ, omniaque explosa, et rejecta, quæ contra ipsas proponebantur (2).

(1) His de causis, quas nemo non intelligit esse justissimas, exiguntur annatæ; ex quo patet, quam gravis sit error illorum, qui aliquid simoniæ vitium in iis latere existimant, quasi propter electionum confirmationem, aut beneficiorum collationem exigantur. In hoc errore refutando frustra à nobis opera tereretur, cum id multi præstiterint graves, et intelligente, viri, quos ne singulos recenseamus, indicabimus Thomassinum *Vet. et nov. eccl. discipl. par. 5 lib. 2 cap. 53 n. 5*, et Natalem Alexandrum *Hist. eccl. sæc. 15. et 16. dissert. 9 de annatis artic. 3 pag. 490 tom. 9 ed. Ven. 1776*. Confer etiam Fagnanum in *Cap. Præterea 1 Ne Prælati vices suas etc. et Zaccariam in Anti-Febronio par. 2 lib. 5 cap. 3 num. 1 et seq. tom. 4*, qui de annatis agunt copiose, et diligenter.

(2) Actum de annatis fuit in Concilio Constantiensi, eum quidam essent, quibus eæ minime probarentur. *Nationis Gallicanæ Deputati*, ut inquit Natalis Alexander *loco mox indicato*, *simoniæ notam annatis affinxerant errore facti, quia propter confirmationem electionum, et promotionum ad ecclesiasticas dignitates sacrum illud tributum exigi sunt arbitrati*. Sed nemo Gallicanæ Ecclesie tribuat, quod nationis Gallicanæ Deputati contra annatas apud Constantiense Concilium scripserunt, cum florentissimam illam Ecclesiam sufficienter non repræsentarent; nec Petrus de Alliaco, et Joannes Gersonius, præclara ejusdem Ecclesie, et Academiae lumina, aliique Præsules, et Doctores annatas simoniæ damnarent. Illæ de annatis querelæ ad Concilium delatæ fecerunt, ut *Sess. 40* etiam annatæ describerentur inter cetera, quæ futuro Pontifici emendanda proponebantur. Martinus V, qui *Sess. 41* Pontifex creatus est, multa emendavit *Sess. 45*, sed nihil contra annatas constituit, imo vero declaratum est, quod ceteris fuerant satisfactum, uti patet ex ipsa *Sess. 45 col. 721 tom. 16 collect. Labbæi ed. Venet.* Quin in Ms. codicibus Cardinalis Capranica, et Vindobonensis, qui appendicis loco Constantiensis Concilii actis adjuncti sunt *ib. col. 725 de cr. 4*, et *col. 728 de cr. 15* habentur hæc: *Romano Pontifici, et S. R. E. Cardinalibus pro illorum sustentatione, rebus Romanæ Ecclesie stantibus, ut sunt, non videtur aliter posse provideri, quam hucusque factum est, scilicet per beneficia, et communia servilia, quæ vacantie nuncupantur*. In Concilio Basileensi *Sess. 12 tom. 17 concil. collect. Labbæi col. 277*, rogatus est Summus Pontifex, ut annatas tolleret, cum polliciti fuissent concilii Patres, sese daturos operam, ut aliud annatarum loco obtineret. Sed cum deinceps nihil ea de re præstitissent concilii Patres, Summus Pontifex annatas retinuit, quas antea percipiebat. Ejusdem concilii Patres cum male animati essent in verum Pontificem Eugenium IV, à quo Synodus revocata fuerat, annatas sustulerunt *Sess. 21 ibid. col. 517*, sed postea *Sess. 42 ibid. col. 418* annatas, quas in legitimo Pontifice condempnaverant, dederunt Pseudo-Papæ Felici V, cujus partes tuebantur. Aliæ adversus annatas editæ sunt leges in Sanctione Pragmatica; sed ea sublata pacis conventis inter Leonem X, et Franciscum I. Galliarum Regem, cautum est, ut irritæ essent collationes beneficiorum, quorum veri reditus designati, ac patefacti non fuissent. Etiam ad Concilium Tridentinum querelæ contra annatas delatæ sunt; sed Concilii Patres omnibus satisfecerunt, atque annatarum æquitatem clarissime demonstrarunt, uti narrat Cardinalis Pallavicinus in *Hist. Concil. Trident. lib. 2 cap. 8 num. 5 et seq.* Confer etiam Pii IV. responsa ad Germanorum de annatis querelas apud Raynaldum *ad an. 1565 num. 44 tom. 15 pag. 570 edit. Lucæ 1756*.

43. Etiam Cardinales, et Legati à latere fruuntur jure conferendi beneficia, quæ vacaverint in eorum titulis, atque Episcopatibus suburbicariis, aut in provincia, in qua legationis munus exercent. Atque hi beneficia conferunt quovis mense, cum non obstringantur alterna illa mensium divisione, quæ profluit ex regula IX. Cancellariæ; Legatus quidem à latere in provincia sua primus occupare potest collationem beneficiorum, quæ ad Episcopum pertinent, ita ut si ab utroque idem beneficium collatum sit, potior habeatur collatio, quæ antiquior est (1).

(1) *Cap. 6 de Offic. Legat. cap. 31 de Præben. in 6.*

44. Omnes Cardinales habent à Summo Pontifice facultatem, sive, uti vocant, indultum (1) conferendi beneficia, quibusdam exceptis (2), quæ vacua fiunt in suis titulis, Ecclesiis Cathedralibus, Diœcesibus, Abbatibus, et Monasteriis sibi commendatis, laxato vinculo Regularum Cancellariæ. Verum ut in suis titulis, atque Episcopatibus suburbicariis conferre ipsi beneficia possint, in Curia Romana commorari debent (3), quoniam absentes eo jure carent, nisi illud peculiari beneficio Summi Pontificis impetraverint (4). In tribus autem Basilicis S. Joannis Lateranensis, S. Petri in Vaticano, et S. Mariæ Majoris, quæ inter Cardinalium titulos minime recensentur, Cardinales Archipresbyteri minora conferunt beneficia, etiamsi absentes Curia reperiantur (5).

(1) Indultum, quod singulis Cardinalibus à Summo Pontifice dari solet, late explicat Rigantius *ad regul. 3 Cancell. §. 1 ferre per tot.*

(2) Excipiuntur majores Dignitates in Cathedralibus, et principes dignitates in Collegiatis Ecclesiis, aliæque beneficia, quorum collatio ad unum Pontificem pertinet, et de quibus late agit Rigantius *ad regul. 1 cancell. §. 4 n. 15 et seq. ad regul. 4 §. 1 num. 53 et §. 5 num. 24 et seq.*

(3) Vide Rigantius *ad regul. 8 Cancell. §. 1 num. 44 et seq., et n. 144 et seq.* ubi ostenditur, quæ proprie curia Romana sit, in qua Cardinalis commorari debet, ut beneficia conferat, quæ in suo titulo, aut Episcopatu suburbicario vacua fiunt.

(4) Quædam hujus generis exempla numerat Rigantius *loc. cit. num. 142.*

(5) Vide Rigantius *loc. cit. n. 57 et seq.* Verum collatio minorum beneficiorum in tribus Urbis Basilicis pertinet etiam, uti diximus, ad capitula, qua de re videndus ipse Rigantius *loc. cit. num. 15 seq.*

45. Collatio, sive ab Episcopo fiat, sive à Summo Pontifice, sive ab ejus Legato, aut Cardinali, non viva voce, sed scripto fieri debet. Pontifex dat diplomata, quæ Bullæ dicuntur, quæque à pluribus Dataria, et Cancellariæ ministris obsignantur. Earum aliæ dicuntur *in forma gratiosa*, aliæ *in forma dignum*, aliæ demum *in forma Commissaria*. Literæ *in forma gratiosa* dantur ad clericum, qui sui Episcopi exhibitio testimonio beneficium obtinuit, eæque veram secum ferunt beneficium collationem. Literæ *in forma dignum*, quæ ita appellantur, quod ab eo verbo exordiuntur, locum habent, cum illud Episcopi testimonium, ex quo pateat idoneum esse clericum, in medium allatum non fuit; propterea mittuntur ad Episcopum, cujus esse debet certo clerico beneficium attribuire, postquam ipse, facto periculo,

dignus, et idoneus repertus est. Denique *in forma Commissaria* conceduntur literæ, cum clericus illud quidem dedit Episcopi testimonium, sed multa adhuc ab se narrata Summo Pontifici, ut beneficium consequatur, demonstrare debet coram designatis *Executoribus*, vocatis omnibus, quorum interest. Atque hæc literæ non veram collationem continent, sed tantum *mandatum*, ut ajunt, *de conferendo*.

46. Episcopus etiam publico instrumento, eoque ab ejus Cancellario obsignato, complectitur beneficium collationem. Ubique mentio fit de natura, atque redditibus beneficium, de tempore, ac modo, quo illud vacaverit, de meritis ejus, qui idem postulat.

(N. S. Synodus Vallisolet. *cap. 10*, cupiens obviam ire fraudibus, quæ sub clandestinis Collationibus peragi consueverant, has duxit instituere sollempnitates, nimirum, ut *Collatio fiat in Capitulo, vel coram Notario publico, aut testibus fidedignis, vel cum patenti ipsius Prælati Littera, vel alterius, seu aliorum quoruncunque, ad quos Beneficiorum spectat, vel spectare debet dicta Collatio, præsentibus testibus in Littera ipsa Collationis insertis, per quæ probari possit Collatio, deque ea nullatenus dubitari. Alias volumus, quod Collatio ipsa nullius obtineat roboris firmitatem.*)

Laicales collationes aperte ac optimo jure SS. canonibus interdictæ: *cap. 54 de Præben.* Posse tamen laicum, ex Apost. Sedis dispensatione vel privilegio, beneficia conferre, affirmat cum aliis nostras N. Garcia *Tractatu de Benef. part. 1, cap. 2, num. 54 et seq.*

SECTIO IV.

DE INSTITUTIONE, ET JUREPATRONATUS.

47. INSTITUTIONIS DEFINITIO.—48. JUSPATRONATUS. UNDE DUCTUM PATRONI NOMEN?—49. JURISPATRONATUS CONCEDENDI CAUSÆ, EJUSQUE ORIGO.—50 ET 51. JUSPATRONATUS VEL ECCLESIASTICUM, VEL LAICALE, VEL MIXTUM.—52. REALE, VEL PERSONALE, ITEMQUE HEREDITARIUM, VEL GENTILITICUM.—53 ET 54. QUOMODO ACQUIRATUR?—55 AD 57. QUOMODO TRANSFERATUR, ET QUOMODO À PLURIBUS PRÆSENTATIO FIAT?—58. QUOMODO AMITTATUR?

Postremus modus, quo Ecclesiasticos Magistratus, et beneficia consequimur, est Institutio, quæ definitur beneficium concessio facta ad præsentationem ejus, qui habet juspatronatus (1). Quare duo hic necessaria sunt, ut quis beneficium obtineat, Institutio, et Præsentatio. Hæc ad Patronum pertinet, cujus est designare, et offerre clericum; illa ad Episcopum, cujus est

(1) *Cap. 6 de Offic. Legat. cap. 31 de Præben. in 6.*

44. Omnes Cardinales habent à Summo Pontifice facultatem, sive, uti vocant, indultum (1) conferendi beneficia, quibusdam exceptis (2), quæ vacua fiunt in suis titulis, Ecclesiis Cathedralibus, Diœcesibus, Abbatibus, et Monasteriis sibi commendatis, laxato vinculo Regularum Cancellariæ. Verum ut in suis titulis, atque Episcopatibus suburbicariis conferre ipsi beneficia possint, in Curia Romana commorari debent (3), quoniam absentes eo jure carent, nisi illud peculiari beneficio Summi Pontificis impetraverint (4). In tribus autem Basilicis S. Joannis Lateranensis, S. Petri in Vaticano, et S. Mariæ Majoris, quæ inter Cardinalium titulos minime recensentur, Cardinales Archipresbyteri minora conferunt beneficia, etiamsi absentes Curia reperiantur (5).

(1) Indultum, quod singulis Cardinalibus à Summo Pontifice dari solet, late explicat Rigantius *ad regul. 3 Cancell. §. 1 ferre per tot.*

(2) Excipiuntur majores Dignitates in Cathedralibus, et principes dignitates in Collegiatis Ecclesiis, aliæque beneficia, quorum collatio ad unum Pontificem pertinet, et de quibus late agit Rigantius *ad regul. 1 cancell. §. 4 n. 15 et seq. ad regul. 4 §. 1 num. 53 et §. 5 num. 24 et seq.*

(3) Vide Rigantius *ad regul. 8 Cancell. §. 1 num. 44 et seq., et n. 144 et seq.* ubi ostenditur, quæ proprie curia Romana sit, in qua Cardinalis commorari debet, ut beneficia conferat, quæ in suo titulo, aut Episcopatu suburbicario vacua fiunt.

(4) Quædam hujus generis exempla numerat Rigantius *loc. cit. num. 142.*

(5) Vide Rigantius *loc. cit. n. 57 et seq.* Verum collatio minorum beneficiorum in tribus Urbis Basilicis pertinet etiam, uti diximus, ad capitula, qua de re videndus ipse Rigantius *loc. cit. num. 15 seq.*

45. Collatio, sive ab Episcopo fiat, sive à Summo Pontifice, sive ab ejus Legato, aut Cardinali, non viva voce, sed scripto fieri debet. Pontifex dat diplomata, quæ Bullæ dicuntur, quæque à pluribus Dataria, et Cancellariæ ministris obsignantur. Earum aliæ dicuntur *in forma gratiosa*, aliæ *in forma dignum*, aliæ demum *in forma Commissaria*. Literæ *in forma gratiosa* dantur ad clericum, qui sui Episcopi exhibitio testimonio beneficium obtinuit, eæque veram secum ferunt beneficium collationem. Literæ *in forma dignum*, quæ ita appellantur, quod ab eo verbo exordiuntur, locum habent, cum illud Episcopi testimonium, ex quo pateat idoneum esse clericum, in medium allatum non fuit; propterea mittuntur ad Episcopum, cujus esse debet certo clerico beneficium attribuere, postquam ipse, facto periculo,

dignus, et idoneus repertus est. Denique *in forma Commissaria* conceduntur literæ, cum clericus illud quidem dedit Episcopi testimonium, sed multa adhuc ab se narrata Summo Pontifici, ut beneficium consequatur, demonstrare debet coram designatis *Exequutoribus*, vocatis omnibus, quorum interest. Atque hæc literæ non veram collationem continent, sed tantum *mandatum*, ut ajunt, *de conferendo*.

46. Episcopus etiam publico instrumento, eoque ab ejus Cancellario obsignato, complectitur beneficium collationem. Ubique mentio fit de natura, atque redditibus beneficium, de tempore, ac modo, quo illud vacaverit, de meritis ejus, qui idem postulat.

(N. S. Synodus Vallisolet. *cap. 10*, cupiens obviam ire fraudibus, quæ sub clandestinis Collationibus peragi consueverant, has duxit instituere sollempnitates, nimirum, ut *Collatio fiat in Capitulo, vel coram Notario publico, aut testibus fidedignis, vel cum patenti ipsius Prælati Littera, vel alterius, seu aliorum quoruncunque, ad quos Beneficiorum spectat, vel spectare debet dicta Collatio, præsentibus testibus in Littera ipsa Collationis insertis, per quæ probari possit Collatio, deque ea nullatenus dubitari. Alias volumus, quod Collatio ipsa nullius obtineat roboris firmitatem.*)

Laicales collationes aperte ac optimo jure SS. canonibus interdictæ: *cap. 54 de Præben.* Posse tamen laicum, ex Apost. Sedis dispensatione vel privilegio, beneficia conferre, affirmat cum aliis nostras N. Garcia *Tractatu de Benef. part. 1, cap. 2, num. 54 et seq.*

SECTIO IV.

DE INSTITUTIONE, ET JUREPATRONATUS.

47. INSTITUTIONIS DEFINITIO.—48. JUSPATRONATUS. UNDE DUCTUM PATRONI NOMEN?—49. JURISPATRONATUS CONCEDENDI CAUSÆ, EJUSQUE ORIGO.—50 ET 51. JUSPATRONATUS VEL ECCLESIASTICUM, VEL LAICALE, VEL MIXTUM.—52. REALE, VEL PERSONALE, ITEMQUE HEREDITARIUM, VEL GENTILITICUM.—53 ET 54. QUOMODO ACQUIRATUR?—55 AD 57. QUOMODO TRANSFERATUR, ET QUOMODO À PLURIBUS PRÆSENTATIO FIAT?—58. QUOMODO AMITTATUR?

47. **P**ostremus modus, quo Ecclesiasticos Magistratus, et beneficia consequimur, est Institutio, quæ definitur beneficium concessio facta ad præsentationem ejus, qui habet juspatronatus (1). Quare duo hic necessaria sunt, ut quis beneficium obtineat, Institutio, et Præsentatio. Hæc ad Patronum pertinet, cujus est designare, et offerre clericum; illa ad Episcopum, cujus est

designato clerico beneficium tribuere, modo nihil obstat, ejus causa repellendus videatur (2).

(1) Institutionis vocabulum latius interdum accipitur, adeo etiam collationem comprehendat, eaque est institutio, quae libera appellatur. Proprie tamen, ac stricte institutio pertinet ad beneficia juris patronatus: ac de ea nos hoc loco disserimus.

(2) *Cap. ult. de Instit. in 6, Conc. Trident. sess. 7 cap. 13 et sess. 25 cap. 9 de Reform.*

48. Est autem jus patronatus jus praesentandi clericum instituendum ad ecclesiam, vel beneficium vacans. Quae praesentatio nobilissimam facit, ac praecipuam juris patronatus partem, quamquam ipsum et minora quaedam jura comprehendat, uti sunt jura alimentorum, sepulturae, sedis, processioneis, thuris, et cetera, quae honorifica appellantur (1). Qui his juribus fruatur, Patronus dicitur, sive quod patrocinium Ecclesiae praestare debet, sive quod olim dominus fuerit earum rerum, ex quibus Ecclesia aedificata est (2).

(1) Cuncta haec jura ut una definitione comprehendat Franciscus de Roye in *Prolegom. ad lit. de jure patron. cap. 1*, jus patronatus definit jus, quod fundatori alicujus ecclesiae in ea competit. Verum et in Jure Civili jus patronatus, quod manumissor in libertum habet, multis constat, puta successione, operis, obsequiis, atque officiis; et tamen jus successioneis, quod praecipuum est, per eminentiam jus patronatus appellatur. Ipse Franciscus de Roye peculiari libello *de Juribus honorificis Patronorum* diligenter disputat.

(2) Originem hujus nominis quidam referunt ad aetatem S. Gregorii VII, quidam etiam ad ea tempora, quibus Gregoriana collectio edita est. Sed eam antiquiorem esse, demonstrat Franciscus de Roye in *Prolegom. ad lit. de Jurepatr. cap. 1*.

49. Propterea Sacri Canones templorum, altarium, beneficiorum fundatores, eorumque liberos, et haeredes praecipuis quibusdam juribus, honoribus, et privilegiis donarunt, ut erga illos se gratos praebarent, ceteri autem pari ad bene de Ecclesia merendum voluntate excitarentur (1). Hinc nomina, et elogia Fundatorum in Ecclesiis recitata, sacrisque dyptycibus inscripta fuisse constat (2); hinc eorum nomina Ecclesiis imposita (3); hinc datum jus designandi, et offerendi clericum, qui beneficium adipiscatur; hinc reliqua concessa jura, quae honorifica appellari diximus (4). Omnium tamen maximum, ac praecipuum est jus offerendi, seu praesentandi Episcopo clericum, qui institui, et creari debeat Rector templi, seu beneficii, ad quod praesentatus fuit; de quo quidem jure agendum nobis hoc loco est.

(1) Integer Canon 53. Concilii Toletani IV apud Labbæum *tom. 6 col. 4462 ed. Venet.* quem mancum, et mutilum Gratianus habet in *Can. 50 caus. 46 qu. 7*, satis aperte significat, Ecclesiam jura illa Patronis concessisse ut se erga ipsos gratam praebaret. Nam de Patronis ad inopiam redactis inquit: *praebendum est a Sacerdotibus vitae solatium indigentibus, et maxime his, quibus restituenda vicissitudo est.* Et in fine quanto magis his consulendum est, quibus retributione justa debetur. Justa haec retributio, et vicissitudo praecipua fuit juris patronatus inducendi ratio.

(2) Concilium Emeritense an. 666, *Can. 19 col. 522 apud. cit. Labbæum tom. 7, S. Paulinus ep. 52 col. 494 ed. Veron 1756, Sidonius Apollin. lib. 2 ep. 40 et lib. 4 ep. 13 pag. 4086 et 4097 lo. 6 Biblioth. PP. Lugdun. 1677.*

(3) Ita Titulus Equitii, Titulus Damasi, Titulus Lucinae, aliaque complures Ecclesiae a suis Fundatoribus nomen acceperunt. Viden. F. Florens *tract. de Jurepatr. in Praefat. pag. 524 tom. 2 opp. ed. Norimbergae 1756.*

(4) Jus praesentandi concessum est Fundatoribus a Conc. Arausicano I. an. 441, c. 10 col. 1785 l. 1 coll. *Harduini*, quem canonem non multo post confirmarunt II. Arelatensis Concilii Patres *Can. 56 l. 2 col. 776 ibid.*, postea Nicolaus II utrumque renovavit apud Gratianum *Can. 1 caus. 46 qu. 3.* Ipsius quoque juris meminit Zeno Imperator in *L. 15. C. de Sacros. Eccles.* atque etiam Justinianus. Nam *Novella 57* probat Zenonis constitutionem, et *Novella 127 cap. 18* confirmat idonei clerici praesentationem, ac nominationem, sicut et Pelagius Pontifex in *Can. 51 c. 16 q. 1, et in Can. 4 c. 18 q. 2.* Haec etiam confirmata sunt a Concilio Toletano IV et IX in *Can. 30 et 52 c. 16 q. 7*, ac Patrono ad inopiam redacto ex Ecclesiae bonis alimenta tributa sunt. Postremo honorem quoque processioneis addidit Clemens III in *cap. 25 de Jurepatr.* Neque enim audiendi sunt, qui jus hoc Patronis multo ante tributum putant a Gelasio Pontifice in *Can. Frigentius et Can. Piae mentis c. 16 q. 7*, quoniam hi canonem longe aliud significant, uti ostendunt. Fr. Florens *tract. de Jurepatr. in praefat.*, et Fr. de Roye *de Jurib. honorif. lib. 1 cap. 7.* Baronius *ad an. 455 num. 25 tom. 8 pag. 430 edit. Lucæ* memorat piam mulierem Bassam, quae Andream accessivit, ac pastorem effecit, et praefectum monasterii, quod ab ea fuerat aedificatum.

(N. S. Teneri non possumus, quin Tolet. conc. IX. Canonis 2 promamus litteram: *Decernimus, ait, ut quamdiu earundem fundatores Ecclesiarum in hac vita superstites exstiterint, pro eisdem locis curam permittantur habere sollicitam, et sollicitudinem ferre praecipuam, atque Rectores idoneos in eisdem Basilicis iidem ipsi offerant Episcopis ordinandos.* Quod si tales forsitan non inveniuntur ab eis, tunc quos Episcopus loci probaverit Deo placitos, sacris cultibus instituat, cum eorum conventia servituros. Quod si spretis eisdem fundatoribus, Rectores ibidem praesumpserit Episcopus ordinare, et ordinationem suam irritam (hoc est nominationem) noverit esse, et ad verecundiam sui, alios in eorum loco, quos iidem ipsi fundatores condignos elegerint, ordinari. Porro duae in hoc Canone fundatoribus tributa sunt praerogativae. 1 Quae se veluti Syndicos, et tutores tum Ecclesiarum, tum ministrorum exhibeant. 2 Patronatus jus videlicet, idque exclusivum, Episcopo praesentandi Clericos eidem ordinandos Ecclesiae. Haec perspicua sunt, neque ampliores Patronis jus hodiernum praerogativas attribuit, quam tribuisse olim videmus praef. Syn. Tolet., ut ipsa Canonis verba indicant, quae tamen nonnihil difficultatis induunt Espenio.)

30. Jus patronatus vel est ecclesiasticum, vel laicale, vel

mixtum. Ecclesiasticum est, quod Ecclesia, vel clericus habet titulo ecclesiastico (a); laicale, quod ex bonis laicorum constitutum est, quodque ad aliquem pertinet laicali titulo; ex. gr. agnationis, hæreditatis; mixtum, quod ex ecclesiasticis, et laicalibus bonis conflatum est, atque ita ad laicos, et Ecclesiam pertinet, ut non alternatim, sed simul ab utrisque fiat præsentatio. Laicus ad præsentandum habet quatuor menses, ecclesiasticus menses sex, uterque à die cognitæ vacationis (1). Laicus, cui brevius conceditur temporis intervallum, quo præsentationem expediat, potestatem habet variandi, offerendique alium; Ecclesiasticus ea facultate caret, quoniam in eligendo clerico, quem offerat, et laico peritior esse censetur, et longiori deliberatione accuratius ferre iudicium debet (2).

(a) (N. S. *Ecclesiasticum* nempe juspatronatus est, quod Ecclesiæ, vel Clerico, non ratione patrimonii, convenit, sed ratione dignitatis, et officii: *Cap. unic. de Jurepatr. in VI.* Neque enim quod à Clerico constitutum sit, vel Clerico conveniat, inde Ecclesiasticum dicendum est; sed omnino requiritur, ut expresse à Fundatore sive Clerico, sive Laico, Ecclesiæ alicui, vel dignitati, aut gradui Ecclesiastico adfigatur; vel ei, quicui Ecclesiastici privilegio decoratur, uti Equites Ordinum Militarium: Garcia de *Benef. Part. 1, Cap. 2 n. 265.*)

(1) *Cap. 22 et 27 de Jurepatr. cap. un. §. ult. eod. in 6.*

(2) Quæ variandi potestas, quam laicus habet, in eo est posita, ut ipse, facta præsentatione, alium similiter idoneum clericum nominare possit *cumulative*, ut ajunt, non *privative*, hoc est alium adjungere illi, quem pridem nominaverat, non ut eum rejiciat, *cap. 5 et 24 de Jurepatr.* Tunc autem: cum æque idonei sunt clerici, *quis eorum alteri præferatur, judicio Episcopi* relinquitur, ut inquit Lucius III *in cit. cap. 24.* Verum cum ecclesiasticum est juspatronatus, in quo patronus variandi facultatem non habet, qui primo præsentatus est, modo sit idoneus, institui debet. Similiter si laicus Patronus clericum obtulit non idoneum, propter suam, quam habet, variandi facultatem, alium offerre potest; sed ecclesiasticus, qui sciens prudens id fecit, pro ea vice amittit jus præsentandi. Confer Benedictum XIV *de Synod. Dioces. lib. 12 cap. 7 num. 6,* et Giraldum *Exposit. jur. Pontific. par. 1 lib. 3 tit. 38 sect. 579 tom. 1 pag. 595.*

* V. Legg. 5, 6 et 7 tit. 15 *Partit. 1.*

(N. S. Patronus dicitur clericum *præsentare*, quum illum Episcopo, vel cuique Ordinario Collatori instituendum exhibeat, sive offerat. Porro necessum non est, ut Patronus ipse Ordinarium adeat, sed satis erunt litteræ præsentationis, quas Ordinario deferendas Clerico Patronus tradat: *Cap. 6 de His, quæ fiunt à Prælo.* Quinimmo jure novissimo, universali consuetudine inducto, nulla agnoscitur præsentatio, nisi quæ sit per litteras in forma authentica expeditas. Id quod præcipue de Beneficiis intelligas, quæ à Rom. Pontifice conferuntur: *Extravag. Injunctæ de Electione inter Commun.* Porro præsentatus nullum in Ecclesia jus ante acceptam ab Ordinario Collatore institutionem, adsequitur: *Compil. Jo. Teres. Lib. 3 Tit. 22 cap. 2.* Post institutionem vero traditam, Litteræ possessionis conferuntur præsentato,

quæ ad vitandas fraudes, ab Ordinario, vel ejus Vicario subscribuntur: *Syn. Hispal. an. 1512 Cap. 42.* 'Nemo potest se ipsum nominare aut præsentare beneficii obtinendi causa; *cap. 26 de Jurepatr.; cap. ult. de Institut.— V. Berardi Comment. t. 2, Dissert. 4, cap. 7; §. Barbara.*'

51. Lapsa tempore, quod ecclesiastico, aut laico Patrono concessum est, neque exacta præsentatione, transit ad Episcopum potestas conferendi beneficium suo arbitrato (1). Mixtum autem juspatronatus naturam utriusque sequitur, ac semper illud sibi vindicat, quod in altero fuerit optimum. Itaque est in eo tum variandi potestas, tum spatium sex mensium ad faciendam præsentationem, quorum alterum laicalis, alterum juspatronatus ecclesiastici proprium est.

(1) *Cap. 3 de Jurepatr.*

52. Est item juspatronatus reale, quod inhæret rei, prædio scilicet, aut castro, et cum re defertur ad ejus possessorem; et personale, quod non rei est adjunctum, sed certis adscriptum personis, hoc est patrono, ejusque hæredibus, aut descendantibus. Denique juspatronatus est hæreditarium, quod simul cum hæreditate sive legitima, sive testamentaria ad hæredes defertur, et agnatum, sive familiare, quod transit ad eos, qui sunt ex familia, sive agnatione; præterea mixtum ex utroque, quod etiam vocatur *ex pacto, et providentia*, quodque ad eos defertur, qui sunt hæredes simul, et successores legitimi, adeout nemo illud sibi asserere possit, nisi ostendat, esse se hæredem, atque à testatore descendantem.

53. Acquiritur juspatronatus per constructionem, si quis videlicet ære suo Ecclesiam ædificavit (1); per foundationem, si quis fundum ad Ecclesiam construendam præbuit; per dotationem, si quis dotem dedit aptam, et idoneam, per quam consultum sit sumptibus, quos Ecclesiæ conservatio, et Ministri postulant (2). Qui hæc tria unus præstitit, is unus quoque patronus efficitur; at cum alter ecclesiam excitavit, alter fundum, et alter dotem dedit, omnes juspatronatus consequuntur (3), modo cum Episcopi consensu ædificata Ecclesia fuerit (4).

(1) *Can. 26, 51, 52, 53 c. 16 q. 7, cap. 25 de Jurepatr., Conc. Trident. sess. 14 cap. 12, et sess. 25 cap. 9 de Reform.* Atque hæc quidem, quam sequimur, communis opinio est, quod tribus hisce modis, constructione scilicet, foundatione, dotatione acquiratur juspatronatus, adeout si tres fuerint, quorum alter ecclesiam ære suo ædificaverit, alter fundum, alter dotem de-

derit, omnes juspatronatus consequantur. Quidam tamen sunt, qui fundi donatione illud acquiri negant, agentes, fundationem, quam canones memorant, esse constructionem, non fundi donationem, et aliquem esse vix posse, qui in alieno fundo ecclesiam ædificet. Quæ sententia est Francisci de Roye *ad tit. de Jurepatr. cap. 15*, Van-Espenii *Jus. Eccles. univers. par. 2 lit. 25 cap. 3 num. 6 et seq.*, et aliorum quorundam. Ego facile do, et concedo, interdum constructionem cum fundatione confundi, atque omnes, ut plurimum, in suo, non in alieno fundo ecclesiam ædificare. Sed si quis in alieno ædificet, cur non acquirere debet juspatronatus, qui fundum dedit, sine quo Ecclesia ædificari non potest? Neque certum est, quod canones, qui de fundatione loquuntur, omnes ad constructionem referendi sint; imo vero in *Can. 4 caus. 18 q. 2* satis perspicue jus præsentandi possessionis domino adscribitur.

(2) Non omnem tamen dotationem, aut constructionem satis esse ad acquirendum juspatronatus, perspicue docet Synodus Tridentina *cit. sess. 25 cap. 9*, cum statuit, ut *Patronatus quicumque... acquisiti à quadraginta annis citra, et in futurum acquirendi, seu ex augmento dotis, seu nova constructione, vel alia simili causa, etiam auctoritate Sedis Apostolicæ, ab iisdem Ordinariis, uti delegatis, ut supra, qui nullius in his facultatibus, aut privilegiis impediuntur, diligenter cognoscantur; et quos non repererint ob maxime evidentem ecclesiæ, vel beneficii, seu dignitatis necessitatem legitime constitutos esse, in totum revocent*. Ita si qui Ecclesiæ non satis dotatæ incrementum dotis attribuit; bene is quidem de Ecclesia meritis habetur, sed patronus non efficitur.

(3) Ita illud Glossæ *Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus*, intelligendum esse ostendit Fagnanus in *cap. Quoniam de Jurepatr. num. 49*. Ceterum illud est animadvertendum, quod qui tantum Ecclesiam ædificat, non acquirit juspatronatus, nisi ea suam quoque dotem habeat. Neque enim sine dote Ecclesia ædificanda est; quinimo constituendam esse dotem, antequam illa ædificetur, tradit Fagnanus *loc. cit. num. 51*. Quare cum Sacri Canonis fundatores juspatronatus habere statuunt, eos intelligunt fundatores, qui necessaria quæque dederunt, si plures hi sint, omnes in *solidum* juspatronatus obtinebunt; si unus euncta præstitit, is unus patronus habebitur. Et quamquam conjunctim ædificanda et dotanda sit Ecclesia, tamen dotatio, quæ deinceps fiat cum Episcopi consensu, valet etiam ad acquirendum juspatronatus. Fagnanus *loc. cit. num. 48*.

(4) Sola fundatione, quæ secundum ecclesiasticas regulas facta sit, æquum juspatronatus, quamquam illud expresse reservatum non fuerit, docet Glossa in *can. 6 de Consecrat. dist. 1*; idque late demonstrat Franciscus de Roye in *Proleg. ad tit. de Jurep. cap. 15*. Quod non obscure videtur significare Clemens III. in *cap. 25 de Jurepatr.* cum rogatus num *aliquis efficiatur sola ecclesiæ constructione patronus*, respondit: *quod si aliquis ecclesiam cum assensu Diæcesani construxit, ex eo juspatronatus acquirit.*

54. Acquiritur etiam juspatronatus privilegio Summi Pontificis (1), et præscriptione. Quæ præscriptio si contra Ecclesiam liberam sit, debet esse temporis, quod hominum memoriam excedat, et cum pluribus sociata præsentationibus, quæ exitum habuerint (2), potissimum si qua sit suspicio, illud à viro potente usurpari potuisse. Tunc enim, præter quasi possessionem

temporis antiquissimi, cujus initium in tenebris lateat antiquitalis, necesse est etiam probare titulum, et evincere præsentationes perpetuas saltem per annos quinquaginta, quæ omnes ad exitum perductæ fuerint (3).

(1) Privilegium hoc tantum à Summo Pontifice concedi potest, ab Episcopo vero non potest *cap. 2 de Reb. Eccles. non alien. in 6*.

(2) Conc. Trident. *Sess. 25 cap. 9 de Reform.*

(3) Conc. Trid. *loc. cit.*, ibique Barbosa *num. 52*. Atque hoc quidem de probando jurepatronatus Concilii Tridentini decretum, non solum ad petitorium, sed etiam ad possessorium iudicium pertinere, docet Fagnanus in *cap. Consultationibus de Jurepatr. num. 9*. Ad vero obtinet, cum adversus Ecclesiam probandum est juspatronatus; nam si inter duos queratur, quis habere debeat juspatronatus, hoc contra verum patronum præscribi, cum, præter tempus ad præscribendum necessarium, tres adsunt præsentationes, ostendit Franciscus de Roye in *Proleg. ad tit. de Jurepatr. cap. 16*.

(N. S. Syn. Valent. an. 1565, *Sess. 5 lit. 4 cap. 14*, ad evitandas diuturnas, et inextricabiles de Jurepatronatus contentiones, præcipit omnibus, cujuscunque dignitatis, vel conditionis fuerint, vel persuasum habent, Beneficii, Curati, vel Simplicis Juspatronatus sibi competere, ut intra sex mensium spatium Jurispatronatus titulum Ordinario, vel ejus Vicario Generali, ad normam Tridentini Concilii, examinandum ostendant. Re enim in tempore perpensa, omnis dubitationis, et litium occasio aufertur. Si negligentes fuerint, sciant, se inde, quod ad ipsum Juspatronatus attinet, damnum esse reportaturos.)

55. Transfertur juspatronatus cum re, cui inhæret, si reale sit (1), et transfertur etiam contractu, aut successione. Contractus donationem respicit, ac permutationem; quoniam juspatronatus, nisi qua lex impedimento sit (2), donari, permutarique potest. Donatio in privatum hominem collata indiget Episcopi auctoritate, collata in Ecclesiam, aut Monasterium non indiget (3). Quod etiam dictum volo de permutatione, quæ similiter cum privato homine absoluta, opus habet Episcopi auctoritate (4); atque hæc præterea rem aliam spiritualem, aut spirituali annexam desiderat, ut recte perficiatur (5). Vendi tamen juspatronatus nequit (6), nisi forte vendatur fundus, aut castrum, cui adhæret, quia tum etiam juspatronatus in emptorem transfertur (7). Verum ex jurepatronatus, quod fundo adhæret, nulla pretii fieri debet accessio, quia tunc res spiritualis, vel spirituali annexa, quod fieri nequit, tacite venderetur (8).

(1) Ita Juspatronatus beneficio, aut dignitati conjunctum, cum beneficio ipso, et dignitate, adjunctum castro, aut prædio, cum prædio, et castro transfertur.

(2) Sic distrahi gentilium juspatronatus vetat lex fundationis, quæ ad

illud vocat certæ familiæ agnatos, aut cognatos, prout agnatum, vel cognatum juspatronatus est.

- (3) *Cap. 3 de Jurepatr. cap. unic. eod. in 6.*
 - (4) *Cap. 5 eod.*
 - (5) *Cap. 6 et ult. de Rer. permut.*
 - (6) *Cap. 6 et 16 de Jurepatr.*
 - (7) *Cap. 7 eod.*
 - (8) *Consule Schmalzgrueber Jus eccles. lib. 3 tit. 23 §. 5 num. 159.*
- * *V. Leg. 8 cit. tit. 15 Partit. 1.**

36. Successione transfertur juspatronatus ad hæredes sive legitimos, sive testamentarios (1), et vero transfertur in solidum, quamquam hæreditas inæqualiter dividatur, quoniam juspatronatus dividi non potest (2). Quæ successio defertur in stirpes, hoc est, jure representationis; et ideo pluribus patronis decedentibus, quorum alter duos hæredes reliquerit, alter unum, duo illi hæredes unum habebunt suffragium ad faciendam præsentationem, quoniam ambo unicum tantum patronum representant (3).

- (1) *Quod de jurepatronatus hæreditario intelligendum est; nam gentilitium defertur ad successores cum iis legibus, quæ in fundatione sunt constitutæ.*
- (2) *Cap. 1 de Jurepatr.*
- (3) *Clem. 2 eod. tit.*

57. Cum autem inter plures patronos, aut unius patroni hæredes facile dissidia, litesque exoriantur, merito, ut hæc removeantur, constitutum est, eos recte posse inter se alternis vicibus dividere jus præsentandi (1). Quæ alterna divisio nisi facta fuerit, quoties faciendæ erit præsentatio, omnes patroni suum habebunt suffragium, sive vocem ad eam expediendam (2), et cum omnium voluntas consentiens non fuerit, ille erit anteferendus, cui plura numero suffragia præsto sunt, nisi quid forte obstet, propter quod repulsam ferre debeat; cum autem paria erunt omnia, itemque cum orta inter patronos dissidia intramenses quatuor composita non fuerint, Episcopus beneficium conferet suo arbitratu (3).

- (1) *Cit. Clem. 2 de Jurepatr.*
- (2) *Præsentatio interdum spectat ad collegium, et tunc omnes, qui collegium constituunt, vocandi sunt ad ferendum suffragium, et præsentatio collegialiter, ut inquitur, fieri debet, adeo extra collegium facta non valeat. Interdum vero pertinet ad plures divisim, sive uti singulos, et tunc separatim præsentatio fieri potest, neque necesse est, quod omnes eodem tempore consensum præbeant.*
- (3) *Cap. 3 et 27 de Jurepatr. cit. Clem. 2 eod.*

* *V. Leg. 11 tit. 15 Partit. 1.**

58. Amittitur juspatronatus, si Patronus Ecclesiam reparare, et conservare recuset (1), si eadem incendio consumpta fuerit, vel motu terræ, vel vetustate, aut vilio suo corruerit; si patronus suo se jure abdicet, aut alteri concedat (2), vel Ecclesiam, nulla sui juris facta reservatione, collegiatam fieri patiatur (3), vel prædium vendat, cui juspatronatus adhæret, si in hæresim inciderit (4), si ecclesiæ Rectorem, aut clericum, vel per se, vel per alios occidere, seu mutilare ausus fuerit (5), vel jura ecclesiæ usurpaverit (6), vel separatim juspatronatus vendiderit (7); denique si præscribi permisserit.

- (1) *Benedictus XIII. Const. Pius et misericors 59 §. 7 pag. 598 tom. 11 Bullar. Roman. edit. Mainardi.*
- (2) *Cap. unic. de Jurepatr. in 6.*
- (3) *Cap. 25 de Jurepatr.*
- (4) *Cap. 10 de Hæret.*
- (5) *Cap. 12 §. Sacri de Pœnis. Atque hæc quidem pœna, non ipsum modo patronum comprehendit, sed ejus etiam descendentes usque ad quartum gradum, modo post homicidium nati sint. Nam qui nati sunt antequam Ecclesiæ Rector interficeretur, nullam rependunt pœnam, sicuti ostendit Benedictus XIV: de Synod. diocess. lib. 15 cap. 24 num. 21.*
- (6) *Conc. Trident. Sess. 25 cap. 9 de Reform.*
- (7) *Cap. 6 de Jurepatr. Conc. Trid. indic. loc.*

(N. S. Postremo jura Patronorum in ipsum Beneficium et Beneficiarium restant hic explicanda. Ac 1 Patroni jus est Ecclesiam patronatam, ejusdemque fundos, bona, et quidquid ad illam pertinet, defendere, ac tueri: Conc. Tolet. IX *Can. 1 et 2. Ex quo jure factum esse, ut fundatoribus, eorumque successoribus nomen Patroni adsignaretur, conjicit Espenius P. 2. l. 25, Cap. 1 n. 14; et expresse docet idem Alphonsus Leg. 5 tit. 15 Partit. 1.*

2. Patroni jus est, censum, si quem sibi in fundatione reservavit, exigere. Nihil enim prohibet, quin Fundator in ipsa fundatione pensione aliquam, vel sibi, successoribus suis; vel etiam alteri, quotannis solvendam constituat; *Cap. 15 de Censibus, Glossa ad Cap. 23 de Jurepatr.* Id etiam tradit *Lex 2 ibid.* Quinimmo potest Fundator ejusmodi conditionem in fundatione adponere, scilicet, ut fructus Ecclesiæ vacantis cedant Patrono; *Glossa ad Cap. 13 de Elect. in 6.* Veruntamen nequit Beneficiarius sua privata auctoritate Patrono, vel novam de Beneficii proventibus pensionem addicere, vel jam constitutam augere: immo si Patrono, quo præsentationem facilius obtineat, ampliora præstare jura spondeat, vix, aut ne vix quidem à simoniaca labe immunis erit. Quia tamen hoc pensionis sibi servandæ jure nonnulli quondam Patronorum abuterentur, ita ut immodicis sumptibus, et convitiis Ecclesiæ prægravarent, Syn. Vallisolet. *Cap. 15* constituit, unum tantum prandium Patrono, ejusque simul cognatis exhibendum ab Ecclesiæ Rectore, sub pœna amissionis Patronatus, *donec Rectori ipsi, aut Successori ejusdem satisfecerint competenter.* Id quod dein sua lege firmavit Joannes I an. 1590, *Leg. 7 Tit. 5 Lib. 1 Novis. Compilat.* pœna etiam pecuniaria transgressoribus imposita. Ut autem omnis simoniacæ maculæ suspi-

cio in Beneficiorum collatoribus procul repelleret Philippus III, declarat, quorumcunque Beneficiorum a se factam praesentationem nullam, et irritam esse, quae donis interpositis adepta fuerit: *Leg. 18 Tit. 23 Lib. 8 Novae Recop.*, et eadem Syn. Vallis-olet. *Cap. 20* decernit, quod Praelatus, ad quem institutio pertinet, a praesentato Clerico, antequam in Beneficio ipsum instituat, corporale recipiat juramentum, quod pecuniam, vel aliud minus quodcumque Patrono, nec ali pro eodem, pro praesentatione hujusmodi, nec promissit, nec dedit per se, vel per alium quoquo modo. Idem praescripsit Synodus Valent. an. 1565, *Sess. 5 Tit. 4 cap. 15*.

3. Patronis jus est inspicere, num Beneficiarius leges in fundatione sanctitas fideliter observet, et proventus Ecclesiasticos legitime administret. Ad rem Conc. Tolet. IV Canone 55: *Si amplius quidpiam ab eis (Episcopis) praesumptum extiterit, per Concilium restauretur: appellantis aut ipsi conditoribus, aut certe propinquis eorum, si jam illi a saeculo discesserint.* Expresius Syn. Tolet. IX Can. 1: *Condignis filiis, vel nepotibus, honestioribusque propinquis ejus, qui construxit, vel ditavit Ecclesiam, licitum sit hanc bonae intentionis habere sollicitiam, ut si Sacerdotem, seu Ministrum aliquid ex collatis rebus praeviderint defraudare; aut commonitionis honeste conventionem compescant, aut Episcopo, vel Judici corrigenda denuntient. Quod si talia Episcopus agere tentet, Metropolitanus ejus hanc insinuare procurent. Si tamen Metropolitanus talia gerat, Regis haec auditibus (al. auribus) intimare non differant. Uterque hic Canon refertur a Gratiano *Can. 40 Caus. 16 Q. 1*, et *Canone 51 ibid. Q. 7*; eademque doctrina traditur ab Alphonso nostro *laud. Leg. 5*. Igitur ubi Syn. Trident. *Sess. 24 Ref. cap. 3* decernit: *Patroni vero in iis, quae ad Sacramentorum administrationem spectant, nullatenus se praesumant ingerere, neque visitationi ornamentorum Ecclesiae, aut honorum stabilium, seu fabricarum proventus immisceant; eo sensu profecto ejusmodi sanctio intelligenda est, scilicet ne Patroni praetextu inspectionis, et defensionis, quae sola ipsis convenit, ipsam proventuum Ecclesiasticorum administrationem, quae ad Beneficiarium spectat, vel Ecclesiae visitationem, quae Episcopi est, sibi audeant vindicare. Quod etiam innuit Syn. Tolet. IX, quae *ibid.* statim subnectit: *Ipsis tamen haeredibus, in eisdem rebus, non liceat quasi juris proprii potestatem praeserre... sed hoc solum in salutarem sollicitudinem adhibere.***

4. Patrono tandem jus est, ut si ipse paupertatis infortunis jactetur, ex fructibus Ecclesiae, si qui supersint, alendus sit: *Cap. 25 hoc tit.*; Conc. Tolet. IV *ibid. Can. 50 Caus. 16 Q. 7*. En ejusdem Concilii *Can. 53*, alias 57, ad eundem fidem exactum: *Quicumque ergo fidelium de facultatibus suis, Ecclesiae aliquid devotione propria contulerunt, si forte ipsi, aut filii eorum redacti fuerint ad inopiam, ab eadem Ecclesia suffragium vitae pro temporis usu percipiant.* Id etiam docet Alphonsus *laud. Leg. 2 ejusd.* Porro hujusmodi subsidium debetur Patrono non tam intuitu paupertatis, quam beneficentiae; quare non alimenta modo, verum etiam quae ad vitam decenter sustentandam sunt necessaria, illi erunt praestanda; quantum tamen tum ejusdem conditio postulat, tum Ecclesiae fert facultas. *Si enim (ait idem Canon) Clericis, vel Monachis, seu peregrinis, aut quilibet necessitatem sustinentibus, pro solo Religionis intuitu, in usum res Ecclesiasticae largiantur, quanto magis his consulendum est, quibus retributione justa debetur?* 2 Non titulo praesentationis, sed foundationis; unde si Patronus jus praesentandi vel dimisserit, vel alterit cesserit, adhuc ipsi ad inopiam redacto subveniendum est.

Porro Patronis jura quoque honorifica praestanda sunt, quae in externis observantiae indicis consistunt: hinc Patrono deferendus 1 honor Processionibus *Cap. 25 hoc Tit. et Leg. 1 ejusd.*, scilicet tum in publicis supplicationibus, aliisque hujusmodi processibus, tum in suscipienda pace, quae in Missa publice in Ecclesia defertur, tum demum et in thuris suffitu, sive thurificatione, prior, et honoratior Patrono dundus est locus. Neque enim Ecclesia antiquissimam umquam improbavit praxim, ut nimirum ea etiam, quae ad pietatem, cultumque Religionis Deo impendendum primario instituta sunt, honorificentiori quadam ratione, uti Episcopis, et Sacerdotibus, ita et Patronis praestentur. Et sane jam inde ab antiquis temporibus, uti constat ex veteri *Ordine Romano*, Episcopis, et Sacerdotibus sigillatim, et seorsum a reliquo Clero thuris suffitus deferri consuevit.

2. Debetur honor aquae benedictae; scilicet ut Patronus diversa ratione ac alii adspargatur. Porro hac in re caveant Patroni, ne sibi tradi adspergillum contendant, quo seipsos adspargant: id quod Episcopo dumtaxat reservatum est; sed satis habeant, si ab ipso Beneficiario ritu peculiari adspargantur: neque enim ab alio, quam a Sacerdote ad benedicendum ab Ecclesia specialiter constituto, aquae lustralis adspersionem, quae species benedictionis est, licet accipere.

3. Debetur honor precum; scilicet ut publice in Ecclesia fidelium precibus commendentur, et quidem nominatim. Hoc jus dubio procul spectat *Can. 19 Syn. Emeritensis*, quae in hanc rem sic habet: *Eorum nomina, a quibus eas Ecclesias constat esse constructas, vel qui aliquid his sanctis Ecclesiis videntur, aut visi sunt contulisse, si viventes in corpore sunt, ante Altare recitentur tempore Missae: quod si ab hac decesserint luce, nomina eorum cum ordine recitentur.*

4. Debetur honor sedis; scilicet ut perpetua, et specialis in Ecclesia Patrono constitutur sedes, et quidem in navi Ecclesiae, vel etiam in ipso Choro, vel Presbyterio. Antiquitus quidem sacra septa ingredi laici omnino vetabantur; at sequentibus temporibus id juris Patronis sensim impertiri coepisse, constat ex Syn. Wigoniensi *Can. 5: Ne laici stent intra Cancellos, dum celebrantur divina, salva tamen reverentia Patronorum: cui adharet Alphonsus noster in mox *laud. Leg. 1*.*

5. Debetur honor sepulturae; scilicet in honorificentiori Ecclesiae loco Patronorum cadavera humana sunt. Unde sepulturam habere in Choro maxime honorificum reputatur. Porro num soli Patrono id juris tribuendum sit, an etiam ejus cognatis, adfinibus etc. ex litteris foundationis deducendum.

6. Demum Patrono jus est stemma gentilium in Ecclesia patronata adponere; id quod de Patrono non solum laico intelligendum, sed etiam Ecclesiastico; licet hic, non proprio nomine, sed Ecclesiae dumtaxat, vel dignitatis, patronatum possideat: quod et de reliquis honorificis juribus hactenus expositis etiam intelligas.

Ceterum circa honorifica jura Patronis praestanda attendendae quoque sunt peculiaria locorum consuetudines. Ad rem Franciscus le Roy (*Lib. 2 cap. 5*): *In officiis, et honoribus exhibendis, non modo videndum est, quod lege sancitum, sed quid consuetudine valeat: modo tamen non ejusmodi consuetudine jura inducantur, quae vel Ecclesiae decori opponantur, vel rectam divinorum officiorum administrationem turbent; quae, licet longaevo usu inducta, adhuc tamen poterunt legitima auctoritate aboleri.*

* Hispaniae Reges universali Jurepatronatus in istarum ditionum ut et Indiarum Ecclesias potiri, alibi, ex Concordato an. 1755, *leg. 1 tit. 18, lib. 1 Novis. Compilat.*, quae consonat novissima an. 1851 Conventio, expressum

habemus. Istius Regaliæ fundamentum Philippus II (*leg. 4 tit. 17 ibid.*) esse pronuntiabat *jus, et antiquam consuetudinem, justos titulos, ac Apostolica privilegia*. Porro tituli à Rege hic allati sunt, teste D. Gregorio Mayans et Sisear, opp. *Observaciones legales, históricas y críticas sobre el Concordato celebrado en 20 de febrero de 1753*, non solum fundatio, *edificatio et dotatio*, sed etiam *locorum, in quibus Ecclesiæ, monasteria ac beneficia consistunt, ex infidelium manibus et potestate ereptio*; cujus postremi tituli in *Septimo Decretal. (de Jurepatr. cap. 1.)* ab Adriano VI Pont. et Partit. 1 tit. 5 leg. 18 mentio fit. (*Observ. 12 et 27*) Consonat quoque Cl. Gregorii Lopez in istam legent comment., sic concludens: *Quia scilicet terram quæsierunt, Ecclesias construxerunt, fundaverunt, et dotaverunt; ex istis ergo causis Reges Hispaniæ Juspatronatus acquisierunt; et sic non sufficeret quod tantum esset Reges, ad hoc jus consequendum; licet alias Reges, ex eo quod Reges, respectu defensionis, et patrocini Ecclesiarum, dicantur Patroni; cap. Principes 25, quæst. 5.*

De prædictæ autem Regaliæ juribus, idem Mayans, cit. *Observ. 27*. Præcipuum est, quod Principibus non obstat lapsus quatuor mensium, intra quos cæteri ex laicis Patronis præsentationem expedire tenentur, adeo ut eo tempore elapso, nihil agant. De tali nostrat. Monarcharum jure sic se habet N. Garcia *De Beneficiis, part. 10 cap. 2 num. 54*: *Et ita practicari videmus: cum Rege enim non curatur de tempore, et termino ad præsentandum, tam in Episcopatibus, quam in aliis præsentationibus.*

Denique meminisse hic oportet Regii decreti 30 April. 1852, adsentiente Apost. Nuntio lati, cujus art. 1 et 2 transcribere lubet: *Art. 1.º* Desde el día 17 de octubre último, en que se publicó el Concordato como ley del Estado, se considerará derogada á ley de 19 de agosto de 1841, relativa á capellanías colativas de Patronato, activo ó pasivo, de sangre. De la misma manera y desde igual fecha se entenderán derogadas las disposiciones relativas á las fundaciones piadosas familiares. *Art. 2.* A su consecuencia, quedan subsistentes las capellanías colativas de Patronato, activo ó pasivo, de sangre, estén ó no actualmente vacantes, cuyos bienes no hayan sido adjudicados judicialmente á las familias respectivas, ó para cuya adjudicación no pendiere juicio, en ejecución de la ley de 19 de agosto de 1841 y otras disposiciones, antes de dicho día 17 de octubre. Lo mismo se entenderá respecto á las fundaciones piadosas arriba mencionadas. Cæteri ejus deer. art. allatis consequentes sunt.

Suppositam isthic Jurispatronatus in *activum et passivum* divisionem facile intelliges. *Activum* illud est, quod in jure præsentandi cæterisque expositis prærogativis consistit: *passivum* autem, quod competit certis personis aut certo personarum generi, consistens in jure eisdem à fundatore concesso, quo ipsæ tantum in adeptione alicujus beneficii admittantur, aut saltem ad adipiscendum beneficium cæteris præferantur, ut definit Cl. Berardi *Comment. t. 2 Dis. 4 cap. 2 §. ult.*

Nec omittenda Reg. ordinat. 16 Februarii 1852, ubi de concessione Jurispatronatus ad vitam, cum onere expensarum pro cultu ac fabrica parochialium Ecclesiarum, uti in eo proponitur, quæstio est: quod facilius, ut opinamur, ad effectum, restituta apud nos primogeniorum seu *majoratum* institutione, perduceretur; idemque de collegiatis eccles. privati jurispatronatus animadvertas.

TITULUS VI.

QUIBUS ECCLESIASTICI MAGISTRATUS, ET BENEFICIA RECTE TRIBUANTUR.

1. QUID IN BENEFICIORUM CONCESSIONIBUS OBSERVANDUM?—2. BENEFICIA DIGNIORIBUS SUNT CONFERENDA.—3 ET 4. PARCELIÆ PER CONCURSUM CONFERUNTUR.—5. A BENEFICIIS REPELLUNTUR, QUI CANONICO IMPEDIMENTO LABORANT.—6. QUI NON HADENT ÆTATEM.—7. AUT ORDINEM.—8. AUT DOCTORIS GRADUM, QUEM BENEFICIUM POSTULAT.—9. LEGES FUNDATORUM IN CONFERENDIS BENEFICIIS.—10. STATUTA, ET CONSUETUDINES ECCLESIAARUM.—11. QUOD JUS OBTINEAT IN DELEGATIS?

1.

Nunc videamus, quibus Ecclesiastici Magistratus, et Beneficia recte tribuantur; deinceps ostendemus, quæ impedimento sint quominus rite, et recte ordines suscipiantur. Illud initio tenendum est, vacua esse oportere ecclesiastica beneficia, ut ea recte concedantur. Nam collatio, quin etiam promissio beneficii non vacantis, nisi fiat à Summo Pontifice, nulla est (1), et qui sciens prudens ad beneficium non vacuum institui se passus fuit, is ab ecclesiastica communione pellendus est (2). Deinde collatio idoneo tempore, hoc est, intra sex menses est expedienda (3), ne hoc elapso tempore, jus conferendi devolvatur ad proximum Superiorem (4); eaque non pretio fieri debet, non sub conditione, non alternatim, non impetrari per vim, et metum, non per obreptionem, et subreptionem.

(1) *Cap. 2 et 7 de Concess. præb. Concil. Trid. Sess. 24 cap. 19 de Reform. ubi sublatae sunt gratiæ, quæ dicuntur, expectatiæ et reservationes mentales, et aliæ quæcunque gratiæ ad vacatura.*

(2) *Cap. 1 de Concess. præb. Vide etiam Reg. 21. Cancellar.*

(3) *Cap. 5 eod.; atque hoc tempus numeratur à die cognitæ vacationis.*

(4) *Cap. 2 eod.*

(N. S. In Beneficiorum Collationibus id maxime cavendum est, ut simoniacæ labis, vel suspicio procul abigatur. Qua de re præf. Syn. Vallisolet, *Cap. 20* ita constituit: *Gratia si non gratis datur, et recipitur, gratia non est. Igitur... jubemus ne Episcopus, vel quisvis alius ad quem Beneficii Collatio pertinet, ratione Collationis Beneficii aut Cancellariæ, seu alio quocunque quæsito colore, aliquid præsumant per se, nec per alium exigere, recipere, seu etiam retinere; idque sub pœna privationis à Collatione Beneficiorum per sex menses, ita ut Collationis jus ad Superiorem pro tunc devolvatur. Consonat Syn. Compostel. an. 1565 Act. 5 Decret. 3, et 9; et Tolet. an. 1582 Act. 2 Decr. 8.)*

habemus. Istius Regaliæ fundamentum Philippus II (*leg. 4 tit. 17 ibid.*) esse pronuntiabat *jus, et antiquam consuetudinem, justos titulos, ac Apostolica privilegia*. Porro tituli à Rege hic allati sunt, teste D. Gregorio Mayans et Sisear, opp. *Observaciones legales, históricas y críticas sobre el Concordato celebrado en 20 de febrero de 1753*, non solum fundatio, *edificatio et dotatio*, sed etiam *locorum, in quibus Ecclesiæ, monasteria ac beneficia consistunt, ex infidelium manibus et potestate ereptio*; cujus postremi tituli in *Septimo Decretal. (de Jurepatr. cap. 1.)* ab Adriano VI Pont. et Partit. 1 tit. 5 leg. 18 mentio fit. (*Observ. 12 et 27*) Consonat quoque Cl. Gregorii Lopez in istam legent comment., sic concludens: *Quia scilicet terram quæsierunt, Ecclesias construxerunt, fundaverunt, et dotaverunt; ex istis ergo causis Reges Hispaniæ Juspatronatus acquisierunt; et sic non sufficeret quod tantum esset Reges, ad hoc jus consequendum; licet alias Reges, ex eo quod Reges, respectu defensionis, et patrocini Ecclesiarum, dicantur Patroni; cap. Principes 25, quæst. 5.*

De prædictæ autem Regaliæ juribus, idem Mayans, cit. *Observ. 27*. Præcipuum est, quod Principibus non obstat lapsus quatuor mensium, intra quos cæteri ex laicis Patronis præsentationem expedire tenentur, adeo ut eo tempore elapso, nihil agant. De tali nostrat. Monarcharum jure sic se habet N. Garcia *De Beneficiis, part. 10 cap. 2 num. 54*: *Et ita practicari videmus: cum Rege enim non curatur de tempore, et termino ad præsentandum, tam in Episcopatibus, quam in aliis præsentationibus.*

Denique meminisse hic oportet Regii decreti 30 April. 1852, adsentiente Apost. Nuntio lati, cujus art. 1 et 2 transcribere lubet: *Art. 1.º* Desde el día 17 de octubre último, en que se publicó el Concordato como ley del Estado, se considerará derogada á ley de 19 de agosto de 1841, relativa á capellanías colativas de Patronato, activo ó pasivo, de sangre. De la misma manera y desde igual fecha se entenderán derogadas las disposiciones relativas á las fundaciones piadosas familiares. *Art. 2.* A su consecuencia, quedan subsistentes las capellanías colativas de Patronato, activo ó pasivo, de sangre, estén ó no actualmente vacantes, cuyos bienes no hayan sido adjudicados judicialmente á las familias respectivas, ó para cuya adjudicación no pendiere juicio, en ejecución de la ley de 19 de agosto de 1841 y otras disposiciones, antes de dicho día 17 de octubre. Lo mismo se entenderá respecto á las fundaciones piadosas arriba mencionadas. Cæteri ejus deer. art. allatis consequentes sunt.

Suppositam isthic Jurispatronatus in *activum et passivum* divisionem facile intelliges. *Activum* illud est, quod in jure præsentandi cæterisque expositis prærogativis consistit: *passivum* autem, quod competit certis personis aut certo personarum generi, consistens in jure eisdem à fundatore concesso, quo ipsæ tantum in adeptione alicujus beneficii admittantur, aut saltem ad adipiscendum beneficium cæteris præferantur, ut definit Cl. Berardi *Comment. t. 2 Dis. 4 cap. 2 §. ult.*

Nec omittenda Reg. ordinat. 16 Februarii 1852, ubi de concessione Jurispatronatus ad vitam, cum onere expensarum pro cultu ac fabrica parochialium Ecclesiarum, uti in eo proponitur, quæstio est: quod facilius, ut opinamur, ad effectum, restituta apud nos primogeniorum seu *majoratum* institutione, perduceretur; idemque de collegiatis eccles. privati jurispatronatus animadvertas.

TITULUS VI.

QUIBUS ECCLESIASTICI MAGISTRATUS, ET BENEFICIA RECTE TRIBUANTUR.

1. QUID IN BENEFICIORUM CONCESSIONIBUS OBSERVANDUM?—2. BENEFICIA DIGNIORIBUS SUNT CONFERENDA.—3 ET 4. PARCELIÆ PER CONCURSUM CONFERUNTUR.—5. A BENEFICIIS REPELLUNTUR, QUI CANONICO IMPEDIMENTO LABORANT.—6. QUI NON HADENT ÆTATEM.—7. AUT ORDINEM.—8. AUT DOCTORIS GRADUM, QUEM BENEFICIUM POSTULAT.—9. LEGES FUNDATORUM IN CONFERENDIS BENEFICIIS.—10. STATUTA, ET CONSUETUDINES ECCLESIARUM.—11. QUOD JUS OBTINEAT IN DELEGATIS?

1.

Nunc videamus, quibus Ecclesiastici Magistratus, et Beneficia recte tribuantur; deinceps ostendemus, quæ impedimento sint quominus rite, et recte ordines suscipiantur. Illud initio tenendum est, vacua esse oportere ecclesiastica beneficia, ut ea recte concedantur. Nam collatio, quin etiam promissio beneficii non vacantis, nisi fiat à Summo Pontifice, nulla est (1), et qui sciens prudens ad beneficium non vacuum institui se passus fuit, is ab ecclesiastica communione pellendus est (2). Deinde collatio idoneo tempore, hoc est, intra sex menses est expedienda (3), ne hoc elapso tempore, jus conferendi devolvatur ad proximum Superiorem (4); eaque non pretio fieri debet, non sub conditione, non alternatim, non impetrari per vim, et metum, non per obreptionem, et subreptionem.

(1) *Cap. 2 et 7 de Concess. præb. Concil. Trid. Sess. 24 cap. 19 de Reform. ubi sublatae sunt gratiæ, quæ dicuntur, expectatiæ et reservationes mentales, et aliæ quæcunque gratiæ ad vacatura.*

(2) *Cap. 1 de Concess. præb. Vide etiam Reg. 21. Cancellar.*

(3) *Cap. 5 eod.; atque hoc tempus numeratur à die cognitæ vacationis.*

(4) *Cap. 2 eod.*

(N. S. In Beneficiorum Collationibus id maxime cavendum est, ut simoniacæ labis, vel suspicio procul abigatur. Qua de re præf. Syn. Vallisolet, *Cap. 20* ita constituit: *Gratia si non gratis datur, et recipitur, gratia non est. Igitur... jubemus ne Episcopus, vel quivis alius ad quem Beneficii Collatio pertinet, ratione Collationis Beneficii aut Cancellariæ, seu alio quocunque quæsito colore, aliquid præsumant per se, nec per alium exigere, recipere, seu etiam retinere; idque sub pœna privationis à Collatione Beneficiorum per sex menses, ita ut Collationis jus ad Superiorem pro tunc devolvatur. Consonat Syn. Compostel. an. 1565 Act. 5 Decret. 3, et 9; et Tolet. an. 1582 Act. 2 Decr. 8.)*

2. Post hæc singulorum merita scrutanda sunt; et qui ceteris præstat, beneficium obtinere debet. Parœciæ conferendæ sunt per concursum, qui expeditur à tribus saltem Examinatoribus Synodalibus, et coram Episcopo, vel ejus Vicario generali (1); ac beneficium ab Episcopo deferendum est ad eum, qui moribus, ætate, prudentia, doctrina cunctis antecellit, adeout irrita habeatur collatio, si minus dignus ceteris sit antelatus (2). Reliqua beneficia, quæ adjunctam non habent curam animarum, tribuenda sunt etiam magis aptis, et magis idoneis clericis; sed jura humana firmas habent hujusmodi collationes, quas minus idonei clerici impetrarunt.

(1) In hoc Examinatorum judicio nullæ sunt partes Episcopi, aut Vicarii generalis, qui ejus loco præsens est; nisi forte paria, aut singularia sint Examinatorum suffragia, quia tunc integrum erit Episcopo, aut Vicario, cui voluerit, accedere, uti perspicue statuit Concil. Trid. Sess. 24 cap. 18 de Reform. atque ita respondit Sac. Congregatio Concilii lib. 1 Decret. pag. 158.

(2) Concil. Trid. Sess. 24 cap. 18 de Reform. Debent Examinatores renunciare quotquot idoneos judicant ætate, moribus, doctrina, prudentia, et aliis rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis; Episcopus vero debet ex his, qui renunciati fuerint, magis idoneum eligere, atque ita à Sac. Congregatione Concilii definitum fuisse testatur Garcias de Benefic. par. 5 cap. 7 num. 11. Suo autem deessent muneri Examinatores Synodales, ut recte monet Benedictus XIV de Synod. diœces. lib. 4 cap. 8 n. 5, si tantum de alienjus doctrina, literarumque peritia judicium ferrent, non item de morum probitate, ceterisque dotibus, quæ sunt ad recte obeundum Parochii officium necessariae. Confer eundem Benedictum cit. Const. Cum illud. §. 10.

Tridentina lex de Parœciis per concursum deferendis, à Ven. mem. Viro Barthol. de los Mártires, Bracarensi Archiepiscopo, ardentissima oratione, excitata fuit, adductis ad id Burgensis et Palentinae diœceseon exemplaribus: ut refert Lic. Ludov. Muñoz, in ipsius Vita lib. 2, cap. 14.

Examinatorum ad eum, de quo hic sermo est, effectum electio, in episcopali synodo peragenda est, vel de capituli consensu, obtenta prius à Concilio Trid. Congregat. facultate. Eorum vero, qui Episcopo præsto sunt, ut ordinandorum, vel illorum, qui confessiones audiendi aut cocionandi licentiam obtenturi, examem conficiant, libera Prælati nominatio est.—Vide Benedict. XIV de Synod. Diœces. lib. 4, cap. 7, ubi multa hac de re mirifice exponuntur.

(N. S. Illud hic non abs re erit observare, Sedem Apostolicam Parochias ad favorem certæ personæ in manibus R. Pontificis resignatas, aliquando resignatorio conferre consuevisse in forma Dignum, scilicet sine concursu, at tantummodo sub conditione, si idoneus ab Episcopo reperitur in examine coram Synodalibus examinaturibus habendo. In nostro vero Hispan. Regno hujusmodi resignationibus locus non est ex Concord. an. 1755. Postremo non hic fas est silentio premere, quæ circa Beneficiorum possessiones decrevit

Syn. Tolet. an. 1582, Act. 5, Decr. 10: Pro receptione, vel admissione ad alicujus Præbendæ, vel Beneficii possessionem aliquid solvi, quod inter ipsos Ecclesiæ Beneficiatos dividatur, abusus est jam pridem sacris Canonibus, et nuper Sacrosancti Concilii Tridentini decreto damnatus. Eum ubicunque Episcopi agnoverint vigere, aboleri prorsus curent.)

3. Legem concursus editam à Synodo Tridentina, ut ejus cursum, atque exitum facerent expeditiorem, declarare, et ampliare censuerunt Summi Pontifices, præsertim S. Pius V (1), Clemens IX (2), et Benedictus XIV (3). Quamobrem qui à minus æquo judicio Episcopi, et Examinatorum provocat ad Metropolitam, aut ad Summum Pontificem, is impedimentum inferre non potest, quominus alter parochiæ possessionem obtineat; quamquam appellationis beneficio delere possit repulsæ notam, et suam novo experimento virtutem ostendere (4).

(1) S. Pius V. in Bulla In conferendis 51 tom. 4 par. 2 pag. 362. et Bulla Apostolatus 62 tom. 4 par. 2 pag. 51 Bullarii ed. cit.

(2) Clemens XI. per literas Sac. Congregationis Conc. datas die 10. Januar. 1721, quæ referuntur à Benedicto XIV in Constit. Cum, illud 63. Bullar. sui pag. 155 tom. 1 ed. Rom. 1754.

(3) Benedictus XIV. in cit. Constit. Cum illud.

(4) S. Pius in cit. Constit. In conferendis, ubi appellatio tantum in devolutivo, ut ajunt, non item in suspensivo conceditur.

4. Solutæ sunt hac lege concursus Ecclesiæ jurispatronatus laicorum. Nam oblatum à Patrono instituere debet Episcopus, si eum, facto experimento sine concursu cum examinaturibus in synodo designatis, idoneum inveniat (1). At patroni ecclesiastici inter approbatos ab iisdem examinaturibus, qui in concursu periclitati fuerunt ingenium, et virtutem suam, debent dignorem eligere, atque eum Episcopo offerre, ut ab ipso deinceps instituat (2). Episcopus autem judicium patroni ecclesiastici in delectu, et præsentatione dignioris omnino sequi debet, cum nullæ sunt aliorum querelæ; at vero inquirat in judicium patroni, si quis de eo conqueratur (3).

(1) Conc. Trident. cit. sess. 24 cap. 18.

(2) Quob obtinet, cum institutio ad Episcopum pertinet. Verum cum institutio, inquit Synodus Tridentina loc. cit., ab alio, quam ab Episcopo, erit facienda, tunc Episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem patronus ei præsentet, ad quem institutio spectat.

(3) Benedictus XIV in Const. Reddite nobis 4 tom. 2 pag. 15. Bullarii sui. Quod si aliquis sit, qui de patroni judicio conqueratur, in illud Episcopus inquirere debet; illique etiam appellationis beneficium conceditur. Quæ appellatio datur in suspensivo, si Episcopi judicium à Patrono dissentiat; si

cum eo consentiat, datur tantum *in devoluto*, uti sancitum est *in cit. Const. 4 Benedicti XIV.*

De *concurso* ad Paroch. Eccles., notandæ apud nos legg. tit. 20 lib. 1 *Novis. Compilat.*; ex quibus 7 Toletanam ista de re proxim laudat, et ad ceteras dioceses extendi commendat.

De ipso proposito ob oculos habendæ novis. Concordati sanctiones; nempe:

Art. 26. Parochiis omnibus, absque ullo prorsus ad loca, classes, et vacationis tempus respectu, providebitur publico indicto *concurso*, servata norma à Sacro Concilio Tridentino præscripta, efformatisque per Ordinarios sternionibus ex concurrentibus adprobatis, qui ad Majestatem Suam deferentur, ut inter propositos nominare queat.

Cessabit ideo *patrimonialitatis*, ut dicitur, et exclusionis, seu prælationis privilegium, quo ad Parochias, aliæque Beneficia assequenda nonnullis in partibus patrimoniales fruebantur. Parochiis ecclesiastici patronatus providebitur nominante Patrono inter tres, quos, enunciata superius forma, Episcopi proposuerint: his vero, quæ patronatus laicalis sunt, nominante item patrono inter eos, qui in publico propriæ Diocesis *concurso* adprobatos se fuisse doceant, præfixo ad hoc non valentibus quatuor mensium spatio, ut adprobationem prædicto modo assecutos esse demonstrant, ac salvo semper Ordinarii jure præsentatum à patrono examinandi, siquidem ita conveniens censuerit.

Nonnihil hic innovari animadvertes respectu Trident. sanctionum; maxime quantum ad exigentiam *concurso* pro parochiarum laicalis juspatronatus provisione; de quo etiam versatur Reg. decretum 21 Jun. 1852.

Privilegium *patrimonialitatis* in aliquibus ex Hispaniæ diocesisibus in generalem abierat disciplinam; v. g. in Palentina ac Calaguritana, ni nos memoria fallit. Probe tamen attendas, secundo hujusce art. §. minime restringi in *passivo* jurepatronatu constituendo privatorum arbitrium fundatorum, quibus ad statuendas pro erectorum à se beneficiorum delatione, quas velint, leges, plena, prout antea, libertas erit: illorum enim placita, quod quantum ad testantes erat Rom. jure præscriptum, *tamquam Principum placita*, modo nec iniqua, nec impossibilia, et valere, et ad exitum perducere, oportet.

5. His accedunt ea, quæ à Jure, et quæ ab hominibus constituta, observari necessario debent, ut ecclesiastica beneficia recte tribuantur. Jure cautum est, ut qui beneficium consequuntur, I. nullo canonico impedimento teneantur. Hinc à beneficiis repelluntur baptismo, aut tonsura carentes; illegitimi, quibus tamen potest Episcopus veniam dare minorum obtinendorum ordinum, et simplicium beneficiorum (1); hæretici, eisque faventes, et illorum filii ad secundum in linea paterna gradum, in materna tantum ad primum, si parentes in hæresi decesserint (2); conjugati, bigami, excommunicati, suspensi, interdicti, irregulares.

(1) *Cap. 1 de Fil. presbyter. in 6.*

(2) *Cap. 2 et 15 de Hæret. in 6.*

6. II. Ut habeant ætatem necessariam, quæ pro simplicibus beneficiis est annorum 14. (a), pro dignitatibus, et beneficiis, cum quibus conjuncta est cura animarum, annorum 25., pro reliquis dignitatibus, quæ nullam habent animarum curam, annorum 22., pro Episcopatu annorum 30 (1).

(a) V. art. 5 Concord. an. 1757; leg. 4 tit. 12 lib. 1 *Novis. Compilat.*

(1) *Conc. Trident. sess. 25 cap. 6, et sess. 24 cap. 12 de Reform.*

7. III. Ut initiati sint ordine, quem dignitas, aut beneficium postulat. Ita Sacerdotium adjunctum habent Episcopatus, Abbatia, Præpositura, Parochia, et dignitates, quæ secum ferunt curam animarum, et quæ Canonicorum collegio præficiuntur (1). Generalim tamen, nisi secus cautum sit vel statuto, vel lege fundationis, sancitum est, ut quilibet intra annum suscipiat ordinem, quem cum beneficio conjunctum esse oportet (2).

(1) *Cap. 1 de Ætat. et qualit. et ordin. præfic.*

(2) *Clem. 2 eod.*

8. IV. Denique ut ea sint præditi doctrina, qua est opus, ut recte obeant munus, quod in beneficio inest (1); utque insigniti sint laurea Sac. Theologiæ, Jurisve Canonici, si eam postulat beneficium, quod consequuntur. Nam ea decoratos esse oportet Vicarium generalem, et capitularem, Archidiaconum, et ceteros, qui primas habent in cathedralibus, aut in collegiatis ecclesiis dignitates (2).

(1) *Cap. 7 de Elect.*

(2) *Conc. Trident. sess. 24 cap. 12 de Reform.* Sed Archidiaconos, et ceteros, qui primas obtinent in cathedralibus, aut in collegiatis ecclesiis dignitates, quique non curam animarum, neque aliquam jurisdictionem habent, ea lege minime teneri, atque id plus semel à Sac. Congregatione Concilii definitum, ostendunt, Garcias *De Benefic. par. 7 cap. 7 num. 33*, Pignatellus *consult. canon. 114 num. 4*, Monacellus *Formular. eccles. tom. 1 in append. pag. 281 num. 15 et 16.*

9. Sunt hæc jure tradita, quibus parere, et quæ sequi debent, qui beneficia conferunt. Sed et observandæ, retinendæque sunt leges à Fundatoribus constitutæ de ætate, meritis, et qualitatibus beneficiatorum, quamquam inde regula canonum, non quidem tollatur omnino, sed vel paulo lenior, vel etiam severior evadat. Quare etiamsi vana sit lex, quæ ecclesiastica bene-

ficia laicis adscribit, ea tamen retinenda est lex, per quam simplices etiam Capellaniae, et Canonatus beneficia fiunt sacerdotalia, aut per quam beneficia quaedam, quae jure essent sacerdotalia, vel diaconalia, minoribus clericis conceduntur.

(a) (N. S. Beneficia non nisi Clericis, quibus nullum obstat canonicum impedimentum, conferenda: et quidem aequae ex veteri, ac ex nova Ecclesiae disciplina, laici à Beneficiis Ecclesiasticis arceudi. Ad rem Concilium Turon. Can. 1, et seq. Ministerium, aut Beneficium non nisi Clericos habere, Sanctorum Patrum sancivit auctoritas; similia habent Can. 3, et 18 Caus. 16 Q. 7. Verum negandum non est, aliquando laicis peregrinis, aut inopibus Beneficia, vel potius temporales Beneficiorum redditus fuisse assignatos, at sine ullo spiritali jure, aut ministerio: ut erant agri, vineae, et mancipia, quae precario dumtaxat nomine, scilicet ad usum, concedebantur. Ad rem Syn. Tolet. III Can. 5: Peregrinorum, vel Clericorum, et egenorum necessitati, salvo jure Ecclesiae, praestare permittantur, pro tempore quo poterint. Eadem habet Tolet. IV Can. 58 alias 57. Tum ex lege foundationis, adsensu Pontificio firmata, potest laico patrono praebenda, vel dignitas Ecclesiastica reservari; ut in Regno, Hispano Praebendae duae, Toletana scilicet, et Legionensis Regi nostro reservatae sunt. (*Barcinonens. quoque Eccles. Canonicus audit Hisp. Monarcha.*) Praeterea ad Beneficia Jurispatr. Ecclesiastici, vel laicalis, etiam laicus praesentari recte poterit, qui tamen Clericatum consequatur intra sex menses, si ab Ecclesiastico; intra quatuor, si à laico patrono praesentatus fuerit. Quod si spatio elapso, praesentatus adhuc Clericus non erit, irrita erit praesentatio.)

* In Hispania hodie Capitulorum dignitates, Canonici, ac Capellani Sacerdotio insigniti esse debent: Concord. 1851 art. 16 (pag. 214 hujus tomi.)*

10. Atque haec, quae de Fundatorum lege dicimus, dicta etiam volumus de constitutionibus singularum ecclesiarum. Nam eas pari modo spectare, et servare decet in iis, quae praecipunt de canonicorum, et ceterorum beneficiatorum qualitatibus.

(N. S. In Hispaniarum Regno Hispanis tantum Beneficia conferenda sunt: Leg. 1 tit. 23, 7 tit. 14, 1 tit. 15, 1 tit. 13, lib. 1 Novis. Compilat.; nisi quem, optime de Hispania meritum, singulari Hispani juris privilegio Reges nostri decorare voluerint. Id quod etiam obtinet in Beneficiis Sedi Apostolicae reservatis, ex Constit. Benedicti XIV in Confirm. Concord. sub die 9 Julii an. 1755. Tum in aliquibus Hispaniarum Ecclesiis moribus inductum est, ut non nisi avis christianis progeniti ad Praebendarum possessionem admittantur; cujus inquisitio ipsius Praesentati expensis perficitur.)

* Quantum ad legg. exteros ab Hisp. Eccl. beneficiis excludentes, V. D. Greg. Mayans, cit. opp. Observat. 15. Benedicti XIV ea de re declaratio, novis. Concord. art. 44, alibi laudato, confirmata apparet.

Inquisitio, cujus hic meminere Selvag. Adnot., generatim nostratibus Eccles. admissa, ex Reg. decreto 29 Martii 1852 omittenda est, ut nuper animadversum. De ea versabatur lex, 18 tit. 18 lib. 1 Novis. Compilat.

Hic apponere non abs re erit ejusd. Concordati an. 1851 art. 27, sequentibus verbis conceptum:

•Opportuna consulatur ratione, ut quoad fieri possit, in nova hac rerum ecclesiasticarum ordinatione, nequidquam praedjudicetur juribus actus possidentium quascumque Praebendas, Beneficia, aut Officia, quae ejusdem ordinationis causa supprimenda sint.

11. Illud postremo decet animadvertere, quod non tantum in conferendis beneficiis, sacrisque magistratibus inspicere oportet gradum, aetatem, mores, doctrinam singulorum, sed etiam in ecclesiasticis officiis, quae jure delegato mandantur. In quo tamen multum valet mandantis voluntas, atque potestas; praeterea necesse est indolem, atque naturam jurisdictionis, quae commissa fuit, diligenter expendere.

TITULUS VII.

QUI PROMOVERI NON POSSINT.

1. QUID IRREGULARITAS SIT, ET UNDE PROCEDAT?—2 ET 3. IRREGULARITATES EX CRIMINE PROCEDENTES.—4 AD 6. IRREGULARITATES EX DEFECTU, AUT VITIO CORPORIS.—7 ET 8. IRREGULARITATES EX DEFECTU ANIMI.—9. IRREGULARES SERVI, ET INDOCTI.—10 ET 11. ET QUI ALIENUM HABENT A LENITATE ANIMUM.—12. ET QUI SANA MENTE NON SUNT, ATQUE INFAMES.—13 ET 14. ITEM NATI EXTRA NUPTIAS.—15 ET 16. ET BIGAMI.—17. IRREGULARITATES QUOMODO, ET CUJUS AUCTORITATE TOLLANTUR?

Non aditus datur omnibus ad ordines suscipiendos; sed iis intercluditur, qui canonico impedimento laborant, et quos irregulares vocamus. Quem recentior aetas Ecclesiae novo vocabulo irregularem dixit (a), eum Nicæni Patres (1) alienum à regula appellarunt. Est autem alienus à regula, cui ecclesiastica regula impedimento est, quominus aut clero adscribatur, aut evehatur ad ordinem superiorem, aut in suscepto ordine ministret. Ex quibus facile educitur irregularitatis definitio. Non unum semper, pro varia Ecclesiae disciplina, fuit irregularitatis genus (2); sed hodie irregularitates omnes vel ex crimine, vel ex vitio aliquo, aut defectu procedunt.

(a) *Primus Innocent. III irregularitatis vocabulo usus est in cap. 10 de Renunciat.*

(1) Can. 17 c. 531 tom. 1 collect. Harduini.

ficia laicis adscribit, ea tamen retinenda est lex, per quam simplices etiam Capellaniae, et Canonatus beneficia fiunt sacerdotalia, aut per quam beneficia quaedam, quae jure essent sacerdotalia, vel diaconalia, minoribus clericis conceduntur.

(a) (N. S. Beneficia non nisi Clericis, quibus nullum obstat canonicum impedimentum, conferenda: et quidem aequae ex veteri, ac ex nova Ecclesiae disciplina, laici à Beneficiis Ecclesiasticis arceudi. Ad rem Concilium Turon. Can. 1, et seq. Ministerium, aut Beneficium non nisi Clericos habere, Sanctorum Patrum sancivit auctoritas; similia habent Can. 3, et 18 Caus. 16 Q. 7. Verum negandum non est, aliquando laicis peregrinis, aut inopibus Beneficia, vel potius temporales Beneficiorum redditus fuisse assignatos, at sine ullo spiritali jure, aut ministerio: ut erant agri, vineae, et mancipia, quae precario dumtaxat nomine, scilicet ad usum, concedebantur. Ad rem Syn. Tolet. III Can. 5: Peregrinorum, vel Clericorum, et egenorum necessitati, salvo jure Ecclesiae, praestare permittantur, pro tempore quo poterint. Eadem habet Tolet. IV Can. 58 alias 57. Tum ex lege foundationis, adsensu Pontificio firmata, potest laico patrono praebenda, vel dignitas Ecclesiastica reservari; ut in Regno, Hispano Praebendae duae, Toletana scilicet, et Legionensis Regi nostro reservatae sunt. (*Barcinonens. quoque Eccles. Canonicus audit Hisp. Monarcha.**) Praeterea ad Beneficia Jurispatr. Ecclesiastici, vel laicalis, etiam laicus praesentari recte poterit, qui tamen Clericatum consequatur intra sex menses, si ab Ecclesiastico; intra quatuor, si à laico patrono praesentatus fuerit. Quod si spatio elapso, praesentatus adhuc Clericus non erit, irrita erit praesentatio.)

* In Hispania hodie Capitulorum dignitates, Canonici, ac Capellani Sacerdotio insigniti esse debent: Concord. 1851 art. 16 (pag. 214 hujus tomi.)*

10. Atque haec, quae de Fundatorum lege dicimus, dicta etiam volumus de constitutionibus singularum ecclesiarum. Nam eas pari modo spectare, et servare decet in iis, quae praecipunt de canonicorum, et ceterorum beneficiatorum qualitatibus.

(N. S. In Hispaniarum Regno Hispanis tantum Beneficia conferenda sunt: Leg. 1 tit. 23, 7 tit. 14, 1 tit. 15, 1 tit. 13, lib. 1 Novis. Compilat.; nisi quem, optime de Hispania meritum, singulari Hispani juris privilegio Reges nostri decorare voluerint. Id quod etiam obtinet in Beneficiis Sedi Apostolicae reservatis, ex Constit. Benedicti XIV in Confirm. Concord. sub die 9 Julii an. 1755. Tum in aliquibus Hispaniarum Ecclesiis moribus inductum est, ut non nisi avis christianis progeniti ad Praebendarum possessionem admittantur; ejus inquisitio ipsius Praesentati expensis perficitur.)

* Quantum ad legg. exteros ab Hisp. Eccl. beneficiis excludentes, V. D. Greg. Mayans, cit. opp. Observat. 15. Benedicti XIV ea de re declaratio, novis. Concord. art. 44, alibi laudato, confirmata apparet.

Inquisitio, cujus hic meminere Selvag. Adnot., generatim nostratibus Eccles. admissa, ex Reg. decreto 29 Martii 1852 omittenda est, ut nuper animadversum. De ea versabatur lex, 18 tit. 18 lib. 1 Novis. Compilat.

Hic apponere non abs re erit ejusd. Concordati an. 1851 art. 27, sequentibus verbis conceptum:

•Opportuna consulatur ratione, ut quoad fieri possit, in nova hac rerum ecclesiasticarum ordinatione, nequidquam praedjudicetur juribus actus possidentium quascumque Praebendas, Beneficia, aut Officia, quae ejusdem ordinationis causa supprimenda sint.

11. Illud postremo decet animadvertere, quod non tantum in conferendis beneficiis, sacrisque magistratibus inspicere oportet gradum, aetatem, mores, doctrinam singulorum, sed etiam in ecclesiasticis officiis, quae jure delegato mandantur. In quo tamen multum valet mandantis voluntas, atque potestas; praeterea necesse est indolem, atque naturam jurisdictionis, quae commissa fuit, diligenter expendere.

TITULUS VII.

QUI PROMOVERI NON POSSINT.

1. QUID IRREGULARITAS SIT, ET UNDE PROCEDAT?—2 ET 3. IRREGULARITATES EX CRIMINE PROCEDENTES.—4 AD 6. IRREGULARITATES EX DEFECTU, AUT VITIO CORPORIS.—7 ET 8. IRREGULARITATES EX DEFECTU ANIMI.—9. IRREGULARES SERVI, ET INDOCTI.—10 ET 11. ET QUI ALIENUM HABENT A LENITATE ANIMUM.—12. ET QUI SANA MENTE NON SUNT, ATQUE INFAMES.—13 ET 14. ITEM NATI EXTRA NUPTIAS.—15 ET 16. ET BIGAMI.—17. IRREGULARITATES QUOMODO, ET CUJUS AUCTORITATE TOLLANTUR?

Non aditus datur omnibus ad ordines suscipiendos; sed iis intercluditur, qui canonico impedimento laborant, et quos irregulares vocamus. Quem recentior aetas Ecclesiae novo vocabulo irregularem dixit (a), eum Nicæni Patres (1) alienum à regula appellarunt. Est autem alienus à regula, cui ecclesiastica regula impedimento est, quominus aut clero adscribatur, aut evehatur ad ordinem superiorem, aut in suscepto ordine ministret. Ex quibus facile educitur irregularitatis definitio. Non unum semper, pro varia Ecclesiae disciplina, fuit irregularitatis genus (2); sed hodie irregularitates omnes vel ex crimine, vel ex vitio aliquo, aut defectu procedunt.

(a) * Primus Innocent. III irregularitatis vocabulo usus est in cap. 10 de Renunciat.*

(1) Can. 17 c. 531 tom. 1 collect. Harduini.

(2) Vid. Thomassin. *Vel. et nov. eccles. discipl. par. 2 lib. 2 à cap. 57 ad 91.*

2. Criminis puros Ecclesiae ministros Apostolus, omnesque Graeci, ac Latini Patres esse voluerunt (1). Quare olim quisquis pro crimine publicam egerat poenitentiam, cum non caretet justa reprehensione, quae dedecet sacrum ministerium, quo clericos fungi oportet, ab ordinibus repellebatur. Nunc laxata severitate antiquae disciplinae, ea dumtaxat crimina irregularitatem inducunt, quae infamiam afferunt, ob maculam, qua inde criminosis adspargitur, vel quae nominatim expressa sunt. Huiusmodi criminosis, qui nominatim à Jure designantur, sunt: serio, ac scienter baptismum iterantes, et qui palam baptismi iterationi ministerium impenderunt (2); simoniaci (3); ordinati per saltum (4); qui in ordine non suscepto ministrarunt (5); qui ad suscipiendos ordines non approbati, nec vocali obrepserunt (6); qui ordines susceperunt, aut eorum jam susceptorum exercuerunt munera, cum majori excommunicatione, aliave censura tenerentur (7); qui voluntarium, atque injustum homicidium patraverunt (8).

(1) Apostolus *ad Titum. 16 et 7, 1 ad Timoth. III 2 et 10.* Conc. Nicen. *Can. 2 et 9 col. 525 et 527 t. 1 collect. Harduini, Can. 55, 56, 58, 59, 60 dist. 50.* S. Gregorius M. *lib. 5 ep. 49 col. 660, et lib. 4 ep. 10 opp. tom. 2 col. 690 ed. Paris. 1705, S. Petrus Damian. in Gomorrhian. cap. 5 et seq. pag. 64 opp. tom. 3 ed. Paris. 1663.* Atque olim quodlibet grave crimen, etiam illud, quod elucrat poenitentia, irregularitatem inducebat. Origenes *contra Celsum lib. 5. cap. 51 opp. to. 1 pag. 481 ed. Paris. 1755,* tradit, lapsos, qui resipuissent, in communionem per poenitentiam recipi consuevisse, sed quia lapsi sunt, ab omni posthac dignitate, et praefectura in Ecclesia Dei arcentur. Hinc illud Concilii Carthaginensis IV *Can. 68 apud Labbæum tom. 2 col. 1442 ed. Venet. ex poenitentibus (quamvis sit bonus) Clericus non ordinetur.* Consentiant S. Siricius *Ep. 1 ad Himerium Tarraconen. num. 18 apud Constantium col. 656, Zosimus Decret. cap. 3 apud Pithæum Cod. can. vet. Eccles. Roman. pag. 215 ed. Paris. an. 1687, S. Augustinus Ep. 185 num. 45 opp. tom. 2 col. 660 ed. Maurin. Venet. 1729, S. Isidorus Hispalen. de Eccles. Offic. lib. 2 cap. 5 pag. 567 opp. ed. Paris. 1601.* Et vero gravia crimina non tantum publica, et manifesta, sed etiam occulta, irregularitatem inducebant. Sed orta deinceps inter publica, et occulta crimina distinctione, quam probavit Gratianus post *Can. 52 dist. 50,* omnibus firmum ratum esse cepit, quod ex publicis, non autem ex occultis criminibus irregularitas exoriatur. Hodie non nisi crimina occulta, quae in jure expressa sunt, et reliqua crimina publica, quae infamiam afferunt, irregularitatem secum ferunt. Synodus Tridentina *Sess. 24 cap. 6 de Reform.* ortas ex occultis criminibus irregularitates agnovit, cum Episcopo facultatem dedit relaxandi irregularitates, et suspensiones ex occulto crimine provenientes, excepto homicidio voluntario.

(N S. Antiquitas quaelibet gravis, licet occulti, peccati macula ab ordinibus arcebat; quocirca Syn. Illiberit. *Can. 50* Subdiaconum ordinari prohibet eum, qui in adolescentia fuerit mæchatus: et qui pro gravissimum post baptismum criminibus publicam egissent poenitentiam, ad inferiores tantum Diaconatu ordines admittebat Syn. Tolet. *1 Can. 2.* Consonat Syn. Gerundens. *Can. 9,* et Siricius P. *Epist. ad Himer. Tarracon. Cap. 4:* et merito; *quæ enim conscientia absolvat reum, qui se peccata sua populo scilicet lessem confessum? Quis enim, quem paulo ante vidit jacentem, veneretur Antistitem?* Hormisdas P. *Epist. ad Episc. Hispanos, Can. 5 Dist. 61.* Syn. Tolet. *IV Can. 21,* alias *20,* dotes, quibus ornati esse debent Sacerdotes, recensens, sic statuit: *Quicumque in Sacerdotio Dei positi sunt, irreprehensibiles esse debent, Paulo attestante: Oportet Episcopum irreprehensibilem esse. Inoffensus igitur, et immaculatos decet Dei existere Sacerdotes.*

At præf. Syn. Tolet. (poenitentes in Clerum admitti decernit, si necessitas, aut usus exegerit; et Siricius, in *ead. Epist. cap. 15,* si Apostolica Sedi videretur quisquam de talibus poenitentibus adsumendus.

Crimina tamen quod spectat, quæ ordinum impedimenta censerentur, recenset Syn. Tolet. *4 Can. 10,* alias *18;* scilicet: *qui in aliquo crimine detecti sunt, qui infamiae nota aspersi sunt, qui scelera aliqua per publicam poenitentiam admisisse confessi sunt, qui in hæresim lapsi sunt, vel qui in hæresi baptizati, aut rebaptizati esse noscuntur, qui semetipsum absciderunt, aut naturali defectu membrorum, aut decisione aliquid minus habere noscuntur, qui secundæ uxoris conjunctionem sortiti sunt, aut numerosa conjugia frequentaverunt, qui viduam, vel marito relictam duxerunt, aut corruptarum mariti fuerunt, qui concubinas ad fornicationem habuerunt, qui servili conditione obnoxii sunt, qui ignoti sunt, qui Neophyti sunt, vel laici sunt, qui sæculari militiæ dediti sunt, qui curiæ nexibus obligati sunt, qui inscii litterarum sunt, qui nondum ad triginta annos pervenerunt, qui per gradus Ecclesiasticos non accesserunt, qui ambitu honorem querunt, qui muneribus honorem obtinere molliuntur.)*

(2) *Can. 65 dist. 50, cap. ult. de Baptism., cap. 2 de Apostat.*

(3) *Can. 2 dist. 55: Sixtus V. Constit. Sanctorum 140 tom. 5 par. 1 pag. 40 Bullar. ult. ed.*

(4) *Cap. un. de Cleric. per. salt. promot.*

(5) *Cap. 1 de Cler. non ordinat. ministr.*

(6) *Cap. 1, 2, 3, de Eo qui furtiv. ordin. suscep.*

(7) *Cap. 52 de Sentent. excom. Minoris tamen excommunicationis violentiam irregularem non fieri, decrevit Gregorius IX. in cap. ult. de Cleric. excom. depos. interd. ministr.*

(8) *Cap. 1 et 10 de Homicid. volunt. vel casual.*

3. Quod pertinet etiam ad eos, qui animatum mulieri partum abegerunt, sive id medicamentis, sive alio quovis modo effecerint (1); itemque ad eos, qui consilium, mandatum, opem alicui dederunt, ut hominem interficeret (2). Fortuitum vero homicidium, quod admissum est ab eo, qui rei licitæ operam dabat (3); quemadmodum et homicidium, quod servato, ut inquirunt, moderamine inculpate tutele aliquis patrare coactus est.

sn̄i ipsius defendendi causa (4); aut quod commissum est ab amente, furioso, infante, irregularem facit neminem (5).

(1) *Cap. 20 de Homicid. Sixtus V in Const. Effrenatam 154 par. 5 tom. 1 pag. 25 Bullarij ed. cit. eadem pœna plecti voluit illos, qui mulieri partum adhuc anima carentem abegissent; verum hæc in re, Sixti constitutione abrogata, jus antiquum servari jussit Gregorius XIV. Constit. Sedes Apostolica 10 to. 5 par. 1 pag. 275 Bullar. d. ed.*

(2) *Cap. 6 cod. cap. 2 de clerici pugnan., can. 25 dist. 1 de Pœnit. can. 30 dist. 50.*

(5) *Cap. 15, 14, 15, 25 de Homicid.* At vero irregularis est, qui præter voluntatem hominem interfecit, non adhibita diligentia, quam adhibere oportebat, *cap. 7, 8, 12 de Homicid.*, quique fortuitum homicidium admisit, cum rem vitalem, sive illicitam gereret: *cap. 19 eod.* Qui autem rem medicam, aut chirurgicam exercuerunt, cum recte periti artis essent, omnemque in curandis ægrotis curam, ac diligentiam adhibuerunt, si paulo accuratius expendimus canonicam Jurisprudentiam, irregulares non sunt, licet ægrotus aliquis decesserit. *Physici, vel Chirurghi, si periti sint in arte, et nihil omiserunt de contingentibus, et habuerint super hoc sanam conscientiam, poterunt promoveri, si causa eorum aliquid in homine contigerit*, inquit S. Petrus Cælestini in *Opusc. 7 part. 4 sect. 1 c. 5 t. 25 Biblioth. PP. ed. Lugdun. p. 322.* Nihilotamen minus, cum hi ordinibus initiantur, quoniam certo non sciunt, ut ait Benedictus XIV de *Synod. diœces. lib. 15 cap. 10 num. 4, semper usos fuisse omnibus ab arte præscriptis regulis ad expellendum morbum, qui ægrotum interemit, sibi tutius consulere cupientes, rescriptum, vel Breve dispensationis ab irregularitate, ad cautelam satagunt obtinere.* Et licet olim clerici non prohiberentur medicam artem exercere, nunc tamen id ipsis vitium est: Concilium Rhemense *can. 6*, et Lateranense *can. 9 col. 984 et 1004 tom. 10 Conc. collect. Labbei, c. 5 et 10. Ne Cleric. vel monach.*, ideoque Apostolica venia, sive indulto opus habent, ut artem illam exercere possint. Quæ venia conceditur certis adjectis legibus, quas numerat Benedictus XIV de *Synod. Diœces. lib. 15 cap. 10 num. 8.*

(4) Olim nihil intererat, num quis dolo malo, an ob sui tutelam hominem interfecisset, *can. 8 dist. 50*, quæ vetus disciplina viguisse videtur usque ad tempora Decretalium, ut colligi potest ex *cap. 24 de Homicid.* Sed Clemens V in *Clem. unic. eod. tit.* irregularem non esse respondit eum, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit, vel mutilavit invasorem.

(5) *Clem. unic. de Homicid. voluntar. vel casual.*

4. Defectus, sive vitium vel est corporis, vel animi. Vitio corporis irregulares sunt, qui non habent ætatem, quam pro singulis ordinibus Sacri Canones constituunt, et quam superiori loco descripsimus (1).

(1) Vide. *Tit. 4 sect. 2 §. 15.*

5 Sed potissimum ad hunc locum pertinent irregularitates eorum, qui insigni aliqua deformitate notantur; et qui propter

corporis impedimentum, ordinis ministerium exercere non possunt. Ob deformitatem ordinibus prohibentur, qui ita deformes sunt, ut risum, aut stomachum moveant, uti sunt illi, quibus abscissæ sunt nares, aut oculus erulus (1), qui lepra laborant (2), qui ridicule pusilli, atque ita claudi sunt, ut sine fulcro incedere nequeant (3); non tamen illi, quorum leve vitium est, uti si quis maculam habeat in oculo, aut unguam digiti amiserit (4).

(1) *Can. ult. dist. 55.*

(2) *Cap. 4 de cleric. ægrot.*

(3) *Can. 1 dist. 49.*

(4) *Cap. 2 et 7 de corpor. vitiat.* Irregularitatis, quæ ex corporis deformitate procedit, vestigia sunt in veteri testamento, *Levit. XXI 18 ad 29*, ubi excluditur ab altaris ministerio, si quis *cæcus fuerit, si claudus, si parvus, vel grandi, vel torto naso, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impetigimen in corpore, vel herniosus.* Verum cæremonialia hæc veteris legis præcepta desierunt. Antiqui Ecclesiæ canones potius vitia mentis, atque animi, quam corporis notari voluerunt, et huc spectat canon 77 et 78. Apostolorum apud Cotelierium *PP. Apostol. tom. 1 pag. 451 et 452 ed. Amstelædami 1724*, et facit etiam id, quod Sozomenus *lib. 6 Histor. cap. 50 pag. 265 ed. Valesii Cantabrig. 1720* narrat de Anachoreta Ammonio, qui licet abscissa esset auricula, tamen Episcopatu dignus est habitus, et Palladius in *Histor. Lausiac. cap. 4* apud Rosweydam *Vit. PP. p. 931. Antwerp. 1615.* Episcopum memorat, qui profitebatur, *se paratum ordinare virum bonæ vite, etiam naso amputato.* Vitio corporis ab ordinibus excludebantur, qui eorum munera obire non poterant, vel qui sibi sponte, ac sine causa partem aliquam corporis absciderant (a) Sed sæculo V. jam disciplina vigeat, per quam corpore vitiatum ab ordinibus repellebantur, uti patet ex *can. 5 dist. 55.*

(a) (N. S. Collect. Martin. Brae. cap. 21; leg. 25 tit. 6 Partit. 1.)

6. Ob impedimentum corporis irregulares habentur surdi, muti, cæci utroque oculo, vel sinistro solum, quem oculum canonis appellamus, vel qui eundem ita læsum habent, ut, non nisi indecore conversa facie Missæ canonem legere possint, paralytici, comitali morbo laborantes, carentes aliquo membro, puta manu, aut pede (1), quin etiam digito ad frangendam Hostiam necessario, pollice nimirum, atque indice (2), qui pedibus stare, et consistere non possunt (3), quibus volentibus virilia sunt secta (4), nisi id suasu medicorum, aut in cunabulis factum sit (5).

(1) *Cap. 6 de Corpor. vitiat. ordin.*

(2) *Cap. 1 eod.*

(3) *Can. 57 dist. 1 de Consecr. ibique Glossa verb. cum baculo.*

(4) *Canon. 4 et 5 dist. 55 cap. 3 et 4 de Corpor. vitiat. ordin. Conc. Nicænum can. 1 tom. 2 concil. collect. Labbei col. 53 ed. Venet.*

(5) *Cap. 5 et 5 eod.* Sunt etiam irregularitatis expertes qui vel à natura, ut Dorotheus apud Eusebium *Eccl. Hist. lib. 7 cap. 52 pag. 366 ed. Valesii Cantabrig. 1720*, Melitho, et alii, vel à violentia, quales olim fuerunt Germanus, et Ignatius, eunuchi facti sunt. Ivo Carnotensis *ep. 251 opp. par. 2 pag 98 ed. Paris. 1647* loquitur de Monacho Cluniacensi, qui propter languorem eunuchus factus fuit, neque irregularis evasit; multa huiusmodi exempla refert Theophilus Reynaud *opp. De Eunuchismo*, Quare Nicæus Canon I. ad eos pertinet, qui se ipsos abscederunt, ut Origenes, et Leontius, quos imitati sunt Valesii, seu Valesiani hæretici apud Epiphanium *Advers. hæres. lib. 2 hæres. 58 t. 1 opp. p. 499. ed. Petavii Paris. 1622.*

7. Vitium, aut defectus animi irregulares efficit illos, qui baptismum non acceperunt; et horum quidem ordinatio irrita est, quia cum Ecclesiæ janua ingressi non fuerint, apti non sunt ad suscipiendos ordines, et capessenda officia, quæ sunt Ecclesiæ filiorum propria (1). Qui carent sacramento confirmationis ordinibus initiari non debent (2); verum si initiati fuerint, ordinatio rata firma est. Huc quoque referuntur neophiti, hoc est, nuper baptizati, qui à majoribus ordinibus repelluntur, quoniam eos cita ordinatio in superbiam raperet (3); item in ægritudine baptizati, nisi postquam convalescerint, suis operibus ostendant, se non metu mortis, sed studio pietatis, et religionis baptismum suscepisse (4).

(1) *Cap. 1 et 5 de Presbyt. non. baptiz.*

(2) *Concil. Trident. Sess. 25 cap. 4 de Reform.*

(3) *Can. 1 dist. 43, et Concilium Nicænum can. 2 col. 55 tom. 2 collect. Labbæi.* Quantum verò temporis sit necessarium, ut neophitus pro suscipiendis ordinibus satis probatus habeatur, inter Juris Canonici interpretes non bene exploratum est. Alii annum unum satis esse arbitrantur, quia miles in Jure Civili, exacto militiæ anno, veteranus dicitur; alii biennium postulant, quoniam Gregorius M. *lib. 10 ep. 24 opp. tom. 2 col. 1056 ed. Paris. 1705* eos, qui Christi fidem amplexi fuerant, ordinari vetuit, priusquam biennium in conversione compleant; alii decennium requirunt, quod hoc in Jure longum tempus est; alii demum, cum nullum ea de re certum tempus à Jure definitum sit, rem totam relinquunt arbitrio Episcopi, cujus est videre, num recens baptizati tantæ sint virtutis, atque in fide constantiæ, ut iis ecclesiastica ministeria tuto committi possint.

(4) *Can. 1 dist. 57.* Ideo Cornelius P. *ep. 9 ad Fabium Antiochen. num. 4* apud Constantium *col. 151* irregularem habuit Novationum, quod in lecto decumbens baptismum accepisset. Hi vero homines *clivici* dicebantur à græco quodam verbo, quod *lectum* significat.

(N. S. Ab ordinibus quoque arcebantur peregrini, quorum non satis perspecta fides, morumque integritas: Cælestinus *Epis. 2 ad Episcop. Narbon. Leo M. Epist. 84 ad Anast. et Syn. Illib. Can. 24: Omnes, qui peregre fuerint baptizati, eo quod eorum minime sit cognita vita, placuit ad Clerum non posse cooptari.*)

8. Pertinet etiam ad animum libertas, doctrina, lenitas, sa-

na mens, fama integra, vacuitas ab omni sorde, atque ab omni incontinentiæ nota. Sunt hæc bona animi, quæque his adversantur, faciunt aliquem irregularem.

9. Itaque irregulares habentur servi (1), nisi à domino libertatem fuerint consequuti, ordinati autem sciente domino ingenui efficiuntur (2); præterea, qui ad servos videntur accedere, tutores, curatores, et ceteri, qui tenentur onere rationum reddendarum, nisi eas antea reddiderint, atque ita omnem fraudis suspicionem excusserint (3); item illiterati, et indocti (4); denique qui alienum ab ecclesiastica lenitate animum declaraverint.

(1) *Cap. 1 et 2 de Serv. non ordin.*

(N. S. Irregularitas ex defectu Libertatis, ex Apostolica videtur profluere traditione. Apostolus enim Onesimum servum ordinare noluit; sed Timotheo præcepit, ut ipsum, Philemone Domino suo consentiente, ordinaret, cui postea in Catedra Ephesina successit. Sic etiam Canon ex dictis Apostolicis 81: *Servos in clerum provehi sine voluntate dominorum, non permittimus.* Hujus Irregularitatis ratio ea videtur fuisse, ne scilicet Dominorum jura læderentur; quare ibidem subnectit Canon, *ad eorum, qui possident, molestiam. Domorum enim eversionem talia efficiunt.* Ceterum quod apud Deum non est servus, neque liber, omnes unum sumus in Christo: Apostol. *ad Galat. III v. 28*; hinc servos consentientibus dominis suis ordinari posse, et hoc ipso libertatem adipisci, nulli unquam dubium fuit. *Can. Apost. ibidem: Si quando autem etiam dignus Servus visus sit, qui ad gradum eligatur, qualis noster quoque Onesimus visus est, et Domini concesserint, ac liberaverint, et ædibus emiserint, fiat.* Et *Syn. Tolet. IV Can. 75* alias 72, et *Tolet. IX Can. 11*)

(2) *Can. 20 dist. 54.*

(3) *Cap. unic. de Obligat. ad ratiocin.; *Innoc. I Ep. ad Syn. Tolet. Episc., c. 6; leg. 25 et 24 tit. 6. Partit. 1.**

(4) Illiteratos eodem jure ac corpore vitiatos censet Gelasius Pontifex in *can. 1 dist. 56, et inscios literarum Synodus Toletana IV. can. 5 dist. 51.* Ex quibus evidens est, eos ab ordinibus excludi, qui prorsus ignari sunt literarum, non item eos, qui mediocri scientia sunt præditi, uti respondit Innocentius III. *in cap. 13 de Elect.* Quantam autem in singulis ordinibus debeant Episcopi scientiam exquirere, tradit Synodus Tridentina *sess. 22 cap. 2, et sess. 25 cap. 4, 11, 15 de Reform.*

10. Nam ministros suos, exemplo Christi, lenes esse voluit Ecclesia; atque hinc inter Episcoporum munera non illud postremum fuit, ut pro reis crimine damnatis intercederent apud Magistratus (1). Itaque irregulares sunt, qui aliquid conferunt ad necandum, aut mutilandum hominem, quamquam is alterutra pœna merito plectatur; veluti iudices, qui sententiam proferunt mortis, aut mutilationis, modo eadem sententia ad exitum perducatur (2); item accusator, fisci patronus, testes in causa san-

guinis, et ministri omnes, qui sententiam exequantur (3), cunctique demum, qui alienæ mortis, aut mutilationis participes fuerint (4).

(1) S. Augustinus ep. 153 ad Macedon. opp. tom. 2 col. 524 ed. Maurin. Venet. 1729 S., Ivo Carnotensis epistol. 246 opp. par. 2 pag. 106 ed. Paris. 1647 Conc. Sardicense can. 7 et 8 tom. 2 col. 662 et 663 collect. Labbæi.

(N. S. Irregularis ex defectu lenitatis is dicitur, qui alicujus morti, etiamsi juste, ac legitime illata sit, se interposuerit. Ecclesia enim semper à sanguine abhorruit. Quamobrem Apostolus in Episcopis, et Diaconis inter cetera requirit, ut non sint percussores: et Conc. Tolet. IV Canone 51 alias 50, in iis tantummodo causis Clericos à Regibus iudices fieri permittit, ubi iurejurando supplicii indulgentia promittitur, non ubi discriminis sententia præparetur. Si quis ergo Sacerdotum, contra hoc commune consultum, discussor in alienis periculis extiterit, reus effusi sanguinis apud Christum, et apud Ecclesiam, perdat proprium gradum. Idem præscribit Syn. Tolet. XI Can. 6, apud Gratian. Can. 29 Cap. 25 Q. 8.)

(2) Cap. 5 et 9. Ne Cleric. vel Monach.

(3) Can. 50 caus. 25 q. 8; cap. 5 et 9. Ne Cleric. vel Monach.

(N. S. Quod ad testes spectat, nihil certi Jure Canonico statutum est; at vero distinguunt DD. inter testes voluntarios, et necessarios, sive coactos; atque illos irregulares fieri docent, haud vero istos, ubi ad testimonium ferendum à publicis iudicibus cogantur.)

(4) Cap. 24 de Homicid. volunt. vel casual.

(N. S. Duo hic postremo omnino animadvertenda. Primum: Ejusmodi Irregularitatem contrahere non Clericos modo, verum et Laicos: unde hi Ordines, quin et ipsam clericalem tonsuram, citra dispensationem suscipere ventantur. Alterum: Non Laicos modo, verum et Clericos in ejusmodi Irregularitatem non incurrere, ubi sententia sanguinis executioni demandata non sit; neque refert videre, num fortuito eventu, an fraude executio impedita fuerit; quum irregularitas hæc, ex jure positivo inducta, strictam velit interpretationem.)

41. Quod si clericus, qui civile habet imperium in suos, criminales causas alteri committat, eumque justitiæ debitum exequi jubeat, irregularis non est, quamquam à iudice mortis sententia proferatur (1). Ne quis autem ansam habeat ad vexandos impune clericos, statuit Bonifacius VIII (2), eos irregulares non esse, cum illatas sibi à laicis injurias persequuntur, modo vere, atque ex animo declarent, se non ultores injuriarum agere, ut sanguis effundatur (a).

(1) Cap. ult. Ne Cleric. vel Monach. in 6.

(2) Cap. 2 de Homicid. in 6.

(a) Idem protestari tenentur clerici in causa sanguinis ad testimonium dicendum vocati.

42. Sunt etiam, uti dicebamus, irregulares ii, quorum mens

sana non est, et huc vocantur amentes, furiosi, energumeni et, quotquot vel natura, vel morbo mente sunt imbeciliores (1): præterea qui bona fama non sunt, et huc referendi hæretici, schismatici, apostatæ, atque ii, quorum pater, avusque aut mater, hæretici sunt, vel hæretici decesserunt (2), itemque adulteri, perjuri, falsi testes, lenones, et rei ceterorum criminum, quæ alicui infamiam inferunt (3). Crimina hæc, aut nota omnibus, aut iudicio probata, eorum reos ab ordinibus repellunt (4).

(1) Can. 5, 4, 5, dist. 55. Vid. Conc. Aurelianense III, Can. 6 col. 1275 tom. 5, et Toletanum II. Can. 1 et 2 apud Labbæum tom. 5 col. 379 ed. Venet., S. Gregor. M. Dial. lib. 2 cap. 19 opp. tom. 2 col. 240 ed. Paris. 1705.

(2) Cap. 15 de Hæret. in 6.; leg. 5 lit. 3 Lib. 12 Novis. Compilat.

(3) Can. 17 cau. 6 q. 1.

(4) Cap. 4 et ult. de Tempor. ordinal. ubi statuitur: Si proposita crimina ordine judiciario comprobata, vel alias notoria non fuerint, non debent hi (præter reos homicidii, post penitentiam, in jam susceptis, vel suscipiendis ordinibus impediri.

43. Vacuitas ab omni sorde eo spectat, ut ordines suscepturi nullum dedecus, nullasque sordes ex natiuitate contraxerint. Ea de causa ab ordinibus arcentur illegitimi (1); nisi postea nuptiæ inter eorum parentes rite concilientur (2), aut nisi religionem professi, monumento hoc pietatis natalium sordes eluerint; quia tunc recte ordinibus initiantur, licet à sui Ordinis præfecturis, nisi primum ea lege soluti fuerint, abstinere se debeant (3). Sed et bona cum venia Episcopi, aut Summi Pontificis ordines suscipere potest illegitimus, atque etiam consequi ecclesiasticos Magistratus. In minoribus ordinibus, et beneficiis simplicibus satis est venia Episcopi (4); in ordinibus sacris, parochiis, dignitatibus Summi Pontificis venia desideratur (5).

(1) Hujus irregularitatis nullam antiqui canones rationem habuisse videntur. Nam can. 8. Nicephori Confessoris, apud Cotelerium Eccl. Græc. monum. t. 5 p. 146 Paris. 1636, habentur hæc: Qui ex concubina, aut bigamis, vel trigamis nati sunt, modo vitam exhibuerint sacerdotio dignam, ordinantur. Consentiant antiqui Patres, quorum testimonia Gratianus describit dist. 56; idquod late demonstrat Christianus Lupus in Synod. Gener. et Prov. t. 4 c. 12 dissert. 1 proæm. p. 56 ed. Venet. 1725. Irregularitatem hanc, quæ ex natalium vitio procedit, memorat Innocentius III. lib. 1 ep. 444 t. 1 p. 460 ed. Paris. 1682; et ejus etiam antea meminerat decretum Urbani II. can. 1 dist. 56, et canon Synodi Pictaviensis in cap. 1 de Fil. Presbyt. Tam canon hic, quam illud decretum pertinent ad exitum fere sæculi XI.

(N. S. At idem Pont. Urbanus II Petrum, Legionensem Episcopum, ex illegitimo matrimonio natum, in episcopatu confirmavit: can. 14 ejus. Distinct. 56.)

(2) *Cap. 1 et 7. Qui fil. sint legit.* Necessè tamen est, quod inter parentes consistere poterit matrimonium, cum filii concepti sunt, ut postea per illud legitimi efficiantur. Vide literas Benedicti XIV datas ad Archiepiscopum S. Dominici, quæ extant in ejus *Bullario tom. 1 pag. 276 Constit. 115*, ubi ea de re solide, copioseque disputatur.

(3) *Cap. 1 de Fil. Presbyter.* Quæ autem servare oporteat, ut illegitimi regulare institutum recte suscipiant, explicant Gregorius XIV *Constit. circumspecta 5 pag. 252 tom. 5 par. 2*, et Clemens VIII. *Constit. in suprema 268 pag. 409 tom. 15 par. 2. Bullarii*, quæ constitutiones mitigant, et relaxant severitatem constitutionum ea de re à Sixto V. editarum.

(4) *Cap. 1 eod. in 6.*

(5) *Cap. ult. eod., cap. 1 eod. in 6.*

14. Atque hæc quidem venia non latius explicanda, sed certos intra fines cohiberi debet, et ideo cui data copia est suscipiendorum ordinum, non ei data etiam videtur copia obtinendi beneficii, nec cui permissum est unum beneficium, licet plura obtinere (1). Decet autem hujus veniæ cupidum cuncta narrare, ac patefacere Summo Pontifici; et potissimum significare oportet, num beneficium, quod illegitimus petit, situm sit in eadem ecclesia, in qua pater ejus ministrat, vel ministravit. Difficilius enim in hac ecclesia illegitimo beneficium permittitur; cum sacri canones, ut omnis à beneficiis imago hereditariæ successio- nis arceatur, et nulla sit reliqua memoria conjugii, beneficio potiri illegitimos vetent, aut aliquod obire munus in ecclesia, in qua eorum pater dignitatem, aut beneficium obtinuit (2). Imo nec filius Presbyteri legitimus, scilicet ex justo conjugio susceptus ante ordinationem, sine venia Sedis Apostolicæ proxime succedere potest in beneficio patris, nisi mediâ persona intercesse- rit, in quam illud post patrem collatum fuerit (3).

(1) *Cit. cap. 1 et cap. 2 de Fil. Presbyt. Vid. Rebuf. in Prax. benefic. par. 1 tit. de dispensat. super defect. natal. num. 47 et seq.*

(2) *Cap. 15 et 16 de Fil. Presbyt. Conc. Trident. sess. 25 cap. 15 de Reform. Clemens VII Const. ad canonum 37 tom. 4 par. 1 pag. 92. Bullar. ed. ind.*

(3) *Cap. 7, 11 et 17 de Fil. Presbyt.* At filius Presbyteri illegitimus, ne mediâ quidem intercedente persona, ac nunquam omnino consequi potest beneficium, quod ejus pater obtinuit, uti declaravit Clemens VII in *cit. const. ad canonum.*

15. Ob notam, et suspicionem, quam præbuerunt, inconti- nentiæ (1), ab ordinibus arcentur bigami, qui scilicet plures nuptias contraxerunt. Triplex autem est bigamia, vera, inter- pretativa, et similitudinaria. Vera bigamia est, quam modo des- cripsimus, nempe duplex conjugium; interpretativa, in qua non

re, sed interpretatione quadam duplex matrimonium considera- tur, veluti si quis ducat uxorem alio marito viduatam (2), aut ab alio corruptam, antequam suo se immisceret conjugii (3); si- militudinaria est, cum quis solemniter castitatis voto devinctus, uxo- rem accipit, cumque ea liberis dat operam (4).

(1) Caput hoc irregularitatis ex nota incontinentiæ repetunt Græci Patres, quibus et Latinorum quidam assentiuntur. S. Jo Chrysostomus. *Homil. 2 in ep. ad Titum opp. tom. 11 pag. 758 ed. Paris. 1754*, explicans illa Apostoli verba, oportere Episcopum esse unius uxoris virum, habet hæc: *eademque opera impudicos castigat, non sinens eos post secundas nuptias ad Eccle- siæ regimen assumi.* Eadem dicit S. Hieronymus in *eadem ep. ad Titum cap. 1 col. 696 opp. tom. 7 ed. Ver. 1757*. Confer etiam Tertullianum *ad uxor. lib. 1 cap. 7 pag. 165 ed. Venet. an. 1744*. Esse autem ab ordinibus, tanquam bigamum, repellendum eum etiam, qui ante baptismum uxorem unam accepit, alteram post baptismum, docent Innocentius I. *Ep. 17 ad Ma- ccedon. Episc. cap. 2 apud Constantium col. 851, et Ep. ad Epis. Syn. To- let. cap. 6**; Leo M. *ep. 6 ad Anastas Thessalon. cap. 3 opp. tom. 1 col. 621 edit. Venet. Ballerin., Ambrosius de Offic. ministr. lib. 1 cap. 50 opp. tom. 4 pag. 415 edit. Venet. 1781*, licet alia Hieronymi fuerit, aliorumque sententia.

(2) *Can. 59 dist. 50.; *Syn. Tolet. I can. 5.**

(3) *Can. 2 dist. 55, can. 11 et 12 dist. 34, cap. 1 de Bigam. non ordin.; *leg. 55 tit. 5 Partit. 1.**

(4) *Cap. ult. eod.*

16. Verum hoc irregularitatis genus vulgo repetimus à con- junctione Christi cum Ecclesia, quam significare non potest bi- gami matrimonium (1). Propterea bigamus non habetur, qui alie- nam viduam, sed non compressam à viro, accepit uxorem (2), nec qui plures fœminas in incestum, aut in stuprum illexit (3).

(1) Primus hanc irregularitatem ad defectum significationis sacramenti retulisse videtur S. Augustinus de *Bon. conjug. cap. 18 opp. tom. 6 col. 551 ed. Maurin. Venet. 1751*, ac S. Leo *ep. 12 cap. 3 opp. tom. 1 col. 660 ed. Ven. Ballerin.* Eadem sententia est Celestini III in *cap. 5 de Bigam. non ordin.*, et ceterorum Pontificum in decretalibus, et ideo nunc hujusmodi irre- gularitas ex hac ratione repetitur.

(2) *Cap. 5 de Bigam. non ordin.*

(3) *Cap. 6 eod., can. 7 dist. 34.*

(N. S. Demum Irregularis quoque ille censendus est, qui in probabili du- bio versatur, num actum admisit, cui Irregularitas certo adnexa est. Quod dubium *Facti* à Moralists vulgo dici consuevit. Profecto *Cap. 12 de Homic.* Clemens III consultus de Presbytero dubitante de homicidio à se perpetrato in hunc modum respondit: *Quia vero, utrum occasione vulneris decessis- set, dubium habetur: tunc discretioni duximus respondendum, quod, quum in dubiis, semitam debeamus eligere tutiorem, te convenit injungere Pres- bytero memorato, ut in sacris ordinibus non ministret.*—In his recensendis irregularitatibus perbelle Alph. *Sapiens à Leg. 15 tit. 6 Partit. 1.*)

17. Irregularitates quædam perpetuæ sunt, quædam temporariæ, et hæ quidem statim desinunt, sublata causa, unde procedunt. Ita qui caret idonea scientia, ætate, libertate, cum liber est factus, cum ætatem, et scientiam adeptus est, recte ordinibus initiatur. Perpetuæ irregularitates, quas induxit Jus Ecclesiasticum, tolluntur venia Sedis Apostolicæ; verum in homicidio voluntario venia dari non solet, neque ei locus est, cum quis animi, aut corporis vitio non est aptus omnino ad suscipiendos ordines, atque ad obeunda munera, quæ eorum propria sunt. In occultis criminibus solvit lege etiam Episcopus, excepto homicidio voluntario (1).

(1) Conc. Trident. sess. 24 cap. 6 de Reform.

(N. S. In Hispania Generalis S. Cruciatæ Commissarius dispensare potest in quibuslibet Irregularitatibus, iis exceptis, quæ contractæ sunt ex homicidio voluntario, Simonia, Apostasia à Fide, Hæresi, aut prava Ordinum susceptione; ut ex Bulla S. Cruciatæ, ut vocant, constat.) *Similiter Apost. in istis Regnis Nuntio quasdam irregularitates tollendi facultas conceditur; ut ex Brevi inserto leg. 4, tit. 4, lib. 2 Novis. Compilat. apparet.*

TITULUS VIII.

QUIBUS MODIS POTESTAS JURISDICTIONIS, ET ECCLESIASTICA BENEFICIA AMITTUNTUR.

1 ET 2. POTESTAS JURISDICTIONIS, ET ECCLESIASTICA BENEFICIA VEL PŒNÆ CAUSA, VEL VOLUNTATE NOSTRA AMITTUNTUR.

1.

Amittunt sæpe clerici ecclesiastica beneficia, et amittunt jurisdictionem, quam acceperunt. Ordinis potestas semper in iis fixa hæret, uti hæret in animo character, qui semel impressus deleri non potest, licet interdum aliquis hujus potestatis usu prohibeatur. Verum potestas jurisdictionis, quæ tota pendet ex imperio in subditos, plane tollitur, et extinguitur, cum quis non amplius habet subditos, in quos illam exerceat.

2. Simili modo etiam ecclesiastica beneficia amittuntur. Cum enim ea consistant in jure percipiendi fructus honorum ecclesiasticorum, in officio, in honoris gradu, in jurisdictione, facile intelligitur, hæc omnia tolli posse; iis vero sublatis beneficia amittuntur necesse est. Duobus autem modis beneficia, et potestatem jurisdictionis amittimus, voluntate nostra, hoc est

per renunciationem, translationem, permutationem, atque extra voluntatem nostram, ac pœnæ causa, scilicet per depositionem, aut degradationem.

SECTIO I.

DE RENUNCIATIONE.

5. DUPLEX RENUNCIATIO; QUALIS TACITA.—4. QUALIS EXPRESSA EST?—5. AUCTORITAS SUPERIORIS, UT RENUNCIATIO VALEAT.—6. JUSTÆ RENUNCIATIONIS CAUSÆ.—7. DISCRIMEN INTER RENUNCIATIONEM LOCO TANTUM, AC RENUNCIATIONEM LOCO, ET DIGNITATI.—8. BENEFICIA CORAM QUO DIMITTANTUR?—9. RENUNCIATIO PURA, AN SUB CONDITIONE.—10. QUÆ IN RENUNCIATIONIBUS OBSERVANDA?—11. RENUNCIATIO FIT ETIAM PER PROCURATOREM.

3.

Renunciatio, quæ et resignatio dicitur (a), defini potest, ecclesiastici magistratus, et beneficii ex auctoritate superioris sponte, ac legitime facta abdicatio. Ea vel tacita, vel expressa est. Tacita oritur ex facto ipso, atque à Jure inducitur, cum beneficiatus uxorem ducit (1), cum Regularis Instituti professionem emittit (2), cum beneficium consequitur, quod priori repugnat, sive, ut inquirunt, *incompatibile* est (3). Tunc enim vacant beneficia, quæ simul cum nuptiis, cum Regulari instituto, cum altero incompatibili beneficio stare non possunt.

(1) Cap. 1 et 5 de cleric. conjug.

(2) Cap. 4 de Regular. in 6.

(3) Cap. 28 de Præben.

(a) *Proprie tamen *renunciatio* simplex beneficii dimisio, *resignatio* tamen conditionata, appellantur.*

4. Expressa est, quæ fit verbis dimittendi animum declarantibus, sive ea ore sint prolata, sive comprehensa literis conceptis forma, quæ à jure præscribitur. De his expressis renunciationibus agendum nobis est, quæ olim non probatæ sacris canonibus, in more esse cœperunt, potissimum Alexandro III. Pontifice, justis allatis causis (1).

(1) Cap. 20 de Renunc.

5. Magistratibus, et beneficiis se abdicare cuivis licet, etiam

17. Irregularitates quædam perpetuæ sunt, quædam temporariæ, et hæc quidem statim desinunt, sublata causa, unde procedunt. Ita qui caret idonea scientia, ætate, libertate, cum liber est factus, cum ætatem, et scientiam adeptus est, recte ordinibus initiatur. Perpetuæ irregularitates, quas induxit Jus Ecclesiasticum, tolluntur venia Sedis Apostolicæ; verum in homicidio voluntario venia dari non solet, neque ei locus est, cum quis animi, aut corporis vitio non est aptus omnino ad suscipiendos ordines, atque ad obeunda munera, quæ eorum propria sunt. In occultis criminibus solvit lege etiam Episcopus, excepto homicidio voluntario (1).

(1) Conc. Trident. sess. 24 cap. 6 de Reform.

(N. S. In Hispania Generalis S. Cruciatæ Commissarius dispensare potest in quibuslibet Irregularitatibus, iis exceptis, quæ contractæ sunt ex homicidio voluntario, Simonia, Apostasia à Fide, Hæresi, aut prava Ordinum susceptione; ut ex Bulla S. Cruciatæ, ut vocant, constat.) *Similiter Apost. in istis Regnis Nuntio quasdam irregularitates tollendi facultas conceditur; ut ex Brevi inserto leg. 4, tit. 4, lib. 2 Novis. Compilat. apparet.*

TITULUS VIII.

QUIBUS MODIS POTESTAS JURISDICTIONIS, ET ECCLESIASTICA BENEFICIA AMITTUNTUR.

1 ET 2. POTESTAS JURISDICTIONIS, ET ECCLESIASTICA BENEFICIA VEL PÆNÆ CAUSA, VEL VOLUNTATE NOSTRA AMITTUNTUR.

1.

Amittunt sæpe clerici ecclesiastica beneficia, et amittunt jurisdictionem, quam acceperunt. Ordinis potestas semper in iis fixa hæret, uti hæret in animo character, qui semel impressus deleri non potest, licet interdum aliquis hujus potestatis usu prohibeatur. Verum potestas jurisdictionis, quæ tota pendet ex imperio in subditos, plane tollitur, et extinguitur, cum quis non amplius habet subditos, in quos illam exerceat.

2. Simili modo etiam ecclesiastica beneficia amittuntur. Cum enim ea consistant in jure percipiendi fructus honorum ecclesiasticorum, in officio, in honoris gradu, in jurisdictione, facile intelligitur, hæc omnia tolli posse; iis vero sublatis beneficia amittuntur necesse est. Duobus autem modis beneficia, et potestatem jurisdictionis amittimus, voluntate nostra, hoc est

per renunciationem, translationem, permutationem, atque extra voluntatem nostram, ac pænæ causa, scilicet per depositionem, aut degradationem.

SECTIO I.

DE RENUNCIATIONE.

5. DUPLEX RENUNCIATIO; QUALIS TACITA.—4. QUALIS EXPRESSA EST?—5. AUCTORITAS SUPERIORIS, UT RENUNCIATIO VALEAT.—6. JUSTÆ RENUNCIATIONIS CAUSÆ.—7. DISCRIMEN INTER RENUNCIATIONEM LOCO TANTUM, AC RENUNCIATIONEM LOCO, ET DIGNITATI.—8. BENEFICIA CORAM QUO DIMITTANTUR?—9. RENUNCIATIO PURA, AG SUB CONDITIONE.—10. QUÆ IN RENUNCIATIONIBUS OBSERVANDA?—11. RENUNCIATIO FIT ETIAM PER PROCURATOREM.

3.

Renunciatio, quæ et resignatio dicitur (a), defini potest, ecclesiastici magistratus, et beneficii ex auctoritate superioris sponte, ac legitime facta abdicatio. Ea vel tacita, vel expressa est. Tacita oritur ex facto ipso, atque à Jure inducitur, cum beneficiatus uxorem ducit (1), cum Regularis Instituti professionem emittit (2), cum beneficium consequitur, quod priori repugnat, sive, ut inquirunt, *incompatibile* est (3). Tunc enim vacant beneficia, quæ simul cum nuptiis, cum Regulari instituto, cum altero incompatibili beneficio stare non possunt.

(1) Cap. 1 et 5 de cleric. conjug.

(2) Cap. 4 de Regular. in 6.

(3) Cap. 28 de Præben.

(a) *Proprie tamen *renunciatio* simplex beneficii dimisio, *resignatio* tamen conditionata, appellantur.*

4. Expressa est, quæ fit verbis dimittendi animum declarantibus, sive ea ore sint prolata, sive comprehensa literis conceptis forma, quæ à jure præscribitur. De his expressis renunciationibus agendum nobis est, quæ olim non probatæ sacris canonibus, in more esse cœperunt, potissimum Alexandro III. Pontifice, justis allatis causis (1).

(1) Cap. 20 de Renunc.

5. Magistratibus, et beneficiis se abdicare cuivis licet, etiam

Pontificatu Maximo, uti Cælestinus V declaravit suo exemplo, et constitutione, quam probavit Bonifacius VIII. (1). Sed tamen vires non habet renunciatio, neque quis abdicatione sua beneficium amittit, nisi se abdicet auctore eo, à quo illud obtinuit, excepto Summo Pontifice, qui supra se ex hominibus habet neminem. Hinc Episcopi recte haud renunciant, nisi renunciatio Sedi Apostolicæ probata fuerit (2), ac nisi justas habeant renunciandi causas.

- (1) *Cap. 1 de Renunc. in 6.*
- (2) *Cap. 2 §. sicut de Translat., cap. 1 et tot. tit. de Renunc. Antiquitus Episcopi apud Provinciæ Synod. renunciabant.**

6. Causæ sunt imbecillitas corporis; imperitia; conscientia criminis; personæ irregularitas; perversitas plebis; gravis offensus, sive scandalum (1).

(1) Omnes has causas enumerat, atque explicat diligenter Innocentius III in *cap. 10 de Renunc.*, unde illa tracta sunt carmina:

*Debilis, ignarus, male conscius, irregularis,
Quem mala plebs odit, dans scandala, cedere possit.*

En quomodo allatas renuntiationis causas exponit Cl. Selvagus, *Inst. Can. lib. 1, tit. 20 §. 15:*

1. *Justæ renuntiationis causæ sex enumerantur. 1 Conscientia criminis.* Prioribus Ecclesiæ sæculis quodcumque grave delictum sufficiens abdicationis causa erat. Quare Potamius, Episcopus Braecarensis, quum se carnali quodam crimine pollisset, oblato in Synodo Toletana libello, admissum facinus confessus, sese Episcopatu abdicavit: *Acta Concil. Tolet. X Decret. pro Potamio.* Porro jure *Decretalium* non nisi crimine, cui irregularitas illigata sit, adigitur Episcopus ad se munere suo exspoliandum.

2. *Debilis corporis, vel ex infirmitate, vel ex senectute.* Hac de causa in Concilio Pamphylia congregati Patres, renuntiationem admissere Eustathii, ejusdem Pamphylia Metropolitani: *Epist. Syn. Ephes. ad Syn. Pamphylia.*

3. *Defectus scientiæ, quæ in Episcopo oppido est necessaria; verum licet Episcopo eminenti opus sit scientia, mediocris tamen satis habetur, præsertim ubi charitatis perfectione suppletur.*

4. *Malitia plebis, quæ eo veniat, ut Episcopum commisso sibi gregi regendo reddat inhabilem, præsertim si plus vice simplici animorum dissidentium reconciliatio tentata, perfici numquam potuerit; quo nomine Martyrius Ecclesiam Antiochenam dereliquit his verbis: Clero rebelli, populo inobedienti, Ecclesiæ contaminatæ nuntium remitto, reservata mihi Sacerdotii dignitate:* Theodorus Lector *Lib. 1,* et Nicephorus Calixtus *Lib. 15, cap. 13.*

5. *Grave occasione Episcopi obortum scandalum, quod alias reparare nequeat. Eam ob causam Nazianzenus Sedem Constantinopolitanam ultro dimisit.*

6. Denique *Irregularitas personæ:* at vero irregularitas ob defectum natalium, justa renuntiationis causa non est; hoc enim casu, quum culpa lateat, injuncta congrua penitentia, facile venia datur.

Quinimmo suo munere renuntiantibus Episcopis, etiam antiquitus nonnumquam ex dimissi Episcopatus redditibus ad vitam sustentandam canonica pensio indulta: *Conc. Chalced. Actio. 10* in causa Domni Antiocheni, qui Ecclesiasticæ pacis causa, Antiochenam Ecclesiam libenter dimisit: *Dignemini et statuere ei certus sumplus de Ecclesia, quæ sub me est: ita Maximus, qui Domino succedebat. Universa Synodus vociferata est: Omnes cogitatum ejus laudamus.* Notanda omnino hæc Chalcedonensis Synodi sententia: inde enim primæva pensionum Ecclesiasticarum origo simul, et ratio hauritur.*

7. Episcopus interdum loco tantum renunciat, interdum loco, et dignitati. Qui loco tantum renunciavit, honorem retinet, et dignitatem episcopalem, licet jurisdictionem exercere non possit, quoniam nullos amplius habet subditos; sed rogatus ab alio Episcopo, recte exequitur in ejus diocesi, quæ sunt ordinis episcopalis. Qui loco simul, et dignitate se abdicavit, quamquam retineat ordinis characterem, qui deleri non potest, nihil tamen agere potest eorum, quæ ejus ordinis propria sunt (1).

(1) *Cap. 1 de Ordin. ab Episcop. qui renunc.*

8. Prælati Episcopo inferiores, qui sacrum habent imperium, et Sedi Apostolicæ immediate subjiciuntur, opus habent venia Summi Pontificis, qui eis copiam renunciandi faciat (1). Dignitates, Canonicatus, Parochiæ, et cetera beneficia, quorum collatio ad Episcopum pertinet, coram eo dimittuntur. Curandum tamen est, ut intra unum mensem renunciatio rata habeatur, et simul ab Episcopo beneficii collatio fiat; nam nisi eo temporis spatio totum illud negotium expediatur, ad Summum Pontificem jus conferendi transfertur (2).

(1) *Cap. ult. de Renunc.*

(2) *Gregorius XIII. Const. Humano vix judicio 155 §. 7 et 8 pag. 41 tom. 4 par. 4 Bullarii.*

9. Beneficio renunciamus aut pure, ac sine ulla reservatione, aut sub conditione, hoc est cum nobis, aut aliis certam ex beneficio pensionem quovis anno servamus. Hujusmodi renuntiationes his obstrictæ legibus, et conditionibus, fieri nequeunt coram Episcopo, sed Pontificiam auctoritatem postulant (1).

(1) *S. Pius V. Constit. Quanta 89 tom. 4 par. 5 pag. 10 Bullar. ubi late*

tatuitur, quæ ab Episcopis resignationes admitti debeant, et Episcopi ipsi resignata beneficia aut suis, aut resignantium consanguineis, vel affinibus conferre prohibentur. De his resignationibus, quæ reservata pensione fiunt, est etiam in primis observatu digna Constitutio, *In sublimi* 30. Benedicti XIV pag. 43 tom. 1 ejus Bullarii ed. Romæ 1754, edita adversus resignationes, quæ fiunt reservata pensione, et arcano pacto eam extinguendi per certam vim pecuniæ, quæ resignanti persolvitur. Hæ autem reservationes, extinctionesque pensionum irritæ declarantur; præterea statuitur, ne intra sex menses à capta beneficii possessione pensiones deleri possint.

(N. S. A conceptis in certæ personæ gratiam renuntiationibus, mirum quantum veteres Patres abhorruerint. Ad rem Origines *Homil. 22 in Leviticum*: Propinquis, agrorum et prædiorum relinquatur hæreditas: gubernatio populi illi tradatur, quem Deus elegerit. Concilium quoque Antiochenum *cap. 23* sic decernit: Episcopo non licere pro se alterum successorem sibi constituere, licet ad exitum vitæ perveniat. Quod si tale aliquid factum fuerit, irritum esse hujusmodi, est constitutum. Idem et alia antiqua concilia sancitis canonibus decrevere; præsertim Tolet. IV. *can. 19*, ubi inter eos, qui ad Sacerdotium, ex regulis canonum, promoveri non debent, et illi enumerantur, qui à decessoribus in Sacerdotium eliguntur.

Nihil tamen prohibet, quominus Episcopus sese Episcopatu abdicans, aut morti proximus, legitimis Superioribus proponat, qui sibi magis ad relictum à se munus suscipiendum, idoneus videatur. In quo veterum Episcoporum vestigiis insistet, qui ut tumultibus solitis in electionibus concitari, irent obviam, ipsi sibi successorem deligebant, quem adhuc viventes eligi curabant.)

40. Multa vero in his renuntiationibus, quæ alterius commodo emittuntur, observanda sunt, ut eæ vim, atque exitum obtineant. Præcipua sunt, ut qui beneficium resignavit, non debeat infra viginti dies post actam renuntiationem (1); ut si beneficium sit jurispatronatus, patronus assentiatur; ut beneficium non sit litigiosum, quia tunc tantum in alterum litigantem conferri potest, neque item sit conjunctum, vel unitum, etiam antequam unio exitum consequatur (2); denique ut beneficiorum Episcopatu inferiorum resignatio publicetur intra certum tempus, certisque in Ecclesiis, cum populus magno numero ad eas confluit, secundum formam, quæ à Gregorio XIII. constituta est (3).

(1) Regula 19. Cancellariæ, quæ de viginti inscribitur.

(2) Conc. Trident. *sess. 21 cap. 5, et sess. 23 cap. 18 de Reform.*

(3) Gregorius XIII. *Constit. Humano vix judicio* 155 tom. 4 par. 4 pag.

41. Bullar. Quam constitutionem confirmavit, atque ad omnes avertendas fraudes explicavit Benedictus XIV in *Constit. Ecclesiastica* 10 pag. 37 tom. 2 ejus Bullarii.

In Hispania, post Concordatum an. 1755, nec Prælaturarum renuntiatio, nec resignatio minorum beneficiorum, quæ Regiæ nominationis sunt, absque Majestatis Sux adsensu in effectum perducitur valet; ut ex Brevi Bene-

dicti XIV, in ipsius Conventionis declarationem lato, legg. item 1 et 6 tit. 22 lib. 1 *Novis. Compilat.*, apparet. Quod ad simplicem tamen ipsorum beneficiorum renuntiationem spectat, illa, ex jure communi, apud nos ab Ordinariis expeditur. Præbendarum, beneficiorum, et officiorum eccles., quorum obtentores, à Rege nominati, possessionem adhuc non ceperunt, apud ipsum Gubernium, per Gratia ac Justitiæ Administrum, abque Prælati ullius interventus, dimissio fit.*

41. Renunciamus tam per nosmetipsos, quam per procuratorem, sive clericum, sive laicum, sive unum, sive plures; modo literis consignetur peculiare mandatam, quo facultas resignandi, et beneficii demonstratio contineatur (1). Facta, et probata renuntiatione, frustra renunciantem pœnitet eorum, quæ gessit (2); cum omne amiserit jus in beneficio, quo se abdicavit, et quod non nisi nova electione, aut collatione recuperare potest (3).

(1) *Clem. unic. de Renunc.*

(2) *Cap. 3 de Renunc.*

(3) *Cap. 2 eod.*

V. André, *Diction. Jur. Can.* Edit. Matrit., verbo *Regreso*.

SECTIO II.

DE TRANSLATIONE.

12. TRANSLATIONIS DEFINITIO.—13. TRANSLATIONES SINE JUSTA CAUSA VETITÆ.—14. EPISCOPORUM TRANSLATIONES SINE AUCTORITATE SUMMI PONTIFICIS FIERI NEQUEUNT.—15. JUSTÆ TRANSLATIONIS CAUSÆ.

12. Translatio est modus alter, quo voluntate nostra beneficium amittimus. Definitur: ecclesiastici Magistratus de una in aliam Ecclesiam facta mutatio.

13. Episcoporum translationes, quasi spirituale adulterium, improbant antiqui canones (1); sed hoc ita intelligendum est, nisi justa adsit causa: et ita statutum fuit in Synodo Romana habita ab Joanne IX., in qua vindicata est memoria Formosi Pontificis, qui rejecto Episcopatu Portuensi, Romanum acceperat. Neque enim desunt exempla Episcoporum pietate, et doctrina præstantium, qui ob utilitatem, aut necessitatem Ecclesiæ Episcopatum mutarunt, et in ipsa Nicæna Synodo Eustathius Buxæ Episcopus ad Sedem Antiochenam translatus est (2).

(1) Conc. Nicænum *can. 15 col. 59 tom. 2*, Antiochenum *can. 21 col. 594 cit. tom. 2*, Sardicense *can. 1 et 2 col. 658, et sequen.* apud Labbæum *tom. 2 mox relato ed. Venet.*, et alia permulta concilia, quorum canones ex parte refert Gratianus *in caus. 7 quest. 1*. Apposite S. Hieronymus *ep. 69 ad Oceanum num. 5 col. 415 tom. 1 opp. ed. Veronæ 1754: Et hoc*, inquit, *in Nicæna Synodo à Patribus decretum, ne de alia in aliam Ecclesiam Episcopus transferatur, ne virginis pauperculæ societate contempla, di-tioris adulteræ quærat amplexus.*

(2) Vide Pagium *critic. in Baronium ad an. 524 n. 26 tom. 4 pag. 78 ed. Lucæ 1729*. Similiter S. Gregorius Nazianzenus, relicto Episcopatu, quem pridem habebat, Theodosio M. Imperatore, ad Constantinopolitanum, et alii etiam Episcopi ad alias Ecclesias translati sunt. Ex quibus intelligitur, Episcoporum translationes, quæ justam habebant causam, permissas fuisse.

44. Episcopi nonnisi Summi Pontificis auctoritate ad aliam Sedem transferuntur (1). Et adeo quidem pendet à Pontificis potestate translatio, ut si quis, eo ignaro, mutet Ecclesiam, non novam modo, sed etiam veterem, quam regebat, amittat (2); et si Pontifex Episcopum ad majorem Ecclesiam transferri per-misserit, ad parem, aut ad minorem transire non possit (3).

(1) *Cap. 2 de Translat. Episc.*

(2) *Cap. 5 de Translat. Episc.*

(3) *Cap. 4 eod.*

(N. S. In Hispania complura habemus translationum exempla. Martinus, Episcopus Dumiensis, ad Sedem Bracarensem translatus est: In *Conc. Tolet. X Decret. pro Potamio*: Fructuosus, Episcopus quoque Dumiensis, ad eamdem Bracarensem translatus est: In *Tolet. XVI Can. 12*, Hispalensis in Toletanam, Bracarensis in Hispalensem, et Portucalensis in Bracarensem translatus est. Igitur illa veterum canonum interdictione ambitiosæ dumtaxat Episcoporum translationes vetabantur, haud vero quæ causa necessitatis, vel utilitatis Ecclesiæ fierent. Ad rem Pelagius II: Non mutat sedem, qui non mutat mentem, id est, qui non causa avaritiæ, aut dominationis, aut propriæ voluntatis, vel sure delectationis migrat de civitate in civitatem, sed causa necessitatis, vel utilitatis mutatur. Non ergo intelligunt ecclesiasticas regulas, qui hoc negant causa necessitatis, vel utilitatis fieri posse. *Can. 55 Caus. 7 Quest. 1*. Ad hæc Syn. Carthag. *IV Can. 27*: Episcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non transeat, nec quisquam inferioris ordinis Clericus. Sane si id utilitas Ecclesiæ faciendum poposcerit, decreto pro eo Clericorum, et laicorum Episcopis porrecto, in præsentia Synodi transferatur.... inferioris vero gradus Sacerdotes, vel alii clerici, concessione suorum Episcoporum possunt ad alias Ecclesias transmigrare.

Ex hoc Carthag. canone bina eruuntur veteris disciplinæ capita: 1 Apud Africanos Episcoporum translationes, earundemque causas fuisse in Synodo Provinciæ examinandas, ac probandas. Idem juris apud Orientales quoque obtinebat; uti ex Concil. Antiochen. *Can. 25* colligere est. Verum procedente tempore Patriarchæ jus translationum usu suum fecere: Socrates *lib. 5 cap. 8, et Lib. 7, cap. 56*; donec tandem Rom. Pontifici reservaretur: *Cap. 1 de Translatione*, et Alphonsus Sapiens *Lege 5 Tit. 5 Partit. 1*. Porro hujusce Pontificiæ reservationis jam iude ab V Ecclesiæ sæculo, quædam ini-

tia repetunt; Socrates enim, modo indicatis locis, translationibus Perigenis è Patrensi oppido in Corinthi Metropolim, et Procli à Cizico in Constantino-politanam sedem, R. Pontificis auctoritatem intervenisse scribit.

Alterum, quod ex Carthag. canone efficitur, illud est, nimirum inferiorum Prælatorum translationes facilius admittendas, quippe quod inter Ecclesias, et Clericos Episcopis inferiores tanta necessitudo non est, quanta inter Episcopos, et Ecclesias, quibus spirituali quodam conjugii fœdere arctissime copulantur, haud secus ac ipsemet Christus cum Ecclesia; in quod *Magnum Sacramentum*, dixit Apostolus: *Ad Ephesios 5 v. 52*. Igitur inferiores illi Antistites, ubi proprii Episcopi accedebat auctoritas, relictis suis Ecclesiis, ad alias recte migrabant. At contra invito proprio Episcopo, ad aliam transire Ecclesiam Clericis omnino vetitum: Concilia *Nicænum Can. 16*, Antiochenum *Can. 5*, et Tolet. *I Can. 12*, Tolet. *II Can. 2*, Hispalens. *II Can. 5*, et Tolet. *XIII Can. 11*.)

In Hispania Regis, qua Patroni nominatoris, adsensus pro Episcoporum translationibus requiritur. Lex 11 tit. 17 lib. 1 *Novis. Compilat.* conditiones exponit pro translationibus ad Archiepiscopatus et Episcopatus Nationis præcipuos exigendas. Lex 12 tit. 18 ejus. lib. præcipit, ut solummodo Episcopi ad alias Sedes transferendi proponantur, si id suadere appareat necessitatem vel evidentem Ecclesiæ utilitatem.

45. Transferitur Episcopus vel utilitatis causa, si alterius Ecclesiæ regimini utilior habeatur (1); vel necessitatis, si ipse populo in odium acerbissimum venerit, si infestum ejus loci ærem ferre non possit, si præsens Ecclesia ab hostibus eversa sit (2). Minorum beneficiorum Rectores transfert Episcopus, cujus in loco ea sita sunt, factaque translatione vacat beneficium; cum Sacri Canones aliquem pluribus Ecclesiis adscribi velent: qua de re alius erit agendi locus.

(1) *Can. 54 c. 7 q. 1.*

(2) *Can. 42 et 44 c. 7 q. 1.*

In Hispania quoque apud Reg. auctoritatem, vi universalis Jurispatronatus, de beneficiorum permutatione agendum est. Tit. 18 lib. 1 *Novis. Compilat.* nota 17 hæc de re habemus. Por acuerdo de la Cámara de 27 de mayo de 1758 se mandó no admitir en la Secretaría memoriales sobre permutas, y que los pretendientes hagan estas instancias por la vía reservada; y si de ella se pasasen á la Cámara, se tenga presente por punto general, que en los informes que se pidan á los Ordinarios se les diga que informen, no solo sobre el memorial de los pretendientes, sino tambien de sus edades, y de si hay ó no parentesco entre ellos, y utilidad para las respectivas Iglesias; el valor de las piezas que solicitan permutar, y todo lo demás que se debe atender segun derecho en la admision de permutas; y que hecho, se pasen todas al Fiscal.

SECTIO III.

DE PERMUTATIONE.

16. PERMUTATIONIS DEFINITIO.—17. QUID IN PERMUTATIONE OBSERVANDUM?—18. QUÆ BENEFICIA RECTE PERMUTENTUR?

16.

Renunciatio, et translationi affinis est permutatio, quæ definitur: mutua beneficiorum dimissio, seu resignatio, ut alter alterius dimittentis beneficium consequatur. Episcopatus sine auctoritate Summi Pontificis, cetera beneficia sine venia Episcopi, cujus in diœcesi sunt, permutari non possunt (1). Qui secus fecit, sententia Judicis beneficium amittit (2).

(1) *Cap. 5 de Rer. permut., et cap. unic. eod. tit. in 6; Clementina unic. quoque de Rer. permut.*

(2) *Cap. 7 de Rer. permut.*

17. Episcopi esse debet, antequam permutationem fieri sinat, cognoscere causas, propter quas petitur; videre, ne qua fraus lateat (1); exigere consensum eorum, qui jus habent conferendi, eligendi, præsentandi; curare, ut permutatio publice fiat, eaque servantur, quæ Gregoriana constitutione præscribuntur (2).

(1) Confer Benedictum XIV *de Synod. Diœces. lib. 15 cap. 24 num. 8 et seq.*, qui plura habet, quæ ad permutationes beneficiorum pertinent. Quærit autem, num etiam permutationes comprehendantur *cit. Const. Quanta* 30 S. Pii V, per quam Episcopi resignata beneficia suis, aut resignantium consanguineis, et affinibus conferre prohibentur, et eas comprehendi negat, modo fraus omnis ab his permutationibus procul absit.

(2) *Cit. constit. Humano vix judicio*, Gregorii XIII.

18. Dum spirituale cum temporali non permutetur, omnia beneficia permutari possunt (1), etiam curata cum simplicibus; exceptis beneficiis unitis, quæ scilicet cedere debent in incrementum alterius Ecclesiæ; reservatis Summo Pontifici, cujus consensu opus est, ut eorum permutatio recte expediatur; denique litigiosis (2).

(1) *Cap. 9 de Rer. permut.*

(2) Vide Pirhing *lib. 3 tit. 49 §. 4 per tot.*

SECTIO IV.

DE DEPOSITIONE, ET DEGRADATIONE.

19. QUID DEGRADATIO SIT?—20. SIMPLEX DEPOSITIO DIFFERT À DEGRADATIONE.—21. DEGRADATIO VERBALIS, ET REALIS.—22. QUIDUS PRÆSENTIBUS DEGRADATIO FIAT?—23. QUÆ SINT CRIMINA, QUÆ LOCUM DEGRADATIONI FACIUNT?

19.

Pœnæ causa ecclesiastica beneficia, et potestatem jurisdictionis amittimus per depositionem, et degradationem. Exemplo militaris exaurationis, quæ, detracto cingulo, quod erat insignie militiæ, absolvebatur, etiam Ecclesia suorum militum, hoc est clericorum exaurationem induxit, quam degradationem vocamus, et in qua clerico à summo ad infimum singulorum ordinum insignia detrahuntur (1). Nullum olim inter depositionem, atque degradationem discrimen fuisse videtur (2); sed hodie magnum inter utramque discrimen est (3).

(1) Vetus est mos detrahendi insignia, quæ ordinis propria sunt, cum quis deponitur. Adversus Iræneum Episcopum Nestorio addictum constitutum est, ut *ornatuque et nomine sacerdotii penitus exulus, privatus in patrio tantum solo vivere permetteretur*, ut scribit Baronius *ad an. 448 n. 6 tom. 7 pag. 616 ed. Lucæ*. Paulum Alexandriae Episcopum per ablationem pallii depositum, narrat Liberatus *in Brev. cap. 23 pag. 161 ed. Paris. 1675*. Similia de depositione Ignatii Patriarchæ Constantinopolitani, ex Nicetæ testimonio describit Baronius *ad an. 381 num. 7 pag. 555 tom. 14*. Qui in conciliis deponerentur Episcopi, ut impii, ut scelerati, per clamores probris afficiebantur. Socrates *Hist. eccles. lib. 1 cap. 24 pag. 58 ed. Cantabrig. 1720*. Confer Du-Cangium *Glossar. med. et infim. latin.*

(2) Hinc Theologi, et Canonistæ complures degradationem cum depositione confundunt; quod quidem secundum veterem Ecclesiæ disciplinam dici vere, recteque potest, secundum disciplinam recentiorum non potest, uti observat Du-Cangium *Glossar. med. et infim. latin. verb. Degradatio*. Nunc enim depositio à degradatione distinguitur. Jam vero non una, atque eadem erat degradationis ratio. Nam interdum clerici omnino degradabantur, hoc est, omnibus privabantur juribus, et privilegiis clericorum, et prorsus laici habebantur. Interdum ex parte tantum degradabantur, quod pluribus modis fieri solebat. Quidam enim sui ordinis honorem, et dignitatem retinebant, sed ejus munera exercere prohibebantur. Quæ pœna à Concilio Ancyrano *Can. 1 et 2 col. 271 tom. 1 collect. Harduini ed. Paris.* constituta est adversus Presbyteros, et Diaconos, qui in idolatriam lapsi novo certamine confessores evaserant, et Concilio Nicæno *Can. 8 col. 526 tom. 1 ejusd. collection.*, adversus Episcopos Novatianos, qui ad catholicam com-

SECTIO III.

DE PERMUTATIONE.

16. PERMUTATIONIS DEFINITIO.—17. QUID IN PERMUTATIONE OBSERVANDUM?—18. QUÆ BENEFICIA RECTE PERMUTENTUR?

16.

Renunciatio, et translationi affinis est permutatio, quæ definitur: mutua beneficiorum dimissio, seu resignatio, ut alter alterius dimittentis beneficium consequatur. Episcopatus sine auctoritate Summi Pontificis, cetera beneficia sine venia Episcopi, cujus in diœcesi sunt, permutari non possunt (1). Qui secus fecit, sententia Judicis beneficium amittit (2).

(1) *Cap. 5 de Rer. permut., et cap. unic. eod. tit. in 6; Clementina unic. quoque de Rer. permut.*

(2) *Cap. 7 de Rer. permut.*

17. Episcopi esse debet, antequam permutationem fieri sinat, cognoscere causas, propter quas petitur; videre, ne qua fraus lateat (1); exigere consensum eorum, qui jus habent conferendi, eligendi, præsentandi; curare, ut permutatio publice tur, eaque servantur, quæ Gregoriana constitutione præscribuntur (2).

(1) Confer Benedictum XIV *de Synod. Diœces. lib. 15 cap. 24 num. 8 et seq.*, qui plura habet, quæ ad permutationes beneficiorum pertinent. Quærit autem, num etiam permutationes comprehendantur *cit. Const. Quanta* 30 S. Pii V, per quam Episcopi resignata beneficia suis, aut resignantium consanguineis, et affinibus conferre prohibentur, et eas comprehendi negat, modo fraus omnis ab his permutationibus procul absit.

(2) *Cit. constit. Humano vix judicio, Gregorii XIII.*

18. Dum spirituale cum temporali non permutetur, omnia beneficia permutari possunt (1), etiam curata cum simplicibus; exceptis beneficiis unitis, quæ scilicet cedere debent in incrementum alterius Ecclesiæ; reservatis Summo Pontifici, cujus consensu opus est, ut eorum permutatio recte expediatur; denique litigiosis (2).

(1) *Cap. 9 de Rer. permut.*

(2) Vide Pirhing *lib. 3 tit. 49 §. 4 per tot.*

SECTIO IV.

DE DEPOSITIONE, ET DEGRADATIONE.

19. QUID DEGRADATIO SIT?—20. SIMPLEX DEPOSITIO DIFFERT À DEGRADATIONE.—21. DEGRADATIO VERBALIS, ET REALIS.—22. QUIDUS PRÆSENTIBUS DEGRADATIO FIAT?—23. QUÆ SINT CRIMINA, QUÆ LOCUM DEGRADATIONI FACIUNT?

19.

Pœnæ causa ecclesiastica beneficia, et potestatem jurisdictionis amittimus per depositionem, et degradationem. Exemplo militaris exaurationis, quæ, detracto cingulo, quod erat insignie militiæ, absolvebatur, etiam Ecclesia suorum militum, hoc est clericorum exaurationem induxit, quam degradationem vocamus, et in qua clerico à summo ad infimum singulorum ordinum insignia detrahuntur (1). Nullum olim inter depositionem, atque degradationem discrimen fuisse videtur (2); sed hodie magnum inter utramque discrimen est (3).

(1) Vetus est mos detrahendi insignia, quæ ordinis propria sunt, cum quis deponitur. Adversus Iræneum Episcopum Nestorio addictum constitutum est, ut *ornatuque et nomine sacerdotii penitus exulus, privatus in patrio tantum solo vivere permitteretur*, ut scribit Baronius *ad an. 448 n. 6 tom. 7 pag. 616 ed. Lucæ*. Paulum Alexandriae Episcopum per ablationem pallii depositum, narrat Liberatus *in Brev. cap. 23 pag. 161 ed. Paris. 1675*. Similia de depositione Ignatii Patriarchæ Constantinopolitani, ex Nicetæ testimonio describit Baronius *ad an. 381 num. 7 pag. 555 tom. 14*. Qui in conciliis deponerentur Episcopi, ut impii, ut scelerati, per clamores probris afficiebantur. Socrates *Hist. eccles. lib. 1 cap. 24 pag. 58 ed. Cantabrig. 1720*. Confer Du-Cangium *Glossar. med. et infim. latin.*

(2) Hinc Theologi, et Canonistæ complures degradationem cum depositione confundunt; quod quidem secundum veterem Ecclesiæ disciplinam dici vere, recteque potest, secundum disciplinam recentiore non potest, uti observat Du-Cangium *Glossar. med. et infim. latin. verb. Degradatio*. Nunc enim depositio à degradatione distinguitur. Jam vero non una, atque eadem erat degradationis ratio. Nam interdum clerici omnino degradabantur, hoc est, omnibus privabantur juribus, et privilegiis clericorum, et prorsus laici habebantur. Interdum ex parte tantum degradabantur, quod pluribus modis fieri solebat. Quidam enim sui ordinis honorem, et dignitatem retinebant, sed ejus munera exercere prohibebantur. Quæ pœna à Concilio Ancyrano *Can. 1 et 2 col. 271 tom. 1 collect. Harduini ed. Paris.* constituta est adversus Presbyteros, et Diaconos, qui in idolatriam lapsi novo certamine confessores evaserant, et Concilio Nicæno *Can. 8 col. 526 tom. 1 ejusd. collection.*, adversus Episcopos Novatianos, qui ad catholicam com-

munionem redierant, quibus permissus est honos Episcopi, sed ipsi tamen ad ordinem Presbyterorum redacti sunt; denique à Concilio Agathensi c. 1 l. 2 col. 998. Eandemque pœnam memorat Socrates lib. 1 cap. 9 p. 27, Socrumenus lib. 1 c. 24 p. 42 ed. Cantabrig. 1720, Basilius Ep. 199 ad Amphilocho. c. 27 p. 294 opp. t. 5. ed. Paris. 1750. Quidam ex gradu, quem habebant, ad inferiorem deiciebantur. Concilium Neocæsareense Can. 10 tom. 1 col. 285. Diaconum impudicum ad ordinem Subdiaconorum detrudi iussit, et Concilium Toletanum I. Can. 4 tom. 1 col. 990 collect. indic. subdiaconum, qui defuncta uxore aliam acceperat, ostiarii, vel lectoris gradum obtinere voluit. Interdum clericis quædam tantum sui ordinis munera adimebantur, cetera autem relinquiebantur, uti patet ex Concilio Neocæsareensi Can. 9 col. 285, et Carthaginensi IV. Can. 68 col. 983 d. tom. 1, et interdum etiam alium inter clericos sui ordinis sedere cogebantur, quæ pœna erat eorum, quos ambitio, atque arrogantia rapiebat. Conc. Trullanum Can. 7 tom. 5 col. 1665. Conc. Nicœnum II. Can. 5 tom. 4 col. 490; atque hanc pœnam etiam inter monachos in regulis SS. Pachomii, et Benedicti obtinuisse constat ex regula Pachomii art. 161 apud Holstenium Cod. Reg. tom. 1 pag. 54, et Benedicti c. 45 pag. 128 edit. August. 1759. Clerici ex parte degradati proprie *regradati* dicebantur, et eorum mentio est in Concilio Toletano I. Can. 4 loc. cit. Aurelianensi III., Can. 27 tom. 2 col. 1428. Matisconensi I. Can. 10 et 19 tom. 3 col. 454 collect. cit. Regradationis vocabulum sumptum est ex re militari, L. 2 Cod. Teodos. de curs. publ., atque erat rejectio militis in inferiorem militiam. Qui omnino degradabantur, si proprie degradari, et omnino deponi, et omnino de proprio gradu dejecti, et deordinari, et ab ordine cleri amoveri, et à clero cessare, et ad laicam communionem redigi dicebantur. Concilium Carthaginense IV. Can. 48, 49, 50 tom. 1 col. 982., Antiochenum Can. 5 col. 595, Ephesinum Can. 6 col. 1625, Arelatense I. Can. 15 col. 265, Nicœnum Can. 2 col. 522, Tarracoenense Can. 10 col. 1042 tom. 4 collect. Harduini. De clerico, qui ad laicam communionem redigebatur, Synodus Agathensis Can. 50 tom. 2 col. 1004 laudatæ collect. habet hæc: *ab officii honore depositus, in monasterium detrudatur, et ibi, quamdiu vixerit, laicam tantummodo communionem accipiat.* Erat autem laica communio genus pœnæ, qua plectebantur clerici degradati, et qua ipsi in conditionem laicorum redigebantur, quod patet ex Concilio Aurelianensi III. Can. 7 et 8 l. 2 col. 1425 collect. Harduini, ex Martino Bracarense collect. Can. 26 apud Justellum Biblioth. Jur. Can. t. 1 in append. p. 20 ed. Paris. ex Gratiano Can. 52 dist. 60, et Can. 15 dist. 55. Ita sentiunt Petrus de Marca in Dissert. select. Interpr. c. clericus q. 4 num. 16 apud Baluzium ad Dialog. Anton. August. de Emen. Gratian., Du-Cangius in Glossar. verb. *communio laica*, Rigaltius in Cyprian. Ep. 52 p. 69 ed. Paris. 1666, Albaspinus Observ. l. 4 c. 4 per tot., Card. Bona Rer. liturgic. lib. 2 c. 19 §. 3 tom. 5 pag. 416 ed. August. Taurin. 1745., Graveson, Hist. Eccles. IV sæcul. colloq. 6, Bellot, Observ. ad rit. Eccles. Laudun. pag. 659. Franc. de Berlendis de Oblation. comm. §. 5 noviss. edit. pag. 77 et seq. Neque vera esse potest opinio Bellarmini de Euchar. lib. 4 cap. 24 opp. tom. 3 pag. 357. ed. Venet. 1721, putantis, laicam communionem fuisse communionem sub una panis specie, cum certum sit, olim laicos sub utraque specie Eucharistiam accepisse. Similiter Lindanus Panopl. lib. 4 cap. 58, Durant. de Rit. Eccles. lib. 2 cap. 55 num. 6 Vossius Thes. Theolog. disp. 25 th. 5. Pithœus Glossar. ad lib. capitul. verb. *communio peregrina* apud Baluzium Capitular. Reg. Franc. tom. 2 pag. 494 edit. Venet. 1775, qui laicam communionem explicant com-

munionem, quam laici extra sanctuarium accipiebant, non satis clare ejus vim, naturamque declarant. Erat et id proprium laicæ communionis, ut clerici ad eam redacti extra sanctuarium una cum laicis Eucharistiam acciperent; verum in isto solum nequaquam posita erant omnia. Nam si laicæ communionis vocabulum tantum æstimemus ex loco, quo Eucharistia dabatur, etiam Presbyteri ægrotantes, cum ad eos in lecto decumbentes Eucharistia deferretur, laicam communionem accepisse viderentur. Eandem hanc pœnam memorat Canon. 15. Apostolorum apud Cotelierum PP. Apostol. tom. 1 pag. 444, ubi Presbyter, atque Diaconus, qui ab Episcopo vocatus ad suam Ecclesiam redire noluerit, *tamquam laicus communicare* jubetur; et S. Gregorius apud Gratianum Can. 10 dist. 59, ubi agitur de clerico criminoso damnato *ad recipiendam inter laicos communionem.* Hinc aliquem laicæ etiam communionem privare idem erat ac excommunicare, sacrisque interdicere, et degradare. Quare S. Athanasius Histor. Arianor. ad Monach. c. 28 pag. 284 opp. tom. 1 par. 1 Putavii 1777, de Leontio primum Presbytero, mox et Episcopo Antiocheno, homine Ariano inquit: *Leontius ille castratus, qui ne laici quidem nomine ad communionem admittendus erat, quod se ipse castrasset, ut libere cum quadam Eustolia dormiret, revera quidem ejus muliere, virgine autem dicta.* Quemadmodum vero clerici per laicam communionem redigebantur ad conditionem laicorum, ita per communionem peregrinam censebantur jure clericorum peregrinorum, qui sine literis formati vagabantur, et qui suorum ordinum numeribus fungi non poterant. Alebantur hi quidem Ecclesiæ sumptibus, uti scriptum est Canonè 26 Apostolorum apud Cotelierum PP. Apost. to. 1 pag. 446 laudatæ edit., sed neque ad communionem admittebantur, neque ordinum munera exercere poterant, eo fere modo, quo nunc extraneis, et ignotis sacerdotibus non permittitur rem divinam conficere, nisi literas suæ ordinationis ostendant. Quare ut laicæ communionis pœna omnis in eo erat posita, ut clerici non amplius clerici, sed laici haberentur, ita pœna communionis peregrinæ in eo consistebat, ut clerici non peregrini eodem, quo clerici peregrini, jure censerentur. Uno verbo *peregrina communio* non plena erat, et perfecta dejectio, qualis erat *communio laica*, sed temporaria segregatio Clericorum, qui post actam pœnitentiam, quæ privata esse debuit, quia publica pœnitentia spem nullam restitutionis dabat, gradum suum repetebant. Ita Albaspinus observ. l. 4 c. 5. Sirmondus in Hist. public. pœnit. c. ult., quorum sententiam refert, laudatque Card. Bona Rer. Liturgic. lib. 2 cap. 19 §. 6 pag. 421 ed. Taurin., Petavins Not. in Symesii epist. 67. cap. 5 pag. 78 ed. Paris. 1655, de Marca Dissert. in cap. clericus ad calcem Baluzii de emend. Gratian. pag. 569. edit. Paris. 1681, Schelestrat. Not. in Conc. Antioch. pag. 597 can. 7 cap. 12 art. 5, Bencinus in Dissert. 1 de Liter. encyclic. §. 20 num. 11 et seq. pag. 501, 504, 508, quibus etiam assentitur Josephus Binghamus Origin. Ecclesiast. lib. 7 cap. 5. §. 7 t. 8 pag. 17 ed. Hale Magdeb. 1760, ita, inquam, explicant, communionem peregrinam, licet alii minus probabiliter eam alio modo explicandam putent. Nam Binius Not. in Conc. Ilerdense c. 757 l. 5 conc. Labhæi ed. Venet. Bellarminus loc. cit., Gratiani Glossator in Can. 11 c. 15 q. 2 inter laicam, et peregrinam communionem nullum discrimen fuisse arbitrantur, quod revera maximum erat, cum clerici ad peregrinam communionem redacti post actam pœnitentiam gradum suum, et munera recuperarent, sed clericis in laicam communionem conjectis nulla ordinaria spes esset restitutionis. Idem Gratiani Glossator loc. cit. peregrinam communionem intelligi posse existimat communionem, quam homo in exitu vitæ suscipit, *cum recedit,*

vel peregrinatur de hoc mundo. Verum vita, non mors peregrinatio est, et Concilium Agathense *Can. 2 tom. 2 col. 998 col. Harduini* diserte statuit, quod hi clerici post actam pœnitentiam *gradum suum dignitatemque suscipiant*: ex quo intelligitur, pœnam hanc fuisse clericorum, quos Synodus bene sanos habebat, adeo ut suum gradum, et dignitatem recuperare possent. Nullo demum antiquitatis monumento nituntur opiniones Gabrielis Henao de *Sacrific. Missæ par. 5 disp. 28 §. 49*, qui peregrinam communionem fuisse putat peregrinationes sive perpetuas, sive temporarias, quas clerici criminosi pœnæ causa suscipere cogebantur; et Gregorii Cassandri de *Commun. sub utraque specie pag. 1029*, atque aliorum, qui communionem peregrinam interpretantur oblationem Eucharistiæ, quæ extra statos dies peregrinorum causa fiebat. Memorat hanc pœnam Concilium Regense *can. 5 tom. 1 col. 1749*, Agathense *can. 2 et 5 col. 998 tom. 2 collect. Harduini edit. Paris.*; et Canon 54. Apostolorum apud Cotelerium *PP. Apostol. tom. 1 pag. 446 ac Conc. Carthaginense I. can. 7 tom. 1 col. 668 collect. Harduini* præsertim explicant, quo jure peregrini vacantes sine Episcopi literis censerentur.

* *Peregrinæ quæque communionis vox sonat Concil. I Herdens. an. 524. can. 16.*

(3) Discrimen hoc agnovit Cælestinus III in *cap. 10 de Judic.*

20. Simplex depositio clericum perpetuo quidem arcet aut ab exercitio ordinum susceptorum, aut ab officio, usuque ecclesiasticæ jurisdictionis, aut à beneficio, aut denique ab ordinis exercitio simul, et officio, et beneficio, sed non ei fori, et canonis privilegium adimit, ideoque ipse, ut antea, subest ecclesiastico imperio, non laico subicitur. At vero degradatio non tantum clericum perpetuo privat ecclesiastico ministerio, officio, beneficio, sed eum etiam obnoxium facit laicæ potestati, à qua post degradationem judicatur, atque in carceres detruditur, ut laicorum more sustineat pœnas, quæ sunt ejus scelere à jure constitutæ.

(N. S. Depositio verbalis sic proprie dicta *Depositio*, ea est, per quam Canonica sententia Clerico omnes publicæ Ecclesiasticæ functiones perpetuo interdiciuntur, quas ordinis prærogativa exercere posset; tum et omni Ecclesiastica jurisdictione, beneficiis, honoribus prorsus eximit, ac laicorum census adensetur. Hujusmodi pœnam ab ipsa Syn. Illiberit. inflictam videmus *Can. 55: Placuit*, ut Clericus continentiam non servans, *ab honore Clericatus exterminetur*; et à Tolet. I *Can. 5*, quæ sanxit, ut Clericus ad quotidianum Ecclesiæ officium non veniens, *Clericus non habeatur*.

Hæc eadem Depositio, si ritus quidam, ac ceremoniæ, quibus Clericus depositus publice ornatu clericali exspoliatur, comitentur, proprio vocabulo *Degradatio* dicitur, cujus origo recte adscribi posse videtur Concilio Tolitano IV, ubi *Can. 23*, alias 27 sic decernitur: *Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, si à gradu suo injuste dejectus, in secunda Synodo innocens reperiatur, non potest esse quod fuerat, nisi gradus amissos recipiat coram altario de manu Episcoporum. Si Episcopus est, orarium, bacu-*

lum, et annulum: si Presbyter, orarium, et plaietam; si Diaconus, orarium, et albam etc.

Antiquitus vocabula Depositionis, et Degradationis videntur promiscua notatione fuisse usurpata; ac ritus, qui postea alicubi adhiberi cœperunt, fortasse pœnæ *essentiam* non spectabant. At jure Decretalium haud parum discriminis inter utramque interjectum est. Clericus enim *simpliciter* depositus privilegia Canonis, et Fori non amittit, quibus tamen omnino privatur Clericus degradatus: Glossa in *Caput 2 de Pœnis in 6.*)

21. Duplicem degradationem distinguit Bonifacius VIII (1), *verbalem*, quæ etiam *depositio* dicitur, et *realem*, sive *actualem*, quæ proprie *degradatio* appellatur. *Verbalis* est ipsa sententia, per quam Judex Ecclesiasticus clericum de gradu dimovet, et laico foro addicit; *realis* autem est tristis ipse actus, seu funesta cæremonia, qua Episcopus clerico, contra quem est lata degradationis sententia, detrahit insignia ordinum singulorum, eumque sæculari curiæ puniendum tradit (2), adjunctis tamen precibus, ut quam mitissime tractetur. Tum vero clericus omnia amittit ordinis privilegia, et quamquam ejus relineat potestatem, quæ tolli non potest, eam tamen exercere nequit, amittit item omnia ecclesiastica officia, beneficia, jurisdictionem, et pœna plectitur, quam criminis sociam laicus judex putat.

(1) *Cap. 2 de Pœnis in 6.*

(2) De clerico, qui Curia traditur, mentio fit in *L. 59 Cod. Theod. Episc. et Cler., in L. 55 §. 1 eod. tit. Cod. Justinian., et in Novell. 125 cap. 14*. Ex his locis evidens est, clericum Curia tradi consuevisse, ut e adscriberetur, atque ut *in posterum Curia ministraret*, ut loquitur Justinianus in *cit. Leg. 55 §. 1*, non autem ut puniretur. Eodem modo rem explicat falsa decretalis, quam Fabiano Isidorus adscribit, quæque extat in *can. 51 cap. 11 g. 1*. Verum antiquitatis ignoratio fecit, ut hæc formula longe aliter intelligeretur, atque apud Canonistas aliquem tradere Curia sæculari idem esset ac puniendum dare. Serius tamen inducta est solennis illa clerici degradati traditio judici sæulari, quæ nunc adhibetur, quæque in eo est posita, ut gravius criminis reus pœna coerceatur; ac mihi quidem persuasum est, eam antiquiorem non esse Innocentio III, qui eandem diserte constituit in *cap. 8 de Crimin. falsi*. Regula erat Ecclesiæ quod clericus, qui ab ecclesiastico iudice propter crimen gradu motus fuerat, non aliam deinceps à sæculari Magistratu pœnam toleraret, ne duplex irrogaretur pœna, secundum Canonem Apostolicum apud Gratianum *can. 12 dist. 81*. Quæ regula proposita est in controversiis de ecclesiastica immunitate, quæ ortæ sunt Alexandro III, Pontifice, quasque sustinuit S. Thomas Cantuariensis, uti narrat vetus scriptor apud Baronium *ad an. 1664 num. 56 pag. 252 et Pagium in not. n. 2 pag. 218 tom. 19. ed. Luc.* Eandemque ipse Alexander III, *cap. 4 de Judic.* Salernitano Episcopo proposuit: *sed non debet quemlibet depositum pro suis excessibus (cum suo sit functus officio, nec duplici debeat ipsum contritione conterere) judici tradere sæulari*. Nichilominus minus Alexandri successor Lucius III, ut graviori pœna persequere-

retur hæreses, quæ tunc late grasabantur, longe aliud constituit in clericos, qui in hæresim lapsi fuerant, *cap. 9 §. presenti de Hæret. : si clericus, inquit, est, vel cujuslibet religionis obumbratione fuscatus, totius ecclesiastici ordinis prærogativa nudetur: et sic omni officio, et beneficio spoliatus ecclesiastico, sæcularis relinquatur arbitrio potestatis, animadversione debita puniendus.* Atque hæc prima, meo quidem iudicio, ecclesiastica lex est, qua clericus degradatus arbitrio relinquatur sæcularis Magistratus, et pœna afficiatur; et in hæc ipsa Lucii constitutione animadvertendum est, quod clericus non traditur Curie, sed tantum relinquatur sæculari arbitrio potestatis. Qua in re, nihil ipsa agit Ecclesia; tantum impedimento non est, quominus sæcularis Magistratus in hunc clericum animadvertere possit. Urbanus III, qui post Lucium Pontificatu maximo functus est, in *cap. 5 de Crimin. falsi clericos, qui falsaverant sigillum Regis Francorum,* ab Episcopo plecti voluit pœna, modo per eam neque mors inferretur, neque membrum aliquod amputaretur; jussitque præterea, ut iisdem degradatis in signum maleficii characterem aliquem imprimi faceret; verum eos sæculari Curie puniendos tradi noluit. Clemens III, sive ut alii putant, Cælestinus III in *Cap. 10 de Judic. clericum in furto, homicidio, perjuri, aliove crimine deprehensum deponi voluit, tum excommunicari, si incorrigibilis fuerit, deinde contumacia crescente, anathematis mucrone feriri, postremo, si in profundum, inquit, malorum veniens contempserit, cum Ecclesia non habeat ultra quid faciat, ne possit esse ultra perditio plurimorum, per sæcularem comprimendus est potestatem.* Ex quibus manifestum est, laicos in clericos eriminosos nullam exercere jurisdictionem potuisse, etiam posteaquam hi depositi ab Episcopo fuerant; nam si post depositionem adhuc in criminibus versari pergant, primum excommunicantur, deinceps anathematis mucrone feriuntur; tantum cum in profundum malorum venerint, et Ecclesia non habeat ultra quid faciat, tum demum per sæcularem potestatem comprimuntur. Itaque usque ad exitum sæculi XII, qua quidem ætate Pontificatum tenuerunt Alexander, Lucius, Urbanus, Clemens, Cælestinus, nullum exemplum est Clerici degradati, qui sæculari Magistratui puniendus tradatur. Tantum Lucius clericum in hæresim lapsum sæcularis potestatis arbitrio relinquit, sed non eum Ecclesia tradit, ut pœna afficiatur. Similiter Clemens, seu Cælestinus clericum eriminosum deponi jubet, deinceps excommunicari, et anathematis mucrone feriri, postremo eum comprimi vult à Magistratu sæculari, sed non eam præscribit solemnem traditionem, quæ nunc degradationem sequitur. Primum, uti dixi, monumentum clericus degradati, qui sæculari judicis traditur, est in *c. 8 de Crimin. fals.* Nam Innocentius III, ut severius animadverteret in clericos, qui falsi crimen commiserant, sancivit, ut in omnibus officiis, et beneficiis perpetuo sint privati, ita quod qui per se falsitatis vitium exercuerint, postquam per Ecclesiasticum judicem fuerint degradati, sæculari potestati tradantur, secundum constitutiones legitimas puniendi. Constitutionem hanc ipse Innocentius clarius explicavit in *cap. 27 de Verb. signific.*, ut dirimeret controversias, quæ de recta ejus interpretatione ortæ fuerant. Atque ita factum est, ut deinceps clerici propter graviora crimina degradati sæculari Curie traderentur, et clericum Curie tradere idem haberetur, ac dare puniendum sæculari potestati. Quæ nunc nobis eorum vocabulorum significatio est, quamquam olim, uti supra demonstravimus, longe aliud iis verbis intelligeretur. Formam autem, quæ adhibetur in reali degradatione Clerici, describit Bonifacius VIII. in *vit. cap. 2 de Pœnis in 6.* et Pontificale Romanum *par. 3 tit. 7 et seq. pag. 158 et seq. ed. Romæ 1740.*

22. Olim Episcopi degradatio postulabat duodecim Episcopos, qui præsentibus essent, Presbyteri sex, Diaconi tres (1); sed hodie criminales causæ Episcoporum, quæ depositione sunt, aut privatione dignæ, ab uno Romano Pontifice noscendæ, finiendæque sunt (2). Reliqui autem clerici de gradu deiciuntur ab Episcopo, ad consilium accitis Episcoporum loco totidem Abbatibus usum mitræ, atque baculi habentibus, sive aliis in Ecclesiastica Dignitate constitutis, qui et sint ætate graves, et Juris scientia commendentur (3). Minores autem clerici sola Episcopi sententia degradantur.

(1) *Can. 4. 5. 6. 7. cap. 15 q. 7.*

(2) *Concil. Trident. Sess. 24 cap. 5 de Reform.*

(3) *Concil. Trident. Sess. 15 cap. 4 de Reform.*

N. S. Quod hic Synodus Tridentina Juris scientiam requirat, antiqui Ecclesiastici juris umbra quædam est. Antiquitus enim Episcopi, non tantum ad sollemnitatem, meramque exsequendam cæremoniam advocabantur, sed etiam, ac præcipue ad causæ discussionem, uti patet ex *Can. 10 Concil. Carthag. II: Si quis Episcopus (quod non optamus) in reatum aliquem incurrit, et fuerit nimia necessitas non posse plurimos congregare, ne in crimine remaneat, à 12 Episcopis audiatur, et Presbyter à 6 Episcopis cum proprio suo Episcopo audiatur, et Diaconus à tribus.*

Apud nos Episcopus, ex Reg. Decret. 17 Oct. 1855, postquam ad se transmissum sit authenticum exemplar sententiæ exsequendæ clericum ut atrocis criminis reum damnantis, ad ejus degradationem intra sex dies devenire tenetur.

23. Degradatio gravissimum pœnæ genus est, et ideo non infligitur ex omnibus criminibus, sed tantum ex gravioribus, quorum causa reus sæculari curiæ puniendus traditur. Hujusmodi sunt crimen hæresis, et apostasiæ cum pertinacia (1); falsationis literarum Apostolicarum (2); assassiniæ, ut vocant (3); aversæ veneris plus semel exercitæ (4); sollicitationis ad turpia in sacramentali confessione (5); celebratæ missæ, audiatæque confessionis sine ordine sacerdotali (6); patrati abortus (7); falsæ, aut viliatæ monetæ aureæ, vel argenteæ (8); furti sacrilegi Sanctissimæ Eucharistiæ, sive cum sacra pyxide, sive sine illa quis sacram Hostiam surripiat, et apud se relineat, aut alio transferat (9).

(1) *Cap. 9 et 15 de Hæret. cap. 1 et 4 cod. in 6 Paulus IV. Constit. Cum quorundam 5 tom. 4 par. 1 pag. 522. et Clemens VIII. Const. Domini gregis 298 tom. 5 par. 5 pag. 1 Bullar. ed. cit., quibus duabus Constitutionibus speciatim degradationis pœna plectuntur negantes mysterium*

Sanctissimæ Trinitatis, vel Christum Dominum sola Spiritus Sancti opera conceptum, vel ejus mortem, vel semper integram Deiparæ virginitatem.

(2) *Cap. 1 de Crimin. falsi. cap. 27 de Verb. signific.*

(5) *Cap. 1 de Homicid. in 6.*

(4) S. Pius V. *Constit. Horrendum* 95 tom. 4 par. 5 pag. 55 *Bullarii d. ed.*

(5) Pius IV. *Constit. Cum sicut* 57 tom. 4 par. 2 pag. 77, Gregorius XV *Const. Universi* 75 tom. 5 par. 5 pag. 54 *Bullar. ed. Mainar. cit.*, Benedictus XIV. *Const. Sacramentum* 20 tom. 1 pag. 50 *ejus Bullarii ed. Romæ 1754.*

(6) Clemens VIII. *Constit. Etsi alias* 260 tom. 5 par. 2 pag. 595 Urbanus VIII. *Constit. Apostolatus* 259 tom. 6 par. 1 pag. 115 *ed. cit.* Benedictus XIV. *Constit. Sacerdos in æternum* 97. pag. 208 tom. 1 *ejus Bullarii.* Cum autem usu fori vigeret opinio damnandi ad triremes, aut ad carcerem perpetuum illos, qui in carceres coniecti statim crimen suum confitebantur, Benedictus XIV. hoc beneficio frui vetuit illos, qui crimen aperiunt carceribus detenti, et coram Judice constituti, ne Curie sæculari tradantur, uti patet *ex Const. Divinarum* 71 pag. 552 tom. 4.

(7) Sixtus V. *Constit. Effrenatam* 154 tom. 5 par. 1 pag. 25. Sed cum Sixtus sua hac constitutione animati, et non animati partus abortum eodem jure censeret, Gregorius XIV. *Constit. Sedes Apostolica* 20 tom. 5 par. 1 pag. 275. Sixtinam illam legem tantum ad abortum partus animati pertinere voluit.

(8) Urbanus VIII. *Constit. In suprema* 249 tom. 6 par. 1 pag. 95, qua constitutione comprehenduntur omnes, qui in Italiæ dumtaxat provinciis aureas, vel argenteas monetas tondere, fabricare, colorare, vel alias adulterare, seu etiam quomodolibet adulteratas scienter erogare, aut exponere præsumpserint. Atque hanc degradationis pœnam ab Urbano indictam Benedictus XIV. *Constit. Ad curam* 65 pag. 310 tom. 4 *ejus Bullar.* ampliavit ad eos, qui idem falsi crimen admittunt in syngraphis, vulgo *cedole*, Sac. Montis Pietatis Urbis, aut mensæ nummariæ S. Spiritus, quique eo in crimine suam dolose operam præstant.

(9) Alexander VIII. *Const. Cum alias* 57 tom. 9 p. 97, qua confirmata est vetustior constitutio Innocentii XI, et utramque postea confirmavit Benedictus XIV. *Const. Ab augustissimo* 95 pag. 190 tom. 1 *ejus Bullar.* Inter graviora crimina, propter quæ clericus degradationis pœnam pendere debet, quidam recensent etiam contumeliam gravem, vel calumniam adversus Episcopum, vel conspiracyonem in ejus necem Scriptum id quidem est in *can. 18 c. 11 q. 1.* ex sententia S. Pii Pontificis; sed hic canon eductus est ex falsis Decretalibus Isidori Mercatoris. Eo vero excepto canone, cujus nulla certa fides, et auctoritas est, alius non extat Juris Pontificii locus, quo adversus reum hujus criminis degradationis pœna constituitur. Quidam etiam maleficium, seu sortilegium, cujus causa mors hominum evenerit, degradationem secum ferre arbitrantur, idque se colligere posse censent *ex Constitutione Omnipotentis Dei* 101. Gregorii XV. tom. 5 par. 5 pag. 97; verum hæc constitutio nullum de clericorum degradatione verbum habet, uti observat Cardinalis Albitius *de Inconstan. in fid. part. 1 cap. 52 n. 150.* Quidam denique etiam polygamiam degradationis pœna puniendam existimant, cum quis videlicet simulato nomine, viva uxore sua, aliam ducit: quoniam hujus criminis reos sæculari Curie tradi jussit Urbanus VIII. *in const. Magnum* 557 tom. 6 par. 2 pag. 407. Sed hæc Constitutio non pertinet ad clericos, neque ulla degradationis mentio in ea est. Sola igitur crimina speciatim expressa

degradationis pœna plectuntur; cetera graviora eidem pœnæ subjeci possunt, cum eorum rei plane emendari nequeunt, et postquam alias gradatim sustinuerunt pœnas, per quas moniti respiscere, et aliud sequi vitæ institutum possent; quæ communis est sententia omnium, qui hanc materiam scriptis illustrarunt.

TITULUS IX.

DE MONACHIS, ET REGULARIBUS.

1. ASCETÆ A MONACHIS DIVERSI.—2 ET 3. MONACHORUM ORIGO.—4. MONACHI ORIENTALES, ET OCCIDENTALES.—5 ET 6. QUÆ INITIO, QUÆ TRACTU TEMPORIS FUERIT MONACHORUM REGULA?—7. CANONICI REGULARES; DOMINICANI, FRANCISCANI.—8. RELIQUI ORDINES REGULARES DEINCEPS INSTITUTI.—9. MONACHI INITIO LAICI ERANT.—10. PRIVILEGIA, ET JURA REGULARIUM.—11 ET 12. EORUM REGULA.—13. PROFESSIO REGULÆ TACITA, VEL EXPRESSA.—14. VIS PROFESSIONIS.—15. QUEMADMODUM ADVERSUS IRRITAM PROFESSIONEM RECLAMARE LICEAT.—16. RENUNCIATIONES ANTE PROFESSIONEM FACIENDÆ.—17 ET 18. MONIALES, ET EARUM CLAUSURA.—19 ET 20. MONIALIUM REGIMEN EPISCOPO COMMISSUM.—21. VIRGINES SACRÆ MONIALIUM ANTIQUIORES.—22 ET 23. VIDUÆ ECCLESIASTICÆ, ET DIACONISSÆ.

1.

Hactenus de clericis, quos sæculares dicimus; nunc agemus de Regularibus, qui nimirum, solemnibus emissis votis, Regulari institutum amplexi sunt. Fuere semper inter Christianos, qui durius quoddam, et asperius vitæ genus sequerentur, vacantes jejuniis, precibus, et meditationi rerum divinarum. Hi ab hac exercitatione dicti sunt *Ascetæ*, quos semper habuit Ecclesia (1), et qui cum Monachis confundi non debent.

(1) *Ascetæ* nomen tractum est a græco quodam verbo, quod *exercitationem* significat. Quisquis durioribus abstinentiæ, ac virtutis regulis sese exercebat, *Asceta* dicebatur. Quare *Asceta* erat, qui se a carnibus, et vino abstinebat, ut corpus vexaret: Origenes. *contr. Cels. lib. 5. n. 49 opp. tom. 1 pag. 615 ed. Paris. 1755.* Canon Apostol. 43 apud Cotelierium *PP. Apost. tom. 1 pag. 449 ed. Amstelædani 1724;* qui in Divino cultu, atque in assiduis precibus tempus impendebat: et hinc Cyrillus Hierosolymitanus *catech. 40 num. 49 pag. 146 ed. Paris. 1720,* Annam Prophetissam *ascetiam* vocat, quia durioribus agebat vitam, voluntariam amplexa paupertatem, et caduca despiciens, et hinc Hieronymus *de Vir. illustr. c. 76 opp. tom. 2 col. 902 ed. Veronæ 1754,* Pierium *ascetam, et appetitorem paupertatis* dicit; et Athanasius, si vere est auctor *Synopseos Scripturæ n. 77 tom. 2 opp. pag. 456 ed. Palavii 1777,* Lucianum martyrem *magnum ascetam* appellat, propter duritiem, cui sese in carcere adsuefecerat. Quidam ex his ascetis duos, tresve dies jejuni agebant, nihil prorsus cibi sumentes, et horum exempla sunt præsertim in Irenæo apud Eusebium *lib. 6 cap. 24 pag. 256 ed. Cantabrig. 1720,* Dyonisio Alexandrino *ep. ad Basilidem Episc. apud Bevereg. Pand.*

Sanctissimæ Trinitatis, vel Christum Dominum sola Spiritus Sancti opera conceptum, vel ejus mortem, vel semper integram Deiparæ virginitatem.

(2) *Cap. 1 de Crimin. falsi. cap. 27 de Verb. signific.*

(5) *Cap. 1 de Homicid. in 6.*

(4) S. Pius V. *Constit. Horrendum* 95 tom. 4 par. 5 pag. 55 *Bullarii d. ed.*

(5) Pius IV. *Constit. Cum sicut* 57 tom. 4 par. 2 pag. 77, Gregorius XV *Const. Universi* 75 tom. 5 par. 5 pag. 54 *Bullar. ed. Mainar. cit.*, Benedictus XIV. *Const. Sacramentum* 20 tom. 1 pag. 50 *ejus Bullarii ed. Romæ 1754.*

(6) Clemens VIII. *Constit. Etsi alias* 260 tom. 5 par. 2 pag. 595 Urbanus VIII. *Constit. Apostolatus* 259 tom. 6 par. 1 pag. 115 *ed. cit.*, Benedictus XIV. *Constit. Sacerdos in æternum* 97. pag. 208 tom. 1 *ejus Bullarii.* Cum autem usu fori vigeret opinio damnandi ad triremes, aut ad carcerem perpetuum illos, qui in carceres coniecti statim crimen suum confitebantur, Benedictus XIV. hoc beneficio frui vetuit illos, qui crimen aperiunt carceribus detenti, et coram Judice constituti, ne Curie sæculari tradantur, uti patet *ex Const. Divinarum* 71 pag. 552 tom. 4.

(7) Sixtus V. *Constit. Effrenatam* 154 tom. 5 par. 1 pag. 25. Sed cum Sixtus sua hac constitutione animati, et non animati partus abortum eodem jure censeret, Gregorius XIV. *Constit. Sedes Apostolica* 20 tom. 5 par. 1 pag. 275. Sixtinam illam legem tantum ad abortum partus animati pertinere voluit.

(8) Urbanus VIII. *Constit. In suprema* 249 tom. 6 par. 1 pag. 95, qua constitutione comprehenduntur omnes, qui in Italiæ dumtaxat provinciis aureas, vel argenteas monetas tondere, fabricare, colorare, vel alias adulterare, seu etiam quomodolibet adulteratas scienter erogare, aut exponere præsumpserint. Atque hanc degradationis pœnam ab Urbano indictam Benedictus XIV. *Constit. Ad curam* 65 pag. 310 tom. 4 *ejus Bullar.* ampliavit ad eos, qui idem falsi crimen admittunt in sygraphis, vulgo *cedole*, Sac. Montis Pietatis Urbis, aut mensæ nummarie S. Spiritus, quique eo in crimine suam dolose operam præstant.

(9) Alexander VIII. *Const. Cum alias* 57 tom. 9 p. 97, qua confirmata est vetustior constitutio Innocentii XI, et utramque postea confirmavit Benedictus XIV. *Const. Ab augustissimo* 95 pag. 190 tom. 1 *ejus Bullar.* Inter graviora crimina, propter quæ clericus degradationis pœnam pendere debet, quidam recensent etiam contumeliam gravem, vel calumniam adversus Episcopum, vel conspiracyonem in ejus necem. Scriptum id quidem est in *can. 18 c. 11 q. 1.* ex sententia S. Pii Pontificis; sed hic canon eductus est ex falsis Decretalibus Isidori Mercatoris. Eo vero excepto canone, cujus nulla certa fides, et auctoritas est, alius non extat Juris Pontificii locus, quo adversus reum hujus criminis degradationis pœna constituitur. Quidam etiam maleficium, seu sortilegium, cujus causa mors hominum evenerit, degradationem secum ferre arbitrantur, idque se colligere posse censent *ex Constitutione Omnipotentis Dei* 101. Gregorii XV. tom. 5 par. 5 pag. 97; verum hæc constitutio nullum de clericorum degradatione verbum habet, uti observat Cardinalis Albitius *de Inconstan. in fid. part. 1 cap. 52 n. 150.* Quidam denique etiam polygamiam degradationis pœna puniendam existimant, cum quis videlicet simulato nomine, viva uxore sua, aliam ducit: quoniam hujus criminis reos sæculari Curie tradi jussit Urbanus VIII. *in const. Magnum* 557 tom. 6 par. 2 pag. 407. Sed hæc Constitutio non pertinet ad clericos, neque ulla degradationis mentio in ea est. Sola igitur crimina speciatim expressa

degradationis pœna plectuntur; cetera graviora eidem pœnæ subjeci possunt, cum eorum rei plane emendari nequeunt, et postquam alias gradatim sustinuerunt pœnas, per quas moniti respiscere, et aliud sequi vitæ institutum possent; quæ communis est sententia omnium, qui hanc materiam scriptis illustrarunt.

TITULUS IX.

DE MONACHIS, ET REGULARIBUS.

1. ASCETÆ A MONACHIS DIVERSI.—2 ET 3. MONACHORUM ORIGO.—4. MONACHI ORIENTALES, ET OCCIDENTALES.—5 ET 6. QUÆ INITIO, QUÆ TRACTU TEMPORIS FUERIT MONACHORUM REGULA?—7. CANONICI REGULARES; DOMINICANI, FRANCISCANI.—8. RELIQUI ORDINES REGULARES DEINCEPS INSTITUTI.—9. MONACHI INITIO LAICI ERANT.—10. PRIVILEGIA, ET JURA REGULARIUM.—11 ET 12. EORUM REGULA.—13. PROFESSIO REGULÆ TACITA, VEL EXPRESSA.—14. VIS PROFESSIONIS.—15. QUEMADMODUM ADVERSUS IRRITAM PROFESSIONEM RECLAMARE LICEAT.—16. RENUNCIATIONES ANTE PROFESSIONEM FACIENDÆ.—17 ET 18. MONIALES, ET EARUM CLAUSURA.—19 ET 20. MONIALIUM REGIMEN EPISCOPO COMMISSUM.—21. VIRGINES SACRÆ MONIALIUM ANTIQUIORES.—22 ET 23. VIDUÆ ECCLESIASTICÆ, ET DIACONISSÆ.

1.

Hactenus de clericis, quos sæculares dicimus; nunc agemus de Regularibus, qui nimirum, solemnibus emissis votis, Regulari institutum amplexi sunt. Fuere semper inter Christianos, qui durius quoddam, et asperius vitæ genus sequerentur, vacantes jejuniis, precibus, et meditationi rerum divinarum. Hi ab hac exercitatione dicti sunt *Ascetæ*, quos semper habuit Ecclesia (1), et qui cum Monachis confundi non debent.

(1) *Ascetæ* nomen tractum est a græco quodam verbo, quod *exercitationem* significat. Quisquis durioribus abstinentiæ, ac virtutis regulis sese exercebat, *Asceta* dicebatur. Quare *Asceta* erat, qui se a carnibus, et vino abstinebat, ut corpus vexaret: Origenes. *contr. Cels. lib. 5. n. 49 opp. tom. 1 pag. 615 ed. Paris. 1755.* Canon Apostol. 43 apud Cotelierium *PP. Apost. tom. 1 pag. 449 ed. Amstelædani 1724;* qui in Divino cultu, atque in assiduis precibus tempus impendebat: et hinc Cyrillus Hierosolymitanus *catech. 40 num. 49 pag. 146 ed. Paris. 1720,* Annam Prophetissam *ascetiam* vocat, quia durioribus agebat vitam, voluntariam amplexa paupertatem, et caduca despiciens, et hinc Hieronymus *de Vir. illustr. c. 76 opp. tom. 2 col. 902 ed. Veronæ 1754,* Pierium *ascetam, et appetitorem paupertatis* dicit; et Athanasius, si vere est auctor *Synopseos Scripturæ n. 77 tom. 2 opp. pag. 456 ed. Palavii 1777,* Lucianum martyrem *magnum ascetam* appellat, propter duritiem, cui sese in carcere adsuefecerat. Quidam ex his ascetis duos, tresve dies jejuni agebant, nihil prorsus cibi sumentes, et horum exempla sunt præsertim in Irenæo apud Eusebium *lib. 6 cap. 24 pag. 256 ed. Cantabrig. 1720,* Dyonisio Alexandrino *ep. ad Basilidem Episc. apud Bevereg. Pand.*

can. tom. 2 pag. 3 Oxonii 1672, et Epiphanius *Advers. hæres. in exposit. fid. n. 22 tom. 1 opp. pag. 1104 ed. Paris. 1622.* Memorant etiam Ascetas Apostolicæ Constitutiones lib. 8 c. 15 pag. 109 apud Cotelerium *PP. Apostol. tom. 1 ed. indic.*, atque iis ad sacram mensam accedentibus locum tribuunt statim post Lectores, et Cantores; *Post hæc, inquit, sumat, et communice Episcopus; deinde Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, Lectores, Cantores, et Ascetæ.* Erat autem hoc vitæ institutum proprium et marium, et fœminarum, illi *Ascetæ*, hæc vero *Ascetriæ* dicebantur, illudque omnium ordinum hominibus libere mittebatur. Imo igitur cum Scriptores, qui tribus prioribus Ecclesiæ sæculis floruerunt, Ascetas memorant, intelligendi non sunt Monachi, qui serius institui cœperunt; sed intelligendi sunt omnium ordinum homines, qui in ipsis civitatibus, atque in media hominum societate austeram illam vitæ rationem iniverant, quod recte observarunt Valesius *Not. in Euseb. de Martyr. Palestin. cap. 11 pag. 452 ed. Cantabrig. 1720, Cotelerius Not. in const. Apostol. loc. cit. pag. 403, Pagijs critic. in Baron. an. 518 n. 24 et seq. tom. 5 pag. 645 ed. Lucæ 1758, Holstenius Præfat. ad Regul. veter. monach. cap. 1, Papebrochius com. in acta Pachonii Maii 14 tom. 5 act. Sanctor. p. 295.*

2. Serius instituti sunt Monachi, et prima eorum initia referenda ad ætatem Decii Imperatoris (1). Nam ea tempestate multi hominum, ut declinarent impetus eorum, quos ethnica superstitione in rem Christianam agebat, receperunt se in montes, atque in vicinas solitudines, ut ibi tutum haberent perfugium à vexationibus, et liberius pietati, considerationique, et contemplationi rerum Divinarum dare operam possent. Genus hoc vitæ quibusdam eorum adeo jucundum fuit, ut, etiam pace Ecclesiæ redita sæculo IV, mallent in desertis vivere, quam redire ad civitates, unde discesserant.

(1) Vide Thomassinum *Vet. et nov. Eccl. disciplin. par. 1 lib. 5 cap. 12;* ac vide etiam Baronium *ad. an. 523 tom. 4 pag. 209 ed. Lucæ;* Pagijs, Papebrochium, Holstenium *loc. cit.*

3. Primi et notissimi horum fuere Paulus, et Antonius (1). Nullæ tamen coaluerant societates hominum, qui suam ad certas regulas vitam conformarent, et nullum conditum erat Cœnobium (2); sed pauci tantum, et singulares homines, huc illuc in desertis Ægypti dispersi, vitam traducebant, donec, pacata, et tranquilla Ecclesia, Pachomius quædam in Ægypti Thebaide Monasteria ædificanda curavit (3). Ii Monachi (4) eo sunt adducti, ut communem, certisque obstrictam regulis (a) vitam agerent, quod antea non fecerant.

(1) Hieronymus, *epist. 22 ad Eustoch. cap. 56 tom. 1 col. 119 ed. Val-*

arsii Veronæ 1754, eorum alterum vitæ Anachoretarum auctorem, alterum illustratorem appellat.

(2) Cœnobium à Laura differt. Nam cœnobium est unum domicilium, quod plures comprehendit in societate viventes, et omnia habentes communia; at vero Lauræ nomine intelligimus solitudinem, in qua plures sunt divisæ omnes, ac discretæ cellæ, in quibus singuli separatim vivunt. Lauram memorant Evagrius *lib. 1 cap. 21 pag. 276 ed. Valesii Cantabrig.*, et Epiphanius *Hæres. 69 lib. 2 n. 1 pag. 727 tom. 1 opp. ed. Paris. 1622.*

(3) Illustre est testimonium auctoris vitæ S. Pachonii apud Henschenium et Papebrochium *die 14 Maii tom. 5;* nam ita S. Antonius Sacchaum S. Pachonii discipulum alloquitur: *Quo ego tempore monachum capi agere, nulum usquam extabat cœnobium... postea pater vester Pachomius, tantum bonum. Deo adjuvante, effecit.*

(4) Monachi ita sunt appellati, quia solitariam vitam agebant; nam vocabulum tractum est ex græco verbo, quod latine *solum* significat. Hinc illud Hieronymi *ep. 53 ad Paulin. cap. 5 tom. 1 col. 520 ed. Veronæ 1754: Sin autem cupis esse, quod diceris, Monachus, id est solus, quid facis in uribus et castellis, quæ utique non sunt solorum habitacula, sed multorum? Qui societatem hominum fugientes privatis in cellulis vitam traducebant, Anachoretæ, qui in cœnobio, Cœnobitæ dicti sunt. Alia multa sunt Monachorum nomina, de quibus omnibus singillatim dicere longum est, ac non necessarium.*

(a) (N. S. Hæc omnia quatuor præcipue complectebantur capita: videlicet, solitudinem, præcationes, jejunia, mechanica manuum exercitia. Hæc vendi methodus eodem sæculo IV irrepsisse videtur in Hispania; etenim Syn. Cæsaraugustana an. 531, *can. 6, anathemate percellit clericum, qui propter luxum vanitatemque præsumptam, monachum videri voluerit esse magis, quam clericum.*)

4. Pachonii exemplum aliæ in Oriente regiones imitatae sunt (1); ac denique S. Basilius monasticum institutum perfecit, deditque regulas, quibus deinceps omnes fere orientales Monachi paruerunt (2). In Occidentem instituta detulit Monachorum S. Athanasius, qui cum Romam venisset, Romanis proposuit S. Antonii vitam, ut eam sequerentur (3). Nulla deinceps in Occidente condita sunt monasteria (4): sed denique sexto sæculo S. Benedictus primum Sublaci, quod est Equorum oppidum in Latio, deinde in Monte Casino monasteria posuit, et certam constituit regulam, quam postea cuncti fere occidentales Monachi sequuti sunt (5).

(1) Hilarion, Antonii discipulus, primus fuit Monachus, qui in Syria vixit, nec ante eum ullum in Palæstina monasterium fuit, ut scribit Hieronymus *in Vit. Hilar. cap. 14 col. 19 opp. to 2 ed. Veronæ 1755. Apud Armenios, et Paphlagonas, et accolæ Ponti Eustathius, Sebastie in Armenia Episcopus, monasticæ conversationis auctor fuisse dicitur, inquit Sozomenus lib. 5 cap. 14 pag. 115 ed. Cantabrig. 1720.*

(2) Basilius non novum aliquem ordinem instituisse videtur, sed potius suis legibus perfecisse, atque ordinasse, quos jam institutos invenit. Sed cum

ipse præcipuus monastici instituti propagator fuerit, ejusque regulæ fere ubique probatæ in Oriente fuerint, vulgo habetur orientalium Monachorum pater, uti occidentalium S. Benedictus. Non desunt tamen, qui *asceticos* libros de *Virginitate, et monastica vita*, non Basilio, sed Eustathio, Sebastie in Armenia Episcopo, tribuendos putant.

(5) Marcellam, nobilem mulierem, primam Romæ monasticam vitam amplectam fuisse, atque institutam ab Athanasio, qui Romam venerat, ut Ariannorum insidias declinaret, ex viris autem primum Romæ Monachum fuisse Pammachium Senatorem, narrat Hieronymus *Ep. 66 col. 395, et Ep. 117 col. 947 tom. 1 ed. Vallarsii Veronæ*. Vide Baronium *ad an. 340 n. 7 t. 4 pag. 342 ed. Lucæ 1739*, quem perperam reprehendit Muratorius, *Antichità Italiane dissert. 65*, qui primum Mediolani monasterium à S. Martino Turonensi institutum putat, antequam ullum Romæ conderetur. Verum quidem est, quod de monasterio à Martino Mediolani condito dicitur, idque diserte testatur Severus Sulpicius, *de Vit. B. Martini num. 6 pag. 115 tom. 1 opp. edit. Veronæ 1741*, et Augustinus etiam, *Confess. lib. 3 cap. 6 opp. tom. 1 col. 150 edit. Venet. 1729*, memorat *monasterium Mediolani, plenum bonis fratribus extra urbis mœnia, sub Ambrosio nutritore*. Verum Martini suum illud monasterium constituit, posteaquam deseruerat militiam, qua functus fuerat sub Juliano Apostata, qui Imperator creatus est anno 361. Sed ante hoc tempus monasteria Romæ institui cæperunt; scilicet posteaquam ad eam urbem accessit Athanasius, quod evenit an. 340. Si verum esset, quod affirmat Ferdinandus Ughellius, *Ital. sacr. tom. 4 col. 4 edit. Venet. 1719*, ante annum 315 à Mirocle, Mediolanensium Antistite, Monasterium conditum fuisse, nullum forte in tota Italia antiquius monasterium. Ambrosius, *Ep. 65 ad Vercellen. Eccl. num. 66 opp. to. 6 pag. 213 edit. Marin Venet. 1781*, Eusebio Vercellensi Episcopo eam laudem attribuit, quod *primus in Occidentis partibus diversa inter se conjunxit, ut et in civitate positus, instituta Monachorum teneret, et Ecclesiam regebat jejuniâ sobrietate*. Verum Ambrosius nullum ab Eusebio monasterium institutum memorat; tantum dicit, eum, fretum exemplis Eliæ, Elisæi, ac Baptistæ, in suis clericis monasticam vitam cum clericali conjunctam voluisse. Martinus, qui illud Mediolani monasterium instituerat, posteaquam Turonensis Episcopus creatus est, non procul à civitate sibi monasterium constituit, uti narrat Severus Sulpicius, *in ejus vit. pag. 17 tom. 1 edit. indic.*, ejusque opera ita brevi propagatum est Monachorum institutum, ut ad ejus finis fere duo millia illorum convenisse, scribat ipse Sulpicius *Ep. ad Basillam cit. t. 1 pag. 56*.

(4) Multa hæc monasteria in Galliis, in insula Capraria, Mediolani, atque alibi memorat S. Augustinus *Confess. lib. 8 c. 6 col. 150, et de Morib. eccles. cap. 51 et seq. col. 710 tom. 1 opp. ed. Ven. 1729*, S. Ambrosius *ep. 5 num. 49 col. 800 opp. tom. 5 ed. Maurin. Ven. 1751*, Cassianus *de Instit. cænob. lib. 2 cap. 2 pag. 15 ed. Francofurti 1722*, Orosius *Histor. lib. 7 cap. 56 pag. 561 ed. Lugduni Batavor. 1738*, Sev. Sulpicius *in vit. S. Martini loc. cit.* In Africa nullum ante Augustini Episcopatum monasterium fuisse, ostendit Christianus Lupus *in Not. ad Tertullian. de Præscript. cap. 2 pag. 29 tom. 9 ed. Venet. 1728*. De Monasteriis, quæ ante S. Benedictum in Occidente erant, late disputat Mabillonius *Annal. Benedictin. lib. 1 tom. 1 num. 9 pag. 5 et 6 ed. Lucæ an. 1739*.

(5) Vide *Annales Benedictinos* à Joanne Mabillonio conscriptos. Quatuor autem S. Benedictus *Regul. Monach. c. 1* apud Holstenium *cod. Regul. tom. 1 pag. 115 ed. Augustæ Vindelic. an. 1759*, distinguit Monachorum genera, *Cænobitas, Anachoretas, Sarabaitas, et Gyrovagos*. Duo hæc posteriora

genera, tamquam Ecclesiæ dedecus, et opprobrium, vehementer improbat, ac de *Sarabaitis* eadem prorsus dicit, quæ S. Hieronymus *ep. 22 ad Eustochium cap. 54 tom. 1 opp. col. 116 ed. Veronæ 1654*, et Cassianus *Collat. PP. collat. 18 cap. 7 pag. 521 ed. Francofurti 1722*; his vero omissis, sese ad *Cænobitarum fortissimum genus* accedere declarat.

De Monachorum in Hispania origine hæc M. Villodas, *Antiquit. Eccl. Hisp. par. 1, sect. 3*: «Prioribus jam inde sæculis Monachi in Hispania extitere, qui in solitudines, desertaque recedentes se totos precum, et pœnitentiæ exercitationibus dedebant... Verum enimvero, nullum sane publica consignatum fide, nec firmum, ad probandum quatuor primis sæculis, monasteria in Hispania constructa jam conspecta fuisse, depromere, aut producere possumus argumentum. Nam tametsi Siricius P. *in Ep. ad Heumerium Tarracon.*, monasteria posuisse videatur; fieri tamen sane potuit ut crederet quod, quemadmodum Romæ monasteria erecta conspiciantur, ea in Hispania quoque extare debere, aut revera jam esse. At extitere quidem, ut supra diximus, monachi solitarii, Anachoritæ, virgines Deo consecratæ; sed tamen non in aliquam erant congregati, nec coiverant communitatem. Illi itaque, in deserta recedentes, sobriam ibidem ducebant vitam; istæ vero parentum, vel Episcopi, vel alicujus sacerdotis domibus morabantur, ut ex conc. Illiberit., in quo constitutum, ne sacerdotes alias præter sorores, aut virgines Deo sacras, mulieres secum domibus haberent, liquido perficitur. Hæc porro sententia, quam quæ à Doct. Ferreras obtruditur, probabilior nobis videtur; ille etenim mordicus tenet, monachos jam illis temporibus in Hispania et extitisse, et communem vitam in monasteriis duxisse: atque conjectura quasi divinando affirmat, potuisse in Hispaniam adduci ab immortali Osio ex Oriente, eum concilio interfuit Ariminensi.»

(N. S. Ex Oriente in Hispaniam Monachorum Regulam advexit Martinus Bracarenensis, compluraque Monasteria condidit: S. Isidorus *de Viris Illustrib. cap. 55*, inter quæ celebre fuit Damiense: Synod. Tolet. X *Aliud Decretum*. Donatus quoque, S. Columbani discipulus, ex Africa Monasticum Institutum adduxit, et Servitanum construxit Monasterium. Ex his iste Donatus prior in Hispaniam Monasticæ observantiæ usum, et regulam dicitur adduxisse: S. Isidorus *ibid. Cap. 10*. At si Mabillonio credimus, Victorianus Hispanus primus fuit, qui Monasticum Institutum in patriam induxit, et inter Pyrenæos montes, et fluvium Cinca prope Ainsam, celebre quondam oppidum, Monasterium condidit ipso sæculi VI initio. Mabillon. *Annal. Benedict. ad an. Christi 554, Cap. 28*. In hoc dein ingressi sunt Benedictini, et id nunc, quos Claustrales vocant, obtinent. Tum S. Isidorus viginti tres canones pro dirigenda Monachorum vita, ejusque frater Leander viginti unum pro instituendis Virginibus ediderunt. Postremo S. Fructuosus, Damiensis Episcopus, binas pro Monachis efformavit Regulas, ab Holstenio in Codice Regularum editas.

Quandonam advectum primo fuerit in Hispaniam S. Benedicti Institutum, non una est eruditorum opinio. Non desuit, et quidem Cl. ex nostris Scriptor, qui putaverit, Synod. Tarracon. an. 516 *Can. 6*, de ejusd. S. Benedicti Monachis loquutum esse, id est, tredecim circiter annis ante conscriptam Regulam; sed quandoque bonus dormitat, Mabillonius, de literaria republica optime meritis, suspicatur, *laud. loc.*, quod Martinus Bracarenensis ex Italia, per quam ex Oriente veniens fortassis transierat, Benedictinum Institutum adduxerit, idque probare nititur ex Epist. Bonifacii IV ad Athelbertum; verum nos nullum in hæc (apocrypha sane) Bonifacii Epistola hujusmodi tuendæ conjecturæ fundamentum invenimus.

Persuasum est etiam Mabillonio, *ibid.* Cap. 27, Synod. Tolet. IV, an. 655, Can. 49 alias 48, ad Cap. 59 Regulæ S. Benedicti respexisse, quum pueros à parentibus Monasterio traditos, Monasterio perpetuo mancipandos decrevit; at B. Benedictus in eo capite omnem videtur adhibuisse cautionem, ne pueri Monasterio à parentibus oblati, ab ipsis postea seducti parentibus, regulari vitæ nuntium remitterent; non tamen illos ad perpetuam in Monasterio stabilitatem, uti Synodus Toletana, coegit.

Porro non disceditur, Benedictinum Institutum, quippe quod à S. Gregorio probatum fuerat, exeunte sæculo VI inductum fuisse fortassis in Hispaniam; sed Monasterium sub eadem institutum Regula nullum invenimus in Hispania usque ad sæculum VIII, in cujus an. 741 Alphonsus I Monasterium de *Covadonga* in Asturiis erexit sub Regula S. Benedicti, si vera sit Scriptura fundationis, quam publicæ luci dedit Asturicensis Principatus anno 1778; quod quidem Institutum longe lateque deinceps propagatum est, præsertim post Synod. Ovetensem anno 1050, in cujus Cap. 2 decernitur, *ut omnes Abbates, et fratres suos, et Monasteria; et Abbatissæ se, et Moniales suas, et Monasteria, secundum B. Benedicti regant statuta.* Verum quum Sanctius Major quosdam à Cluniacensi reformatione deductos Monachos, ad suum Legierense Monasterium adduxisset an. 1022 (Mabillonius, *ubi supra*) ex ista præcipue Regula Benedictinum in his partibus propagatum est Institutum, ut colligitur ex Privilegio Sanctii Ramirezii 18 April. an. 1070: *Apud Aguirre Tom. 4, pag. 554, edit. Rom.*

5. Præcipua monastici instituti ratio erat, ut Monachi, rerum omnium tractatione, et cogitatione relicta, animum ad Divina intenderent, atque ut procul à populi tumultu viventes (1), Præpositis obedirent (2), sibi que manuum labore victum quærerent (3), et corpus castigarent (4). Habebant tamen singula monasteria propriam, ac peculiarem regulam; quædam scriptis legibus utebantur; quibusdam regulæ loco erat vivendi ratio probata majorum consuetudine, ac traditione, quibusdam autem Abbatibus voluntas, quæ explicabatur, uti sese dabat occasio (5). Sed quoniam omnium regularum unum erat propositum, ut scilicet Monachi procul à cura, et sollicitudine rerum humanarum, divinis vacarent, idcirco Rectorum arbitrio nova etiam in uno monasterio regula interdum recipiebatur, et interdum plures in uno eodemque cœnobio obtinebant regulæ, aut additis, aut demptis, quæ temporum, ac locorum ratio postulare videbatur (6).

(1) S. Hieronymus *ep. 125 ad Rustic. cap. 8 tom. 1 opp. col. 951 ed. Veronæ 1754*, reprehendit monachos, qui in civitate vivere cupiebant. *Quid desideramus*, inquit, *urbium frequentiam, qui de singularitate censemur?* Antonium dicere solitum tradit Sozomenus *lib. 1 cap. 15 pag. 28 ed. Valesii Cantabrigiæ 1720*, *pisces quidem aqua nutriri, monachis vero ornamento esse solitudinem; et quemadmodum illi, simulatque terram attigerint, vitam amittunt, sic istos, cum ad urbem accedunt, monasticam gravitatem*

tem perdere. Agitur etiam ea de re in *Leg. 1 Cod. Theod. de Monachis, in L. 29 cod. Justin. de Episc. et cleric., et in Novell. 115 cap. 42.*

(N. S. Ex Conc. Chalcedonens. Can. 4, *Monachi vetantur ecclesiasticis, civilibusque negotiis communicare; quippe qui debeant quietem diligere, et intentos esse tantummodo jejuniis, et orationi, in locis, quibus renuntiaverunt sæculo, permanentes: et civilibus præsertim negotiis, nisi propriis Monasterii, et de Abbatibus licentia: Syn. Tarracon. Can. 11.*)

(2) *Prima apud eos*, inquit Hieronymus *ep. 22 ad Eustoch. cap. 55 tom. 1 opp. col. 117 ed. Veronæ 1754*, *confederatio erat, obedire majoribus, et quidquid jussissent, facere.* Quare Monachi, qui hæc Præceptorum jussa despexissent, Eucharistia, sacrisque omnibus interdcebantur, ac censuris, aliisque ecclesiasticis pœnis plectebantur. Cassianus *de Instit. Cœnob. lib. 2 cap. 16 pag. 27, lib. 4 c. 16 et 20 pag. 58 et 62, et collat. 2 cap. 5 pag. 240 ed. Francofurti 1722, Socrates lib. 4 cap. 25 p. 258 cit. edit. Valesii.*

(3) Laborem hunc manuum, in quo sese Monachi exercebant, tum ut sibi victum compararent, tum ut aliis open ferrent, tum denique ut omne otium procul haberent, memorant Cassianus, *Instit. lib. 10 cap. 25 pag. 169 ed. indicatæ, Hieronymus ep. 125 ad Rustic. cap. 11 tom. 1 opp. col. 955 ed. Veronæ 1754, et ep. 22 ad Eustoch. loc. cit., Epiphanius Hæres. 80 num. 6 pag. 1072 opp. tom. 1 ed. Paris. 1622, Sozomenus lib. 6 cap. 23 pag. 257 laud. ed. Augustinus de Morib. Eccles. cap. 51 col. 710 opp. tom. 1 ed. Maurin. Venet. 1729. V. Mabillon, de Mon. Studiis, Part. 1 cap. 44.*

(4) Hinc Hieronymus, *Advers. Vigilantium cap. 16 col. 401 opp. tom. 2 ed. Vallarsii Veronæ. 1755*, *monachi institutum vitam plangentis appellat, et Præfat. in Regul. Pachomii col. 55 cit. tom. 2*, insulam Canonum, ubi Tabennenses Monachi vitam agebant, vocat insulam *metancœ*, hoc est, insulam penitentiae.

(5) Testatur Cassianus *de Instit. cœnob. lib. 2 cap. 2 pag. 15 ed. Francofurti 1722*, *quod tot propemodum typi, ac regulæ erant, quot cœllæ, ac monasteria.*

(6) Vide Mabillonium in *Præfat. ad Annales Benedictin. num. 18 tom. 1 pag. 54 ed. Lucæ.*

6. In tanto hoc regularum discrimine, magna tamen erat inter omnes Monachos consensus animorum, una societas, unumque corpus, nulla prorsus vestium diversitate discretum (1). Quare facilis, ac promiscuus erat ex uno in aliud monasterium transitus, non modo Latinorum inter se, sed etiam Latinos inter et Græcos, quibus satis erat in novo monasterio stabilem, firmamque moram constituere. Verum S. Benedictus Monachos suos obstrictos perpetuo voluit regula, quam semel essent amplexi, atque ita sublato est Rectorum arbitrium, et Monachis adempta libertas, quam pridem habebant, mutandi regulam, et monasterium (2).

(1) *Verum illo ævo*, inquit Mabillonius *loc. cit. n. 19*, *cum unus esset monasticus ordo, necdum in varias classes divisus, illa regularum diver-*

sitas, qua uniformes conebantur, nullam inducebat ordinum diversitatem; uti nec modo diversæ in eadem regula constitutiones, quas variè unius, ejusdemque Ordinis Congregationes sibi præscribunt, unitati Ordinis haud officiant.

(2) S. Benedictus *Regul. cap. 58 tom. 4 pag. 131 ed. cit.* Vide Joannem Mabillonium *cit. num. 19 et num. 23 pag. 38*, ubi adversus Lucam Holstenium demonstrat, S. Benedictum non tantum dedisse regulam Casinensi cœnobio, sed etiam Ordini universo; et vide etiam eundem Mabillonium *Acta Sanctor. Ord. S. Benedict. præfat. ad sæc. 4 par. 1 tom. 5 num. 52 et seq. pag. 17 et seq. edit. Venet. an. 1755.*

Jam vero Gothorum tempore, quinque in Hispania concionatas extitisse comprehendimus, circumferrique contigisse, monachorum regulas: prima harum occurrit, illa à S. Donato exarata: secunda, à S. Fructuoso, Bracarenensi episcopo: tertia, à S. Valerio, Asturicensi: quarta, à S. Joanne, Biclarenensi episcopo: quinta tandem, à S. Isidoro; cui, etsi à Cœnio dissentiamus, illa à S. Benedicto conscripta, adjungenda videtur. Hæc ergo, et illa à S. Isidoro edita, primigeniam nobis monachorum disciplinam planissime demonstrant. M. Villodas *loc. cit.*

7. Sæculo XI. instituti fuerunt Canonici *Regulares*, quorum multa sunt nomina; sed celeberrimi sunt, qui in Lateranensi Basilica ab Alexandro II. recepti, *Lateranensium* nomen acceperunt. Ex Canonicis Regularibus processit S. Dominicus, Hispanus, qui ordinem instituit *Prædicatorum*, ad eliminandas hæreses Albigensium, publicisque concionibus pravos hominum mores corripiendos; quem Ordinem in Concil. generali Lateranensi IV probavit Innocentius III., et Honorius item III confirmavit. Eadem tempestate suum etiam creavit Ordinem *cum lege summæ paupertatis*, exemplo Christi, atque Apostolorum, S. Franciscus Assisiensis; et eum etiam idem Honorius an. 1223 approbavit.

Regulares Canonici sub S. Augustini regula inclaruerunt; vel quod ad exemplum cleri Hiponensis, omnem bonorum proprietatem dimitterent; vel quod Regulam ea ætate Augustino tributam amplexi fuerint (*Selvagius.*)

Ad rem habet M. Villodas, *Antiq. part. 1 sect. 1*, quæ sequuntur: «Agedum, primam Canonicorum investigemus nomenclationem: quæ ergo prima occurrit mentio hujus nominis, ex quadam Eccl. sive Bisuldensis donatione, tabellionis manu exarata, et obsignata (extat Bisuldus, *Besalú*, in diocesi Gerundensi), quam Petrus de Marca fecit publicam in sua *Marca Hispanica*, pag. 777, est omnino repetenda apud Hispanos. At posterius tandem, anno 1056, quem vitæ modum à Canonicis Regularibus, ac consuetudinem tenendam, præstituta sane fuisse comprehendimus in concilio Compostellano: horum igitur Canonicorum electio ad Episcopum, de cleri consensu, spectabat; quæ ipsis ex regulæ præscripto observanda erant, hæc sunt: ut nempe unum in locum congregati, Matutinum simul omnes persolverent... diebus singulis Missam celebrare, vel si forte impediti non possent, audire obstringerentur. Matutinum media nocte recitare, et singulis quibusque diebus psalmos 50:

opportuno tempore Horas, vulgo *canonicas*, persolvere: clericorum institutioni sollicitè incumbere; aliæque hujus generis multa, injuncta ipsis erant: Conc. Compost. can. 1, 2, et 5 (V. hujus vol. pag. 498). Ad hæc; intra domorum, in quibus Canonici habitabant, ambitus, neque sæcularis homo, neque ulla mulier habitare poterat... At vero Regula S. Augustini, quam aliis in provinciis Canonici sequebantur quidam, in Hispaniam usque ad an. 1097 (*Risco, Hisp. Sacr. Append. 20, tom. 28*) invecta minime fuit. At ex hæc Canonicorum disciplina, munia, et dignitates, quæ vulgo Priores, Abbates, Decani, et hujus generis alia manarunt.

8. Annis autem consequentibus alii instituti sunt Ordines Regulares, ut certa charitatis officia præstarent, atque ut clericis opem ferrent in iis, quæ clericalis muneris propria sunt. Nec prætereundi Ordines Equestres, et Militares, qui præsertim à Cruciatibus, atque expeditionibus in Saracenos ortum habuerunt; et quos inter celeberrimi sunt Equites Hierosolymitani, qui Rhodo pulsati, nunc habent Melitam acceptam à Carolo V, in quos potissimum Anastasius IV. multa contulit privilegia.

(N. S. Eodem pœne tempore Carmelitarum nonnulli in Europam profecti, suæ Regule approbationem ab Honorio III an. 1226 impetrarunt. Hos, à B. Bertoldo Calabro in Monte Carmelo primum collectos, ad certam vivendi regulam S. Albertus, Patriarcha Hierosolymitanus, redegerat an. 1171. Postremo Eremitas Augustinenses, ante Concilium Lateran. IV jam vigentes, nonnullisque prærogativis ab Innocentio III auctos, in unam ex pluribus Congregationibus societatem redegit, an. 1245, Innocentius IV.

Porro jam præcesserant in Galliis *Trinitarii*, pio Redemptionis Captivorum operi addicti, auctoribus S. Joanne de Matha, ac S. Felice Valesio, quorum Institutum ipse Innocentius III an. 1209 adprobaverat. Tum non diu post, scilicet an. 1255, prodit in Hispanis Ordo S. M. de Mercede, ad redimendos etiam Captivos à S. Petro Nolasco, S. Raymundo de Pennafort, ac Jacobo, Aragoniæ Rege, in Ecclesiam inductus. Tum pœne sequuti sunt *Minimi* S. Francisci de Paula Calabri, in Regno Neapolitano, an. 1474; *Capuccini*, verius à Mathæo Bassio Veneto, an. 1525; *Fratres Charitatis* S. Joann. de Deo, Granatæ, an. 1558; *Carmelitæ Discalceati*, sive *Nudipedes*, ex reformatione S. Theresiæ, an. 1592; *Augustiniani Discalceati*, Toleti, an. 1558, *Trinitarii* item *Discalceati*, in Hispania creati, an. 1599, et *Mercenarii Discalceati*, Matrili, an. 1605, aliique. Videtur Robertum Miræum, et Philippum Bonannum, Ordinum Regularium Historiographos Clarissimos.

His porro accesserunt Clerici, qui votis, certisque regulis addicti, communem agunt vitam; ex quo *Clerici Regulares* dicti sunt. Horum prima Congregatio dicta *Theatinorum*, quippe quæ ortum habuit à Joanne Carafa, Neapolitano, Episcopo Theatino, qui postea Paulus IV Pontifex Maximus fuit, ex S. Cajetano Tienæ, an. 1524. Tum dinceps prodierunt *Canonici Regulares Præmonstratenses*, Archiep. S. Norberti, an. 1120; *Clerici Regulares Societatis Jesu*, ab Hispano S. Ignatio de Loyola, an. 1540, instituti, et an. 1815 restaurati; *Clerici Regulares Minores*, à B. Joanne Francisco, et Ven. Fabricio Caracciolis, Neapolitanis, ac Ven. Augustino Adorno, Genuensi; *Clerici Regulares Ministri Infirmorum*, S. Camilli de Lellis, Thea-

tini, in Regno Neapolitano, an. 1586; Clerici Regulares Scholarum Piarum, S. Josephi à Calasanzio, Aragonensis, an. 1597. Atque hæc præcipua sunt Clericorum Regularium Instituta.

Tum et alia Clericorum Instituta in Ecclesiam inveeta sunt; qui scilicet sub certis quibusdam regulis communem vitam agunt, at vel nulla Vota emittunt, vel dumtaxat simplicia: qua de re, ut à Regularibus distinguerentur, eorum Collegia Congregationes Presbyterorum Sæcularium dicte sunt. Hujusmodi sunt Oratorii, Romæ instituti à Sancto Philippo Nerio, Florentino, an. 1577; Patres Missionis Sancti Vincentii à Paulo, an. 1650; et Patres Congregationis SS. Redemptoris, P. D. Alphonsi de Ligorio, Neapolitani, à Greg. XVI, an. 1859 Sanctorum albo adscripti.

Plures etiam Equestres Ordines à Christianis Principibus, R. Pontificibus adscientibus, constituti sunt, et quidem vel Militares, vel Hospitalarii. Militares, quippe qui regionum Catholicarum fines à barbararum gentium incursionibus armis defenderent; Hospitalarii, quod hospitalitatem Sacra potissimum Loca visitantibus, infirmisque impenderent. Hujusmodi antiquitus fuere Equites S. Sepulchri, ejusdem custodiæ additi; Templarii, ita dicti à Templo Domini, ad peregrinos Loca Sancta invisentes à prædonibus tuendos: porro hi à Clemente V in Concilio Viennensi, instante Philippo Pulchro, Galliarum Rege, extincti sunt; Equites Theutonici in Germania, Sacri Milites Christi in Lusitania, Equites S. Stephani in Hetruria, et Equites SS. Maurilii, et Lazari in Sabaudia: tum in Hispaniis sæculo XII Maurorum incursionibus oppositi sunt, 1 Equites S. Jacobi de Spatha an. 1175. 2 Calatavenses an. 1158, ac 3 Alcantarenses, 1176. Horum trium Equestrium Ordinum, sæculo XV exeunte, Reges Catholici administrationem, ac Magnum Magisterium, Bullis B. Pontificum, ac præcipue Innocenti VIII, nacti sunt: nemum in Regno Valentisæ sæculo XIV Ordo Montesiæ institutus est, ac in locum extincti Templariorum Ordinis sussectus; *cujus quoque nunc Magnus Magister Hisp. Rex. V not. 1 tit. 8 lib 2 Novis. Compilat.*

Inter Equestres autem Ordines, quorum alumni nullis se monasticis votis adstringunt, sunt: Ordo B. M. V. Adnuntiæ, ab Amedeo VI, Sabaudia: Duce; Velleris Aurei, à Philippo Bono, Brabantia: Duce, an. 1540: Sancti Spiritus, ab Henrico, Galliarum Rege, an. 1579 etc.

Carolus III Rex, pro sua erga Religionem Christianam pietate, constituta B. M. V. sub Immaculæ Conceptionis Mysterio, Hispaniarum, Indiarumque Patrona, restituta ad hujus festi sollemnitatem celebrandam vetustissimo officio, concinnato per Leonardum Nogarolum, Presbyterum Veronensem, Protonotarium Apostolicum, Artium, et Sacræ Theologiæ Doctorem famosissimum, uti legitur in Breviario Romano edito Venetiis an. 1514, et quo quidem omnes fere Hispaniarum Ecclesiæ quondam utebantur: Illustrem Equestrem Ordinem Hispanum Caroli III, in honorem ejusdem Mysterii Immaculæ Conceptionis Deiparæ, instituit die 19 Septembris an. 1771, seque, et Successores suos ejusdem Ordinis Præfectos, ac Indiarum Patriarcham, Antistitem, nominavit: equitibus insuper peculiarem Ordinis vestem, ac tesseram Crucis aureæ, Immaculæ Conceptionis Imagine in ejus medio sculpta, designavit.)

Habent in Hispania Ordines Militares Senatim pro ipsorum negotiis expediendis, vulgo Consejo, nunc Tribunal especial de las Ordenes. Ipsius originem à Cath. Reg., Ferdin. et Elisabeth I, trahebat eruditus senator, D. G. M. Jovellanos, consultatione quam pro illo scripsit, Oper. ejus. Auct., edit. Barcinon. 1840 tom. 3, pag. 546 et seq., inserta: quam assertionem nunc 2 tit. 8 lib. 2 Novis. Compilationis consonam observamus. Quod ad præ-

dicti Senatus auctoritatem et jurisdictionem, præoculis habenda: citati tituli leges. Altamen Reg. decreto 30 Julii 1856, novam ejusd. constitutionem, quæ hodie viget, præscripsit. Est nempe ille Militarium Ordinum S. Jacobi, Calatravæ, Alcantaræ, et Montesiæ ecclesiasticus Superior, et de religiosis rebus ad eas spectantibus, judicialiter ac extra judicium, juxta Apostolicas et Regales sanctiones, statuta ac admissam praxim, decidit. In judicio, in secunda et in tertia instantia, ut ajunt, de causis ad se, ab eorundem Ord. Præsulibus, per apellationem delatis, cognoscit. Extra judicium autem de negotiis proprias ecclesias, et iis adscriptos clericos attingentes, decernit.*

9. Monachi olim ordinibus initiati non erant (1), et ideo si quis eorum gravioris criminis reus esset, plectebatur pœna excommunicationis, non suspensionis, aut degradationis, quæ ad Clericos pertinebant (2). Sed interdum eorum aliquis Episcopi beneficio inter clericos referebatur, præsertim ut in sacello monasterii rem Divinam conficeret (3). Denique propter utilitatem Ecclesiæ receptum est, ut Monachi sacris initiarentur ordinibus (4); et ideo nunc passim Monachi clerici sunt, exceptis illis, qui famulatu, at vilibus ministeriis reservantur, quos vulgo laicos appellamus.

(1) Alia, inquit S. Hieronymus ep. 14 cap. 8 tom. 1 opp. col. 55 ed 1754, monachorum est causa, alia clericorum. Idem habent S. Leo M. ep. 94 c. 6 par. 2 opp. p. 361 ed. Romæ 1755, Conc. Chalcedonense can. 2 et 4 apud Labbæum tom. 4 col. 1682, et sequen. ed. Venet. et Trullanum can. 24 col. 1558 tom. 7 ejusdem collect., ubi Monachi à Clericis distinguuntur. Verum eos non meros laicos fuisse, constat ex c. 3 Chalcedon., ubi Monachi, æque ac clerici, sæcularia negotia exercere prohibentur.

(2) Conc. Chalcedonense, loc. cit. can. 2, Si quis, inquit, sequester, et intercessor adeo turpibus, et nefariis lucris apparuit, hic quoque, si sit quidem clericus, proprio gradu excedat, si sit autem laicus, vel monachus, anathematizetur.

(3) Monachos Clericos memorant Cassianus collat. 5 cap. 1 pag. 254 collat. 4 cap. 1 pag. 267 cit. edit. Francofurti, Sozomenus lib. 2 cap. 25 p. 74 cit. edit. Cantabr., Liberatus Breviar. c. 11 p. 61 ed. Garnerii Paris 1675, S. Athanasius ep. ad Dracont. c. 7 et 8 opp. tom. 1 par. 1 pag. 210 ed. Patavii 1777, S. Augustinus ep. 60 col. 148 opp. tom. 2 ed. Maurin. Venet. 1729, S. Epiphanius Expos. fid. n. 21 tom. 1 opp. pag. 1104 ed. Petavii Paris. 1622, Zosimus in Decret. cap. 1 apud Pithæum cod. canon. Eccles. Roman. pag. 214 Paris. 1687, Concilium Agathense can. 27 col. 526 tom. 5, et Herdense can. 3 col. 751 tom. 5 apud eund. Labbæum. Præsertim cum monasterium ita aberat ab Episcopali, aut Parochiali Ecclesia, ut Monachi ad illam commode accedere non possent, unus aut alter eorum ordinabatur, Presbyter, qui divina perageret in sacello monasterii; et sæpe Episcopi vocatos ex eo Monachos in Ecclesiæ ministerium ordinabant, et huc spectat L. 52 cod. Theod. de Episc. et cleric.; quam in legem consule notas Jacobi Gothofredi cod. Theod. lib. 15 tit. 2 to. 6 par. 1 pag. 76 ed. Lipsiæ 1745. Quin etiam exempla Monachorum, qui ad Episcopatum delati sunt, habet Athanasius loc. cit., Severus Sulpicius in Vit. S. Martini num. 10

opp. tom. 1 pag. 47 edit. Veron. an. 1741, et Jo. Moschus c. 124 p. 895 apud Ros-weydum Vit. PP. Antwerp. 1615. Ita Basilus, ep. 218 ad Amphilo-chium p. 551 opp. t. 5 ed. Paris. 1750, meminit Alexandri Corydalis in Ly-cia, qui ex Monacho Episcopus factus est; uti etiam Severus ex Monacho Episcopus evasit, sicuti narrat Marcellinus in Chronico ind. VI. clement. et prob. coss. p. 529 t. 9 Biblioth. PP. ed. Lugdun.

(4) Quod ad ampliacionem divini cultus perpetua lege constituit Cle-mens V, in Clem. 1 de Stat. Monach.

(N. S. Episcopi aliquando inter Monachos quosdam seligebant, quos in Ecclesie ministerium adseiscerent. Monasteria namque, propter bene institu-tam in pietate, et doctrina educationem, veluti Ecclesie seminaria haberi coeperunt. Denique nonnunquam accidit, ut Episcopus aliquis, et universus ejus Clerus monasticam vivendi rationem praecoptarent, rebus suis propriis omnibus sponte renuntiantes, et omnia, ad priscae Ecclesie sub Apostolis exemplum, in commune conferentes. Hanc vivendi rationem Eusebius in Ec-clesia Vercellensi, et Augustinus in Ecclesia Hipponensi cum suis Clericis tenere. In Hispania jam inde a saeculo IV exeunte, nonnulli Monachorum ad clerum adsumi coepere: Siricius Papa, Epist. ad Himer., cap. 15. At non videntur hi Monachos exinde perstulisse, immo semel ordinatos, depo-sito Monachatu, Clericorum Officiis aggregari, ut verbis utamur ejusd. Si-ricii. Unde Gregorius M. ad Lateran. Concil. in Decret. pro Monachis nigris, statuit, ut quisquis ex Monasterio ad Ecclesiasticum ordinem pervenerit, ulterius illic nec potestatem aliquam, nec libertatem habeat habitandi. Id quod repetit in Epist. ad Marinian. num. 15 alias 18. Idem videtur inquirere Synodus Tolet. IV. can. 53 alias 52. Monachi enim non in Monasterio, sed in Civitatibus, aut in Parochiis, ubi monastica vita consistere non poterat, ordinabantur: Syn. Agathen. can. 27. Postremo Mendicantes, quum ex pro-prio instituto antiquae Monachorum vivendi rationi actuosam, et pro fidelium salute vigilem quoque vitam conjunxerint, hinc jam inde ab sua ipsorum ori-gine in Fratres Clericos, et Fratres Laicos, sic dictos Conversos, distinc-ti sunt. Id quod potiori jure de Clericis Regularibus intelligas. Ex relecto a Monasteriis labore manuum prodiit hoc discrimen inter Fratres ad chorum de-putatos, et laicos ad opera manuum exercenda: quod primo fertur invexisse S. Joannes Gualbertus: Fleurius Hist. Eccl. Lib. 21, num. 4.)

UNIVERSITATIS
10. Regulares omnes, quatenus clerici sunt, habent ea, quae sunt clericis communia, propterea fruuntur clericalibus privi-legiis, iis praesertim, quae fori, et canonis nuncupantur. Quate-nus vero sunt Regulares, habent ea, quae sunt Regularium pro-pria. Eorum quaedam peculiariora sunt, et propria cujusvis Ordinis, quaedam communia universis.

11. Propria sunt ordinum singulorum privilegia, quae in illos praesertim Romani Pontifices contulerunt. Est etiam cujus-vis Ordinis proprium institutum, et regula, quam semel rite susceptam quilibet servare, ac retinere debet (1). Communia au-tem non pauca sunt.

(1) Primus S. Benedictus mutandae regulae licentiam coerevit, adempta Monachis libertate deserendi institutum, quod semel susceperant; atque eum

vel primum, vel inter primos fuisse, qui professionis formam, modamque praescripsit, inquit Mabillonius cit. Praef. in 1 part. saec. 4 Benedictin. num. 53 pag. 47.

12. Primum est, ut praeter peculiarem Regulam, quam pro-fitentur, castitatem (1) etiam, obedientiam (2), et paupertatem servare debeant omnes Regulares (3), iisque sese voto obstrin-gere (4); alterum ut quisquis profiteatur Ordinem ab Apostolica Sede approbatum (5); tertium ut domus quaeque Regularium suos ministros habeat, et praefectos, omnesque uni capiti, tam-quam summo moderatori, subjiciantur; quartum, ut quaelibet Regularium familia propriam habeat Ecclesiam, seu sacellum, ubi non solum illi preces Deo fundant, sed etiam privilegio Se-dis Apostolicae liturgiam celebrare, et plura sacra facere pos-sint, quae propria sunt Ecclesiarum Cathedralium, et Parochia-lium; quintum, ut Regulares omnes sint exempti ab Episcopi potestate, et Sedi Apostolicae subjecti (6); quod intelligendum se-cundum mentem Concilii Tridentini, et recentiores constitutio-nes Pontificum Romanorum (7). Ac praesertim Episcopi jurisdic-tio sese exerit in Regulares animarum curam exercentes, qui in iis, quae ad hanc curam, et sacramentorum administrationem pertinent, illius jurisdictioni, visitationi, et correctioni imme-diate subsunt (8).

(1) Castitatis votum non tantum in eo positum est, ut Regulares domitas habeant libidines, quod Christianis omnibus commune est, verum etiam ut se a nuptiis abstineant. Porro Regularium matrimonia, quae initio tantum illi-cita fuisse videntur, deinceps etiam irrita facta sunt: quod primum in Synodo Romana, cujus decretum habet Gratianus can. 40 c. 27 q. 1, constitutum fuisse, putat Van-Espen, Jur. eccl. univers. part. 2 tit. 15 c. 4 n. 7.

(2) Tria potissimum in Monachorum obedientia desiderat S. Benedictus Regul. cap. 5, apud Holstenium cod. Regul. tom. 1 pag. 448 edit. Augustae Vindelic. an. 1759; scilicet, ut Monachi parent suis Praepositis sine mora, non tepide, et cum bono animo.

(3) Paupertatis, quam profitentur, causa nihil proprium habere possunt Regulares, et si quid tale aliquis habuerit, invito, vel inscio Praeposito, frac-ti voti reus, utriusque suffragii jure biennio privabitur, et aliis etiam pro cri-minis gravitate penis mulcabitur; moriens autem nisi res omnes numerato dimisserit, sepeliatur extra commune cimiterium. Cap. 4 de Stat. Monach., Conc. Trid. sess. 25 cap. 2 de Regul. Atque huc spectat regula, quod quid- quid acquirit Monachus ad monasterium pertinet.

(N. S. Praeter haec explicata tria praecipua monasticae professionis vota, non desunt Regularium Instituta, quae peculiariora quaedam alia emittunt. Ita Trinitarii, ac Mercenarii redimendis captivis voto se adstringunt: Fratres Charitatis S. Joann. de Deo, infirmorum in hospitalibus ministerium vovent: Clerici Regulares Ministri infirmorum, animam agentibus, etiam peste gras-

sante, ex voto præsto sunt; uti quoque Cler. Regul. Scholarum Piarum, insititandis in pietate, ac litteris rudibus, ac puerulis voto se dedunt. Tum et Somaschi, orphanis ad pietatem, litteras, artesque mechanicas informandis ex suo ipsorum instituto addicti. Minimi S. Francisci de Paula, nisi graviter ægrotent, victu dumtaxat esuriali utuntur. Sinenses, Indi, alique ex exteris nationibus, adsciti in Collegium Congreg. Sacræ Familiæ Jesu Christi, expleto tyrocinio apud Congregationis Superiorem Deo vovent, 1 se paupertatem, et 2 obedientiam servaturos; tum 3 sacros ordines suscepturos, ubi id Superiori expedire videatur; deinde 4 se animo paratos esse, ut ad Orientales plagas proficiscantur, ibique vel propriæ vitæ discrimine Christianis mysteriis Ethnicos imbuant, ac tandem 5 ulli Congregationi, sive Collegio, quodcumque illud sit, in posterum haud se nomen esse duros. Iisdem quinque votis se obstringit quicumque, in eadem Congreg. degens, in hoc Collegium cooptari voluerit. Hæc votorum emissio bis à Clemente XII adprobata fuit Litteris Apostolicis editis in forma Brevis die 7 Aprilis an. 1752, et 22 Mart. 1756. Equestres demum Militares Ordines tuendæ armis Religioni voti fibula se obstringunt.)

(4) *Cap. 16 de Regular.*

(5) *Cap. unic. de Vol. in 6., etc. ull. de Rellig. domib.*

(6) Exemptionis ab Episcopi jurisdictione, quam Regularibus Summi Pontifices concesserunt, exempla sunt apud S. Gregorium M., aliosque antiquissimos Summos Pontifices, illaque sæpe, ipsis rogantibus Principibus, attributa fuit: quæ omnia accurate describunt Thomassinus *Vet. et nov. Eccles. disciplin. part. 1 lib. 5 cap. 50 et seq.* ac Bianchini *dell' Exterior polizia della Chiesa, lib. 2 c. 2 §. 5 tom. 4 pag. 560 et seq.* Multa etiam habes hujusmodi exemptionum monumenta apud Du-Chesnium *Histor. Franc. tom. 1 pag. 652, Ughelium Ital. Sac. tom. 4 col. 955 ed. Venet. an. 1719, Mabillonium Anal. Benedict. tom. 1 lib. 15 num. 5 pag. 545, et in Append. 2 ejusd. tom. num. 17 et 18 pag. 663 et 654 ed. Lucæ 1759, et Acta SS. Benedictin. in Vit. S. Bertulfi num. 7 tom. 2 pag. 151 edit. Venet. 1755, et de Re diplomatic. lib. 1 cap. 5 num. 12. Præcipuas vero, easque justissimas exemptionum concedendarum causas enumerat Petrus Blesensis *Ep. 68 ad Alexandrum III pag. 105 ed. Paris. 1667: Scimus, inquit, quod ob quietem monasteriorum, et Episcoporum tyrannidem, has exemptiones plerumque Romani Pontifices indulserunt.* Earundem querelarum contra Episcopos, qui Regulares vexabant, unde harum exemptionum origines repetit ipse Van-Espeinius *par. 5 tit. 12 cap. 2*, mentio est in Concilio Toletano IV. *Can. 51 tom. 6 Concil. collect. Labbæi col. 1463, et in Cone. Toletano IX c. 2 tom. 7 col. 466 ed. Venet.* Sed ea de re sermo redibit II Libro, cum de Monasteriis agemus. Graviter autem, et copiose, præter eos, quos supra descripsi, de Regularium exemptione disputant VV. CCL. Mamachi *Contra Auc. opusc. Quid est Papa? Ep. 5 §. 14 tom. 1 pag. 272 et seq.*, et Zaccaria *in Anti-Febronio par. 2 lib. 5 cap. 1 §. 6, et in Anti-Febron. vindic. Dissert. 9 c. 4.**

* Concil. Chalced. *can. 4* sancitum, ut Monasteria civitatis Episcopo subiecta essent: quæ dispositio imperialibus legibus firmata apparet: Justin. *Nov. 125, cop. 54 et 56, ac Nov. 155, cap. 4 et 6.*

(N. S. Eadem quoque per Occidentem viguit disciplina. Id patet ex pluribus, variisque antiquitus habitis Conciliis; uti Aurelianensi I *Can. 21*, Aurelianensi II *Can. 21*, Epaonensi *Can. 8, et 19* etc.; ac præsertim Concilium Arelatense V generaliter definit, ut *Monasteria, vel Monachorum disciplina ad eum pertineant Episcopum, in cujus sunt territorio constituta.* Consonat Syn. Ilerdensis *Can. 5*, et Oscensis an. 598, *Can. 1.*

In Hispania à sæculo X amplissimam exemptionem adsequi cœperunt Monachi, si vera sunt privilegia, quæ Tom. IV inseruit Card. de Aguirre. Verum non ideo Concilia nostra cessarunt eos ad primigeniam subjectionis legem revocare: Syn. Legionens. an. 1012, Cojacens. an. 1050 *Can. 2*; sed deinceps pæne nulla jam avitæ Episcoporum potestatis, in Regulares vestigia deprehendimus.)

(7) Vide *Titulum II. Sect. 1 §. 15 et seq.*, ubi omnem explicavimus delegatam jurisdictionem, quam Episcopus in Regulares habet.

(8) Conc. Trident. *Sess. 25 cap. 11 de Regul.*, Gregorius XV. *Constit. Inscrutabili 50 §. 4 tom. 5 par. 5 pag. 1 Bullar.* Qua Tridentina lege Capellanos etiam Religionis Hierosolymitanæ curam animarum exercentes, obstrictos declaravit S. Pius V. *Constit. 104 et 187 pag. 49 et 180 par. 5 tom. 4 Bullari ed. cit.* et Gregorius XIII. *Const. 125 eodem loc. pag. 456*, itemque Parochos Regulares Indiarum orientalium et occidentium Benedictus XIV. *Const. Quamvis 1 tom. 2 ejus Bullarii pag. 1.* Vide etiam Constitutionem *Firmandis* ejusdem Benedicti XIV. *ejus Bullar. tom. 1 pag. 265*, in qua describitur quidquid præstari potest ab Episcopo visitationem obeunte in Ecclesiis Regularium, quibus animarum cura conjuncta est.

(N. S. Episcopi possunt ad Cæremonialis, et Ritualis rubricas servandas Regulares cogere: *Constitut. Apostolici Ministerii §. 22.* Abusiones, quæ forte in Missarum celebratione irrepsissent, corrigere: *§. 25 ejusd. Constit.* Quocirca nequeunt SS. *Sacramentum cum solemnitate exponere sine licentia Ordinarii*: S. Rit. Congreg. 26 Febr. an. 1628. Neque etiam Apostolicæ Sedis privilegio muniti, die Sabbati majoris hebdomadæ, antequam campana Cathedralis, vel Matricis Ecclesiæ pulsaverit, campanas in Ecclesiis suis pulsare. Leo X die 19 Decembris an. 1516 in Lateran. V *Sess. 11.* Postremo Episcopi curare tenentur, ne in privatis Regularium Cellulis Altaria erigantur; contrariam derogante consuetudinem præf. *Const. Apostolici Ministerii §. 24.*)

13. Professio regulæ facit aliquem Regularem (1). Ea vel tacita, vel expressa est; tacita, quæ ex perspicuis, certisque actibus educitur (2); expressa, quæ fit palam, ac publice coram Regularis familiæ Moderatore, recitata formula professionis, adhibitis etiam solemnitatibus secundum receptos ordinis cuiusque ritus. Ut professio vim habeat, fieri debet post sextum decimum (3), et post exactum probationis annum (4), eumque integrum, atque perpetuum, gestato habitu, actaque vita toto illo temporis cursu intra claustra designati monasterii, in quo tyrones instituendi sunt (5); debet esse libera, non extorta vi, metuque gravi (6), facta ab homine, qui suæ voluntatis habeat arbitrium, non à servo, invito domino (7), non ab Episcopo, ignaro Summo Pontifice (8), non à viro, qui sospitem habet uxorem, ea dissentiente (9); denique Regularis instituti nomine accipienda est ab eo, cui jus est accipere, ratamque habere professionem (10).

(1) Diu vixit disciplina, quam memorant Hieronymus *Ep. 107 ad Lætan.* num. 5 et 6 col. 674 et 678 *opp. tom. 1 ed. Vallarsii Veronæ.* et Salvianus *Advers. avarit. lib. 1. §. 4 pag. 251 edit. Pedeponti 1745.* ut parentes infantes filios non modo clericatui offerrent, uti demonstratum supra est, sed etiam monasterio, pro qua disciplina acerrime propugnauit Petrus Damiani *Opusc. 16.* et Rabanus Maurus singulari libello, quem composuit aduersus quosdam, qui eidem disciplinæ resistebant: idque argumentum late persequitur Gratianus *caus. 20 quæst. 1.* Atque hi quidem pueri à parentibus monasterio oblati, cum puberes euaserant, discedere non poterant ab eo vitæ instituto, cui semel addicti fuerant. Hic illud Toletani Concilii IV. *can. 49.* alias 48, quod etiam memorat Clemens III *in cap. 12 de Regular. monachum aut paterna devotio, aut propria professio facit;* et Concilium Wormatiense anni 868. *can. 22 apud Labbæum tom. 10 col. 459 ed. Venet., si pater, inquit, vel mater filium, filiamque intra septa monasterii in infantie annis sub regulari tradiderint disciplina, non liceat eis, postquam ad libertatis pervenerint annos, egredi, et matrimonio copulari.* Et *can. 25. Monachum ergo, ait, aut paterna devotio, aut propria professio facit. Quidquid horum fuerit, alligatum tenebit. Proinde huic ad mundum reverti intercludimus aditum, et omnes ad sæculum interdicimus regressus.* Solemnis formula ejus oblationis, ex S. Benedicti regula *cap. 59 apud Holstenium Cod. Regul. tom. 1 pag. 152 edit. August. Vindelic. 1759,* erat, ut manus pueri oblato in altaris palla involveretur, quæ erat mappa altari superimposita, idque testimonium erat oblationis, quæ sic involutus puer Dei obsequio addicebatur. Gratianus *can. 4 caus. 20 quæst. 2.* Lambertum quemdam oblato memorat, qui tum propter non servatam solemnem hanc formulam oblationis, tum propter alias causas votis solutus declaratus fuit. Rôthardus *in Reg. S. Bened. Delect. actor. col. 518 tom. 2 edit. Lugdun. 1706,* describit formulam, in qua Pater dicebat: *volo tradere filium meum Deo omnipotenti ad serviendum sibi in hoc monasterio;* tum Abbas præsentibus testibus agebat: *auditis, fratres, et videtis, quid iste dicat;* hi respondebant: *audimus, et videmus.* Abbas benedictionem dabat oblato, qui ita cooptatus censebatur in ordinem monachorum, in quo deinceps vitam omnem traducere debebat. At non solum filios jam natos volebant parentes, sed eos etiam, qui nondum nati in matris utero latebant, cujus rei multa collegit exempla Baluzius *in Not. ad Salvian. advers. avarit. lib. 2 pag. 428 edit. Pedeponti 1745.* Confer Mabillonium *in Præfat. ad sæcul. VI Benedict. n. 56 pag. 14 t. 8 ed. Vecat., et tom. 2 Analect. pag. 550.* Muratorum *Antiquit. Italic. mediæ ævi Dissert. 65 col. 580 et seq. tom. 5,* Calmetum *in Regul. S. Benedicti cap. 59,* Hæstenum *Disquisit. monastic. par. 2 lib. 4 tract. 2 disquis. 5.* Exposita tamen parentum licentia ad decimum ætatis annum contracta est à Syn. Tolet. X. *can. 6.* Hæc de filiis monasterio offerendis disciplina viguit usque ad ætatem Cælestini III Pontificis, qui eam moderatius temperavit, dicta lege, ut puer monasterio oblatus, cum ad annos discretionis pervenerit, et habitum retinere noluerit monachalem, si ad hoc induci nequiverit, non est nullatenus compellendus, uti sancitum est *cap. 14 de Regul., et consentit Innocentius III, lib. 15 Ep. 116 ad Episcop. Lugdunen. pag. 644 tom. 2 ed. Baluzii Paris. 1682.* Licet autem Cælestinus huic disciplinæ modum imposuerit, non eam tamen sustulit, aut abrogavit; quinimo nunc etiam, nisi obstant, et impediuntur peculiaribus leges, quibus Regularia Instituta reguntur, aut recentiores Pontificiæ constitutiones, quæ us tantum, qui certam ætatem nati sunt, in monasterio pernoctare sinunt, secundum jus Decretalium vetitum non est offerre filios

impuberes monasticæ vitæ instituto; integro semper jure, quod de ætate, ac tempore Tyrocinii, et Professionis à Synodo Tridentina constitutum est. Quæ oblatio efficit primam, ut filius impubes à Religione recipi possit; deinde ut pater in ipsum patria potestate amplius uti nequeat, ut eum ad sæcularem vitam revocet; denique ut etiamsi filio impuberi ante annos pubertatis monasterii claustra deserere non liceat (quod tamen ipse facere potest, cum ad eam pervenit ætatem, in qua plenum habet suæ voluntatis arbitrium), potest tamen Religio proprio jure uti, ut eum dimittat etiam ante annos pubertatis, nisi forte se onere obstrinxerit eum retinendi, donec pubes evadat. Confer Benedictum XIV. in literis datis ad Petrum Hieronymum Guglielmum, quæ extant in ejus Bullar. *Const. 54 t. 5 pag. 259.*

(2) *Cap. 25 de Regul., cap. 1 eod. in 6.* Tacita professionis exemplum est in eo, qui per quinquennium tacuit, cum irritam emisisset expressam professionem, vel quia vi, metuque coactus, vel quia nondum justam ætatem attigerat. In ceteris tacita professio tantum obtinet in iis ordinibus, in quibus in habitu professorum, et non professorum nullum discrimen est.

(3) S. Basilius *Regul. fus. tract. c. 15 p. 557 opp. t. 2 Paris. 1722.,* S. Ambrosius *de Virgin. c. 7 n. 59 col. 275 opp. t. 5 ed. Venet. 1751,* et Alexander III *in cap. 8 de Regul.,* ætatem postulant perfectæ, et absolutæ rationis. Capitula Theodori Cantuariensis apud Harduinum *t. 5 Conc. c. 1778 c. 118,* in maribus annos 15, in feminis 16, aut 17 constituunt. Ipse Basilius *Ep. ad Amphilo. Can. 18 pag. 292 opp. t. 5 edit. indic.,* annum memorat 16 aut 17; denique Conc. Trid. *Sess. 25 c. 15 de Regul.* annum 16 exactum definit. Vide Pallavicin, *Histor. Conc. Trident. lib. 24 cap. 6.* Verum Tridentini Patres, cum ætatem constituerunt annorum sexdecim, minime improbarunt peculiare quorundam Ordinum constitutiones, quibus major ætas requiritur; quod et Sac. Congregationem Concilii declarasse, testatur Fagnanus *in cap. Nullus de Regul. num. 15.*

(4) Monasterium ingressi apud Orientales in eo per triennium manere debebant, antequam professionem emitterent, quod testatur Justinianus *Novel. 5 c. 2,* idque à S. Pachomio institutum fuisse, scribit Palladius *in Lausiaca. c. 58 p. 736 cit. ed. Antwerp. Idem jus in Occidente interdum obtinuisse, constat ex can. un. dist. 55, et can. 5 c. 17 q. 2,* puta si non satis explorati essent mores ejus, qui professionem emittere debebat. Interdum vero requirebatur biennium, uti patet ex *can. 6 c. 19 q. 5.* At S. Benedicti regula annum præfixit, quod probavit Synodus Tridentina *loc. cit.*

(5) Clemens VIII *const. Nullus omnino 242 t. 5 par. 2 pag. 540,* Urbanus VIII. *cons. Sac. Congregatio 77 tom. 5 par. 5 pag. 271. et constit. Religiosis 563 tom. 6 par. 4 pag. 271.* Confer Pirhing *Jus. canon. lib. 5 tit. 51 sect. 2 §. 5.*

(6) *Cap. 1 de His quæ vi metusve.* Et Synodus Tridentina *Sess. 25 cap. 18 de Regul.* anathemati subjicit omnes, qui invitam mulierem cogunt, præterquam in casibus in jure expressis, ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscumque Religionis, vel ad emittendam professionem, quique in eo facinorose opem, consilium, auctoritatem, consensum præbent.

(7) Conc. Chalcædonen. *can. 4 col. 1685 tom. 4 conc. collect. Labbæi ed. Venet. can. Si quis c. 17 q. 2.*

(8) *Cap. 18 de Regul. cap. 10 de Renunc.*

(9) *Cap. 12 de convers. conjugal.* Confer S. Basilium *Regul. fus. tract. c. 12 opp. t. 2 p. 554 ed. Paris. 1722.* S. Hieronymum *Ep. 122 ad Rusticum c. 4 opp. t. 1 indic. edit. S. Augustinum Ep. 127 ad Armentat. et*

Paulin. col. 375. et Ep. 262 ad Ecdiciam e. 1 et 2 col. 339 opp. tom. 2 edit. cit. Venet. Hinc. S. Paulinus Ep. ad Celantiam c. 23 in apendic. opp. c. 741 ed. Verona 1756, vehementer improbat mulieres, quæ viros sine ipsorum consensu deseruerant. Conjugum vero, qui mutuo consensu voverunt castitatem, exempla sunt apud Socratem *Histor. l. 4 c. 23 p. 256 ed. Valesii Cantabrig.* 1720, Heribertum Ros-weydam *Vit. PP. lib. 1 c. 9 p. 158, lib. 6 n. 5 p. 652 et lib. 10 c. 108 p. 383 Antuerpiæ 1615*, Victorem Ulicen. *de Persec. Afric. l. 1 p. 678 l. 3 Biblioth. PP. ed. Lugd.*

(10) *Cap. 16 de Regul.*

14. Cum hæc omnia servata sunt, prohibetur quis in posterum deserere institutum, quod semel amplexus est, nisi auctius amplectatur (1), aut à Summo Pontifice veniam obtineat (2). Præterea nihil amplius acquirere sibi potest, et amittit beneficia, si quæ habet; dirimitur matrimonium ratum, non consummatum; tollitur patria potestas (3), et vis extinguitur simplicium votorum, quæ ante professionem emissa sunt (4).

(1) *Cap. 18 de Regul.; Extrav. 4 eod. tit. inter communes.* Quid autem servari debeat, ut quis auctius regulam rite, ac recte suscipiat, explicat Schmalzgrueb. *Jus. eccles. univers. lib. 3 par. 4 tit. 51 §. 8 num. 225 et 226.* Nunc ut ea res exitum habeat celeriore, Regularibus, qui in auctius Religionem conferre se cupiunt, postquam voluntatis suæ causas, ut inquit Giralduus *Exposit. Jur. Pontific. par. 2 sect. 50 pag. 865 tom. 5, coram competentibus Apostolicæ Sedis tribunalibus exposuerint, atque probaverint, haud ægre à Romano Pontifice indulgentur opportunæ facultates, in quibus derogatio super consensu Superioris Ordinis laxioris includitur.*

(N. S. Porro Medicantes omnes, nisi eum Pontificis venia, in alium, præter Carthusianum Ordinem, se recipere nequeunt: *Extr. 1 de Regular. inter comm.*)

(2) Summum Pontificem Regularibus tribuere posse facultatem deserendi institutum suum, ac redeundi ad hominum communem vitam, sive, ut inquit, *ad sæculum*, inter omnes constat. Sunt tamen à Theologorum familia, qui, auctore præsertim S. Thoma 2, 2 *quest. 88 art. 11*, negant, eum solvere Regularem posse solemnibus votis, quæ emisit; sed contra hos disputant Schmalzgrueb. *loc. cit. §. 7 n. 211, et Pirhing Jus. canon. lib. 3 tit. 51 sect. 5 §. 8 num. 144.*

(3) *Auth. Ingressi C. de Sacros. Eccl., Auth. Presbyteros C. de Episc. et Cler.*

(4) *Cap. 4 de Vol. et vot. redempt.*

15. Quod si aliquid prætermissum est eorum, quæ servare oportebat, irrita est professio: et qui eam emisit, reclamare intra quinquennium potest (1); elapso quinquennio non potest, nisi ex justa causa fuerit à Pontifice restitutus (2). Nemo autem audietur, qui Regularem habitum dimisit, nisi primum eum de novo susceperit, ac redierit ad monasterium, unde discesse-

rat (3). Nam qui habitum, et monasterium sua sponte deseruit, tamquam apostata habetur, et punitur pœnis, quibus puniuntur apostatæ (4), quales sunt illi, qui prorsus retinendæ Religionis animum abjecerunt.

(1) *Conc. Trid. Sess. 25 cap. 19 de Regul.*

(2) *Vide Constitutionem Si datam 47 Benedicti XIV, pag. 256 tom. 2 ejus Bullarii, ubi etiam accurate præscribitur iudicii ratio, quam servare oportet, cum quæritur de nullitate professionis.*

(3) *Conc. Trident. loc. cit., et cit. constil. 47 Benedicti XIV.*

(4) *Apostatarum pœnas diligenter enumerat Lucius Ferraris Biblioth. verb. Apostata num. 50 et seq.*

16. Et quoniam Regulares, antequam vota suscipiant, suis sese bonis abdicare solent, eaque in alios conferre, idcirco constitutæ sunt certæ leges, ut eorum renunciationes recte expediantur. Nimirum eorum obligationes, ac renunciationes non valent, nisi emittantur cum venia Episcopi, aut ejus Vicarii generalis, intra duos menses proximos ante professionem, et tantum post eandem editam vim, atque exitum habent, ita ut nullius momenti sint, nisi professio absolvatur (1).

(1) *Conc. Trident. sess. 25 cap. 16 de Regul.*

17. Monachorum instar sunt Moniales, fœminæ scilicet, quæ se Deo consecrarunt; et quæ certa obstrictæ regula, vitam ducunt in Monasterio, sub regimine Episcopi, et interdum etiam Regularium. Eadem tempestate, qua Monachorum, etiam Monialium cœnobîa instituta sunt (1). Præcipua earum est clausuræ lex, qua Moniales egredi prohibentur à septis monasterii, nisi cogant exire vis major, quæ superat legum potestatem, ut magnum incendium, vel morbus lepræ, aut epidemiæ; qui morbus, præter Superiorem, cui Monialis subest, etiam Episcopo cognitus, scriptoque probatus esse debet (2).

(1) *Vide Thomassinum p. 1 l. 5 c. 44 et seq., Muratorium Diss. 66 p. 106 tit. 5 par. 2 ed. Romæ, Ballerinius in Zenon. dissert. 3 cap. 1 p. 127 t. 1 ed. Aug. 1751.*

(2) *Cap. 1 de Stat. Regul. in 6, S. Pius V. const. Circa pastoralis 15 pag. 292 tom. 4 par. 2; et const. Decori 159 pag. 96 tom. 4 par. 5 Bullarii. Cum autem S. Pius V tres hæc causas expresserit magnum incendium, lepram, epidemiam, hoc est, morbum contagiosum, quo ceteræ Moniales infici possunt; quesitum est ab Interpretibus Juris Canonici, num alia etiam possit esse causa, propter quam Monialibus exendi à monasterio facultas concedatur. Late ea de re disputat Benedictus XIV. De Synod. Diæces. lib.*

43 cap. 12 num. 26, et seq.; ubi ostendit, alias etiam ob causas cum venia Sedis Apostolicæ Moniales exire posse e septis monasterii, puta, si qua earum, gravi correpta morbo, suasu medicorum locum mutare debeat, ut convalescat. Quod autem de incendio dicitur, id etiam pertinet ad aquarum inundationem, hostium impetum, monasterii ruinam, et similia, quæ subitam fugam postulant; cum ab omni lege extrema necessitas sit exempta, ut inquit Pontifex in cap. 5 §. profecto de verb. sign. in 6.

(N. S. Fuerunt quidem et in Hispania ante sæculum IV complures Deo dicatæ Virgines, quæ dicebantur ut plurimum *Virgines Deo dicatæ*, vel *sacratæ*: Syn. Illiber. *Can. 15, et 27*: tum et *Devotæ*; Cæsaraugust. I. *can. 3*, Tolet. I. *Can. 16*; et simplici vocabulo *Professæ*; *Can. 9 ejusd.* non raro *Puellæ Dei*; Tolet. I. *Can. 6*. Omnem istarum Virginum vivendi methodum pulcherrime describit Prudentius, *Carmine contra Symmach. Præf.*

*Sunt et Virginibus pulcherrima præmia nostris,
Et pudor, et sancto tectus velamine vultus,
Et privatus honor, et nota et publica forma,
Et raræ tenuesque epulæ, et mens sobria semper,
Lexque pudicitiae vitæ cum fine peracta.*

Unde istæ potiore temporis partem domi persistebant, ut orarent, jejunarent, manibus operarentur; et raro se conspiciendas offerrent, etiam in templis. Hieron. *ad Læt. et Eusthoc.* Induebantur vilibus vel pœnitentiæ vestibus, et velamine vel nigro, vel purpureo contegebant caput: Syn. Tolet. X *Can. 4*. Sic incedebant, etiam quum Episcopo, velum suscepturæ, se sistebant: Conc. Carthag. IV *Can. 11*. In propriis unaquæque, vel in parentum ædibus habitabat: Syn. Illiberit. *Can. 28*, et Tolet. I *Can. 6, et 9*. Non enim visæ sunt adhuc Congregationes, neque ulla Monasteriorum umbra rimanda est, usque ad sæculum VII in Syn. Hispal. II an. 619. Nullis licet detinerentur cancellis, à crebris tamen virorum, et piorum quoque confabulationibus arcebantur: Tolet. I *laud. Can. 6 et 9*, et Hispal. II *Can. 11*. Unde durissimis puniebantur pœnis emissum castimonie servandæ propositum transgressientes: Syn. Illiberit. *Can. 15*, Tolet. I *Can. 16, et 19*, Barcinon. an. 599. *Can. 4*, Toletan. IV. *Can. 55*, alias 54, Tolet. VI *Can. 6*, et Tolet. X *Can. 5.*)

Conciliū Hispal. II *can. 11* stabilitum, ut monacharum cœnobita Abbatum curæ et sollicitudini committerentur; atque item monachis morum normam, modumque cum monachabus tenendum accurate præscripsit, ne videlicet cum eisdem nimiam aut familiaritatem aut consuetudinem haberent. Monachabus concilium manibus laborare, monachorumque vestes contexere, et consuere, ut ex his aliquid in ipsarum sustentationem lucrarentur, concessit. Postremo in concilio cæsaraugustano an. 581. *can. 3*, cum de velo monachabus publice solemniterque tradendo actum fuisset, sancitum est, ut nisi post expletos 40 ætatis annos, nemini concederetur nec imponeretur.

Atqui quondam in Hispania plurima extabant monasteria duplicia, vel quæ vulgo dicebantur *mixta*; in quibus sub eodem tecto monachi et monachæ commorabantur. Una utrisque Ecclesia communis; domicilium tamen separatum monachæ habebant, quin ullus ex illo ad monachorum conclave aditus pareret; solumque religiosis feminis ad Abbatem aut ab ipso designati administratoris cellas, magni tamen servata cautione, aliquoties adire permisum. In horum monasteriorum numero ponenda sunt, unam in Sobrado apud Gallætiā, alteram Onniæ apud Castellam, et Legionem tertium constructa,

quæ extiterunt. At sæculo XI, Paschalis II P. ad Compostell. Archiepiscopum D. Didacum his verbis scripsit: « Non expedit... ut monachas simul cum monachis in eadem commorari domo, permittatur. Quare qui sic vitam degunt, dissocientur, atque in loca ab invicem distantia, distrahantur ad habitandum. Quem ergo morem, regulam à Nobis hic præscriptam et decretam legis, in posterum teneas.... » (Lupus in can. 20 concil. 2 Nicæn.; quo duplicia monasteria ædificari prohibetur, et modus in jam constructis servandus præfinitur).—M. Villodas loco cit.

18. Ceteris vero eadem ingredi claustra velitum est, sine venia Episcopi, et Regularis Superioris, si cui subest monasterium (1); atque hæc venia concedenda est ex justis, et necessariis causis, puta propter commune servitium, aut valetudinem, aut salutem animarum (2). Quæ salus ut bene considerata, atque provissa sit, præter communem, et ordinarium Confessarium, debent Moniales bis, aut ter in anno extraordinarium obtinere, cui liberius intimos animi sensus patefaciant (3).

(1) Concilium Tridentinum *sess. 25 cap. 5 de Regul.* licentiam postulat Episcopi, vel Superioris: et ideo quæsitum est, num ingressuro monasterium Regularibus subjectum, satis sit venia Regularis Superioris. Sed tum ejus, tum Episcopi veniam desiderari, ut quis hujusmodi monasteria ingrediatur, nisi diuturna consuetudo unius Episcopi veniam postulet, plus semel responsum est à Sac. Congregatione Concilii, uti patet ex *lib. 14. Decretor. pag. 500. lib. 15 pag. 14 et 465, lib. 16 pag. 86 et seq., lib. 17 pag. 520 et seq.*

(2) Ad hanc clausuræ legem diligenter custodiendam pertinet *constit. Ubi gratiæ 44. Gregorii XIII. Bullar. tom. 4 par. 5 pag. 598., constit. Facultatem 117. Pauli V pag. 246 tom. 5 par. 5 ejusdemque, Constit. Monialium 205 pag. 102 tom. 5 par. 4., constit. Apostolatus 198. Clementis X pag. 550 tom. 7, et constit. Salutare 40. Benedicti XIV pag. 64 tom. 1 ejus Bullarii ed. Romæ 1754.*

(N. S. In Hispania, Clausuræ integritati prospiciens Synod. Vallisolet. an. 1522. *Can. 15*, decrevit, quod si aliqua rationabili causa, bonæ, et non suspectæ personæ intrare debuerint Monasterium, de licentia illius, qui præest, confabulari non liceat, nisi sub testimonio duarum, aut trium sororum, loco convenienti, et hora congrua, nec contrahant magnam moram. Præfatam Constitutionem, cap. 1 de statu Regul. in VI, confirmavit Syn. Tolet. an. 1532 Act. 5 *Decret. 42*, alias 45.

Quo ad formalem, ut ita dicamus, Clausuram, provide constituit Syn. Valentina an. 1565 *Sess. 2 Tit. 5, cap. 19*, omnibus sub excommunicationis pœna prohibens, Monialium adire monasteria confabulationis gratia: *Regulares vero*, subdit, *in Domino hortatur, ut ab ejusmodi monasteriorum Monialium frequentatione abstineant Quod si admoniti non destiterint, in eos juxta Tridentini Concilii statuta procedetur.*)

(3) Conc. Trid. *sess. 25 cap. 10 de Regul.* Vide *constit. Pastoralis 56 Benedicti XIV pag. 261 to. 2*, ubi multa habentur de extraordinario Confessario, qui non solum universis Monialibus, sive toti monasterio dandus est, sed etiam singulis, quæ illum ex juxta causa petunt; præterea Superiores Regulares jubentur saltem semel quotannis Monialibus sibi subjectis conce-

dere extraordinarium è sæculari Clero Confessarium, vel ex altero Regulari Instituto Sacerdotem; hisque id negligentibus, Episcopus efficere debet, quod Regularis Superior præstare debuisset.

Hoc pro Hisp. Regno confirmavit Innoc. XIII Constit. *Apostolici Ministerii* §. 21.*

19. Monialium regimen, quod præsentem custodiam postulat, totum est permissum Episcopis, vel ut Ordinariis, vel ut Sedis Apostolicæ Delegatis, si monasteria exempta sunt, et Sedi Apostolicæ immediate subjecta, nisi vel à certis Capitulis, vel ab aliis Regularibus gubernentur (1). Verum in his quoque monasteriis, quæ Regularibus subsunt, Episcopo una cum Regulari Superiore quovis anno reddenda est gestæ administrationis ratio, et Episcopus ipse malum administratorem ab officio dimovet, nisi ab eo monitus Superior id pridem fecerit, atque etiam animadvertit in Regulares, qui in bonorum monasterii administratione deliquerunt (2).

(1) Con. Trident. *sess. 25 cap. 9 de Regul.*

(2) Gregorius XV. *Constit. Inscrutabili* 50 tom. 5 par. 5 pag. 1 *Bullarii* ed. cit.

20. Atque hæc Episcopi cura, et sollicitudo in Moniales, non tantum sese explicat in illa, quam diximus, bonorum administratione, atque in clausura diligenter custodienda, quæ tota est ejus juri commissa, ordinario in Monasteriis sibi subjectis, delegato in exemptis (1), adeo recte puniat ipsos quoque Regulares, qui peccant in clausuram Monialium sibi subjectarum (2); sed etiam in electione Abbatissarum, quæ monasterio præficiuntur. Nam Episcopo nunciandus est futuræ electionis dies, etiam cum monasteria subsunt Regularibus; et ipse una cum Regulari Superiore interesse, ac præesse electioni potest (3).

(1) Conc. Trident. *Sess. 25 cap. 5 de Reg.* Vide *constit. Gravissimo* 12 Benedicti XIV, tom. 5 pag. 57 *ejus Bullarii*, ubi multa habentur de iis, qui ad monasteria accedunt, ut cum Monialibus colloquantur.

(2) Gregorius XV. *cit. constit. Inscrutabili* §. 4. Atque huc etiam spectat *constit. Felici* 492 Alexandri VII, tom. 6 par. 6 pag. 54, *Bullar.*, qua sancitum est, ut Superior Regularis semel tantum in anno visitationis causa monasterii septa ingrediatur; quod si necessitas eum pluries ingredi cogat, id ei tantum licet, præsentem Episcopo, aut aliquo Ecclesiastico viro, quem Episcopus specialim constituit.

(3) *Cit. constit. Inscrutabili* Gregorii XV §. 5. Monet tamen Benedictus XIV *de Synod. dioces. lib. 5 cap. 12 n. 4*, satius esse Episcopo semel in synodo declarare animum suum, quod ipse scilicet semper velit Abbatissa-

rum etiam exemptarum electionibus interesse, quam id præstare singuli vicibus, quibus electio facienda est.

(N. S. In Antistita eligenda plura requiruntur: 1. Etas quadraginta annorum. 2. Octennium saltem professionis. 3. Episcopus, vel ejus Vicarius electioni præsit; at non intra Claustra, sed ad crates colligat suffragia. 4. Superior Regularis, cui monasterium subditur, vetatur suum suffragium cum suffragiis Monialium conferre. 5. Tandem Antistita non eligatur, nisi ad triennium; neque iterum eligi quiverit, nisi alio integro triennio. Synod. Tridentina *Sess. 25 de Regularib. cap. 7*, et Sacra Congregatio apud Nicolaum.)

Quædam hic indicare placet de jurisdictione, qua potitur Abbatissa Cisterciensis monasterii vulgo de *las Huelgas*, prope Burgensem civitatem sæculo XII ab Alphonso VIII Rege erecti. Principis sane auctoritate gaudebat talis Antistita, sub civili pariter ac ecclesiastico respectu, ut observat M. Florez, *Hisp. Sacr. tom. 27*, ejus potestatem describens. Temporalis illius dicitur plura municipia ac pagos complectebatur; et, ad instar Prælatorum *nullius*, quæ ampliora privilegia sunt, adhuc jurisdictionem exercet in 51 oppida, ac ibi sitas 12 religiosas domos: de causis nempe civilibus, criminalibus, et beneficialibus cognoscit; ecclesiastica munera confert; dimissoriales litteras, necnon licentias pro concionando, pro audiendis confessionibus, itemque pro cura animarum exercenda, expedit; synodum cogit, ac censuras fert per ecclesiasticos à se deputatos judices; quorum non simile in alia femina reperias exemplar. Hoc tamen venerandæ antiquitatis monumentum, cum ad exitum perducatur nova dioceseon circumscriptio, Concordato an. 1851 decretæ, non amplius erit. (V. *ejusd. Convent. hæc de re placita*, pag. 197 et seq.)*

21. Monialibus tempore præeunt virgines sacræ, quarum origo vel ab ipsius Ecclesiæ primordiis est repetenda (1). Eadem pene intra domesticos parietes illarum vivendi ratio, quæ postea Monialium fuit. Eas Episcopus, aut aliquis ejus mandato Sacerdos (2) præcipuo aliquo festo die (3) solemniter in Ecclesia consecrabit, eisque imponebat vestem, quæ sacrarum virginum propria erat (4).

(1) Quemadmodum fuerunt in Ecclesia Ascetæ, antequam essent Monachi, ita fuerunt mulieres, quæ palam, ac manifesto virginitatem vovebant, ante quam Moniales instituerentur. Atque hæc sunt virgines sacræ, quas sæpe memorant Cyprianus, ac Tertullianus, et quas Sozomenus, *lib. 8 cap. 555 ed. Cantabrig. 1720*, appellat *virgines ecclesiasticas*. Soerates autem *lib. 1 cap. 17 pag. 47 ejusd. ed. Cantabr. virgines in matricula Ecclesiæ adscriptas*, quoniam descriptæ erant in Ecclesiæ libris, seu canone, atque hinc interdum etiam *canonicæ* dicebantur. Vide Valesium *Not. in Sozomen. lib. 8 cap. 25 pag. 555 ed. Cantabrig. 1720*, Albaspinæum *Not. in Conc. Illiberit. Can. 15 pag. 165 ed. Neap. 1770*, Gotelerium *Not. in Constit. Apost. lib. 8 cap. 15 pag. 408 ed. Amstelædani 1724*.

(2) Etiam Presbyterum mandatu Episcopi virgines consecrasse, ostendit Concil. Cartaginense III, *Can. 56 tom. 2 col. 1461 collect. Labbei*, cum inquit, *Presbyter inconsulto Episcopo virgines non consecret*, quod idem

habet Fulgentius Ferrandus *Breviar. Canon. can. 91* apud Pithœum *codex canon. vet. Eccl. Rom. p. 508. Paris 1637.*

(3) *Devotis quoque virginibus*, inquit Gelasius P. in *Decret. c. 12* apud Pithœum *loc. cit. p. 267, nisi aut in Epiphaniarum die, aut in albis paschalibus, aut in apostolorum natalibus, sacrum minime velamen imponant; nisi forsitan, sicut de Baptismate dictum est, gravi languore correptis, ne sine hoc munere de seculo exeant, implorantibus non negetur.* Vide S. Ambrosium *de Virgin. lib. 1 c. 1 col. 203., et de Laps. virg. cap. 5 col. 586 opp. tom. 3 edit. Venet. 1751.*

(4) Concilium Carthaginense IV, *Canon. 11 col. 1493. tom. 2 collect. Labbæi.* Atque hunc sacrarum virginum habitum memorat etiam Arcadius *L. 4 C. de Episc. audien. ubi mimæ, et quæ ludibrio corporis questum faciunt, prohibentur uti publice habitu earum virginum, quæ Deo dicatæ sunt.* Erat hujus habitus pars una *sacrum velamen*; unde *velatæ virginæ* apud Innocentium *ep. 2 ad Vitric. cap. 15,* apud Constantium *epist. Roman. Pontific. col. 756,* sunt virginæ Deo consecratæ.

22. Ut virginæ, ita etiam ecclesiasticas viduas (1) habuit Ecclesia, antequam Monachorum, et Monialium institutum agnosceret. Ex his autem viduis, ut plurimum, eligebantur Diaconissæ (2); quamquam sæpe etiam perpetuas virginæ eo munere functas fuisse constat (3). Earum origo ab ipsa Apostolorum ætate repetenda est (4).

(1) Hieronymus *ep. 58 cap. 4 col. 175, et ep. 69 c. 7 col. 499 opp. tom. 1 ed. Veronæ 1754. Conc. Arausicanum can. 27 tom. 4 col. 705 collect. Labbæi, Auctor constit. Apostol. lib. 8 cap. 25 apud Cotelierum PP. Apostolic. pag. 414 tom. 1 ed. Amstelædami 1724,* ubi tantum cooptari in gradum vidualem jubetur, quæ jamdiu virum amisit, et caste, et laudate vixit, et domesticorum diligenter curam habuit.

(2) Quare interdum Diaconissæ viduæ dicuntur; et earum officium viduarum appellant Tertullianus *lib. 1. Ad uxor. cap. 7 pag. 186 et de Veiland. virgin. cap. 9 pag. 499 ed. Rigaltii Paris. 1634, S. Epiphanius Hæres. 79 n. 4 p. 1060 l. 1 opp. Paris. 1662, S. Ignatius ep. ad Smyrn. n. 15 apud Cotelierum PP. Apostol. tom. 2 pag. 58 ed. Amstel. 1724, S. Hieronymus ep. 125 ad Ageruchiam de monogam. c. 6 col. 898 tom. 1 opp. ed. Veronæ 1754, eandemque ob causam eas Epiphanius *loc. cit., et Conc. Laodicenum can. 11 tom. 1 col. 1534 et 1551 collect. Labbæi, viduas seniores* vocat. Sunt tamen distinguendæ Diaconissæ à viduis ecclesiasticis, quarum paulo ante facta mentio est. Non enim omnes hæ viduæ erant Diaconissæ, quamquam plerumque ex illarum corpore eligerentur, quæ Diaconissarum munus exercerent.*

(3) Virginæ, quæ Diaconissæ factæ sunt, memorant S. Ignatius *loc. cit.* ibique Cotelierus, S. Epiphanius *Exposit. fid. n. 21 p. 1104 ed. Paris. 1722, Auctor const. Apostol. lib. 6 apud Cotelierum t. 1 p. 550 ed. cit.; Justinianus Novell. 6 c. 6, Sozomenus lib. 8 c. 23 p. 555 indic. edit. Cantabrig, Zonaras, et Balsamon ad can. 19 Nicæn. apud Beveregium Pandect. canon. t. 1 p. 82 et 83 Oxonii 1672, ac Torrigius de Sac. Crypt. Vatican. p. 2 p. 557 ed. Romæ 1659, memorat S. Martinam virginem, et martyrem, quæ Diaconissa fuit.*

(4) S. Paulus *ad Roman. XVI. 1.* memorat Phæben, quam *ministram* Ecclesiæ Cenchræensis appellat. Etiam Plinius Junior, *lib. 10. ep. 97 ad Trajanum pag. 237 ed. Oxonii 1705,* loquitur de duabus Christianis feminis, quas ministras vocat, qui magis, inquit, *necessarium credidi ex duabus ancillis, quæ ministræ dicebantur, quid esset veri, et per tormenta quærere.*

23. Nonnisi viduis unius viri, quæ jam erant ætate provectæ (1), inter Diaconissas dabatur locus. Munera earum erant Sacerdoti fœminas baptizanti præstare operam, ut sexus pudori consuleretur ea ætate, qua baptismus per immersionem conferebatur (2), catechumenas ad rem christianam domi instituere (3), fœminas ægrotas invisere (4), opem ferre martyribus, et confessoribus carcere detentis, cum ad eum Diaconis aditus non patebat (5), stare ad januas, per quas mulieres Ecclesiæ navem ingrediebantur (6), et suum in ea locum cuique tribuere (7). His muneribus addicebantur Diaconissæ per manuum impositionem (8), quæ tamen non sacramentum erat, sed Ecclesiæ cæremonia, ad instar benedictionis, quam mulieres illæ accipiebant (9).

(1) De ætate Diaconissarum Apostolus I. *ad Thimoth. V. 9.* habet hæc: *Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor, in operibus bonis testimonium habens... si omne opus bonum subsecuta est.* Ad hunc Pauli locum respexit Theodosius Imperator in *L. 27. Cod. Theod. de Episc. et Cleric.,* cum scripsit: *Nulla, nisi emensis sexaginta annis, cui votiva domi proles sit, secundum præceptum Apostoli, ad Diaconissarum consortium transferatur.* Ipsam hanc ætatem annorum 60. memorant Tertullianus *de Virg. velan. c. 9 pag. 499 ed. Rigaltii Paris. 1634, et S. Basilii ep. 199 canon. 2 ad Amphilocho. can. 24 tom. 3 opp. pag. 295 ed. Paris. 1750, et S. Hieronymus Comm. in Isaiam lib. 2 c. 5. tom. 4 col. 55, et ep. 69 ad Salvinam c. 2 et 7 col. 495 et 500. t. 1 ed. Veronæ 1754.* Sed labentibus annis, Chalcedonensi Concilio *can. 15 col. 1707 et 1726 t. 4 collect. Labbæi,* sancitum est, ut Diaconissæ quadraginta annorum eligi possent, quam ætatem probavit etiam Concilium Trullanum *can. 14 tom. 7 col. 1354 collect. Labbæi ed. Venet.; et Justinianus Novella 125 cap. 15. Ipse Justinianus Novella 6, cap. 6, in Diaconissis ætatem requirit annorum 50, quam eandem ætatem definit in L. 9 cod. de Episc. et Cleric., si vera est lectio, quæ vulgo traditur. Nam Contius legendum esse putat non 50, sed 60, atque ita ab erroris, et negligentiae nota liberat Tribonianum, qua certe liberari non potest, si retineatur vulgata lectio, quæ his est concepta verbis: *Nulla, nisi emensis 50 annis, secundum præceptum Apostoli, ad Diaconissarum consortium transferatur.* Non enim præceptum Apostoli annos quinquaginta, sed sexaginta constituit. Contra sub Nectario Patriarcha Constantinopolitano, fuisse Olympiadem Diaconissam quadraginta annis minorem, scribit Sozomenus *lib. 8 cap. 9 pag. 557 ed. Valesii Cantabrig. 1720.* Ex quibus intelligitur, non unam semper, eandemque regulam fuisse, et multum ea in re Episcopi arbitrio datum. Quæ olim in Diaconissis*

requirebantur, explicat Jacobus Gothofredus in comment. ad cit. L. 27 C. Theol. de Episc. et Cler. tom. 6 part. 1 pag. 68 ed. Lipsiæ 1745.

(2) Justinianus Novell. 6 cap. 6, et Auctor constit. Apostol. lib. 3 cap. 16, ibique Cotelierus PP. Apostol. tom. 1 pag. 291.

(3) Auctor Commentariorum in epistolas sub nomine Hieronymi com. in ep. ad Rom. XVI. 1 col. 898 opp. Hieronym. tom. 11 ed. Veron. 1742, Conc. Carthag. IV. can. 42 col. 1497 tom. 2 coll. Labbæi ed. Venet.

(4) S. Epiphanius Hæres. 79 num. 3 pag. 1060 tom. 1 opp. ed. Paris. 1822, S. Hieronymus ep. 52 ad Nepotian. cap. 5 col. 258 tom. 1 opp. ed. Vallarsii Veronæ 1754. Auctor const. Apostol. lib. 3 cap. 15 pag. 290 loc. cit.

(5) Vide Cotelierum not. in const. Apostol. lib. 3 cap. 15 pag. 290 loc. cit., et Jacobum Gothofredum loc. cit.

(6) Auctor epistolæ ad Antiochenos, quæ Ignatii nomine circumfertur, num. 12 apud Cotelierum PP. Apost. tom. 2 pag. 152, Auctor const. Apost. lib. 2 cap. 57 pag. 260 et lib. 3 cap. 28 pag. 416 loc. cit. Per januas autem intelligendæ sunt portæ interiores, per quas aditus patebat ad ligneos parietes, quibus mulieres à viris in Ecclesia dividebantur. Dicam ea de re late Libro II.

(7) Auctor constit. Apostol. lib. 1 cap. 58 pag. 270 loc. cit. Diaconissarum quoque erat, Episcoporum mandata ad fœminas deferre, ad quas Diaconos mittere non expedivisset; necnon reliquis Viduis præsidere, et earumdem necessitatibus, ubi opus esset, succurrere. Selvag. Instit. lib. 4, tit. 22, §. 9.

(8) Diaconissas nullam manuum impositionem accepisse, quidam putant, atque ex eorum numero sunt Baronius ad an. 54 num. 285 pag. 215 tom. 1 ed. Lucæ, et Valesius Not. in Sozomen. lib. 3 c. 9 pag. 557 ed. Cantabrig. Movetur canone 19. Concilii Nicæni col. 42 tom. 2 collect. Labbæi, eujus hæc verba sunt: *Diaconissarum autem meminimus, quæ in habitu quidem censentur, quoniam nec ullam habent manuum impositionem, ut omnino inter laicos ipse connumerentur.* Quisquis tamen hanc canonem paulo diligentius expendat, facile deprehendet, eum non ad omnes generatim Diaconissas pertinere, sed ad eas tantum, quæ habitum sine ulla manuum impositione inter Paulianistas acceperant. Ceterum ipse Canon non obscure declarat, reliquas Diaconissas manuum impositionem habuisse, quod recte observarunt viri eruditi, præsertim Jo. Gaspar Svecerus Tesaur. tom. 1 pag. 867 Amstelædami 1682, Arcudius concord. Eccles. occiden. et orient. lib. 6, cap. 40, Christianus Lupus Schol. in eumd. can. Nicæn. opp. tom. 1 pag. 265 ed. Venet., Gabriel Albaspinæus Not. in eumd. can. pag. 499 ed. Neap., Carolus Fabrotus Not. ad Balsam. collec. constit. 1, 3 tit. 1 apud Justellum Bibl. Jur. Canon. tom. 2 pag. 1417. Paris. 1661, Gaspar Juenin de Sacram. diss. 3 de Sacram. ordin. in commun. quæst. 5 cap. 1 pag. 552, Natalis Alexander Histor. Eccl. sæc. 5 cap. 5 art. 6 n. 21 pag. 145 t. 5 ed. Venet. 1776. Revera Concilia, et Scriptores, qui de Diaconissarum ordinatione loquuntur, manuum impositionem discrete memorant: ut videre est canone 15 Concilii Chalcedonensis col. 608 tom. 2 collect. Harduini, Concilii Trullani can. 14 col. 1665 tom. 3 ejusdem collect., et Sozomeni lib. 3 cap. 9 pag. 551 ed. Cantabr., eum de Olympiæ ordinatione disputant. Auctor Constitutionum Apostolic. lib. 3 cap. 49 pag. 412 loc. cit., Diaconissas ab Episcopo ordinari jubet eam manuum impositionem, certaque oratione, quæ ibi describitur. Apud Latinos etiam hujus manuum impositionis meminit Concilium Wormatiense can. 76 col. 747 tom. 5 collect.

Harduini, et Fortunatus in Vit. Radegund. apud Surium 13 Aug. lib. 1 cap. 6 tom. 4 pag. 655 ed. Colon. 1579 de Medardo Episcopo dicit hæc: *manu superposita, consecravit Diaconam.* Confer Cotelierum in constit. Apostol. loc. indic. Erat tamen hæc manuum impositio, non sacramentum, sed Ecclesiæ cæremonia, quæ nullum imprimebat ordinis characterem, ad quem suscipiendum mulieres aptæ, et idoneæ non sunt. Apposite S. Epiphanius, Hæres. 79. Collyrid. n. 5 pag. 1060 tom. 1 opp. ed. cit., *Quamquam vero, inquit, Diaconissarum in Ecclesia ordo sit, non tamen ad Sacerdotii functionem, aut ullam ejusmodi administrationem institutus; sed ut muliebris sexus honestati consulatur, sive ut baptismi tempore adsit; sive ut inspiciat, si quid passa sit, aut molestiæ pertulerit; sive ut cum nudandum est mulieris corpus, interveniat; ne virorum, qui sacris operantur, ad spectum sit exposita, sed à sola Diaconissa videatur.* Consule Justellum Bibliot. Jur. Canon. t. 1 not. in Conc. Nicæn. can. 49 pag. 75 Paris 1661, Natalem Alexandrum loc. cit. Juenium de Sacram. dissert. 3 de Sacram. ordin. in commun. quæst. 5 cap. 1, Salam in Not. ad Bonam lib. 1 cap. 25 §. 15 pag. 558 tom. 2 opp. ed. Taur. 1749. Ritum à Græcis observatum in Diaconissarum ordinationibus, describit Jacobus Goarius in Eucholog. Græc. de Diaconissis pag. 262 Paris. 1647. De ordinandis autem tum Latinorum, tum Græcorum Diaconissis, agit Morinus de Sac. Ordinat. par. 5 exerc. 10 cap. 1 et seq. Diaconissarum consecrationes sæculo XI. memorat Joannes XIX literis datis ab Episcopo Silvæ Candidæ apud Mabilionium Museum Ital. Ord. Roman. XI pag. 456 tom. 2 Paris. 1686. Extat etiam apud Syros Diaconissarum ordinatio, quam una cum earum officio, et potestate accurate describit Assemanus in dissert. de Monophysitis num. 40 tom. 2 Biblioth. Orient.

(9) Duo postremo sunt observanda, antequam hanc de Diaconissis tractationem absolvamus. Primum est, quod non uno, et eodem tempore earum usus ubique sublatus fuit; qua de re videndi sunt Bona Rer. liturg. lib. 1 c. 25 et 15 tom. 2 pag. 555, ibique Robertus Sala in Not. pag. 559, Morinus de Sac. ordinat. pag. 5 exerc. 10 cap. 5, Thomassius Vet. et Nov. Eccles. discipl. p. 1 lib. 3 cap. 51 num. 1 tom. 1, Juenin. de Sacram. de ordin. in spec. dissert. 9 q. 5 cap. 2. Alterum est, quod interdum Diaconissæ etiam dicebantur diaconorum uxores ante Diaconatum ductæ, eodem modo, quo illæ, quæ uxores Presbyterorum fuerant, Præbyteræ, quæ Episcoporum, Episcopæ vocabantur: atque hæc spectat Concilium Turonense II. Can. 13 et 19 col. 557 et 559 t. 6 collect. Labbæi, et Antisiodorensis Can. 21 col. 644 eodem loc. Vide Robertum Salam in Not. ad Card. Bonam loc. cit.

Inserere isthuc lubet quod can. h. André, Diction. Jur. Can. laud. edit. Matritens., verbo *Diaconisas*, observat; nempe: *Existian aut algunos vestigios de Diaconisas, antes de la Revolucion, en ciertas iglesias de Francia. Las monjas cartujas de Saleth, en el Delfinado, hacian en el altar officios de diacono y de subdiacono, y tocaban los vasos sagrados. La abadesa de S. Pedro de Lyon hacia tambien officio de subdiacono, cantaba la epistola, y llevaba manipulo; pero no en el brazo, sino en la mano.*

De Religiosis Hisp. Congregationibus videndæ leges tit. 26 lib. 1 Novis. Compilat., et notæ ipsis adjectæ. Ibi apparent multæ et à Regibus nostratibus, et à S. Sede emanatæ dispositiones ad Regularem statum spectantes.

Concordati an. 1757 art. 11, de committenda Metropolitani Regularium domum visitatione decisum est, ut illius actis ad Apost. Sedem transmissis, de correctione et reformatione ipsarum decerneretur: Concordati quoque an.

1755 exordio restaurandam apud nos statuebatur regularem disciplinam juxta SS. Canones, Pontif. sanctiones, ac Tridentinas leges.

Sub Pi. VI Pontificatu obventa Bulla, ut clerus regularis istarum ditionum generalibus Ministris Hispanis exclusive subjectus esset. Ann. 1802 et 1804 à Pio VII binæ aliæ Bullæ impetratæ; quarum prima Cardinalis Ludovicus de Borbon, Tolet. Præsul, Apostol. Regularium utriusque sexus visitator constituebatur, ut adscitis Episcopis vel eccles. dignitatibus, semel conventus et monasteria Hisp. provinciarum, etiam exempta ac quomodolibet privilegiata, tam in Peninsula quam trans mare posita, invisenda curaret, et cognita causa, quidquid ad eorandem in omnibus reformationem expedire videretur, ad S. Sedem referret. Altera ejusd. Pontif. cit. Bulla, de non exequendis in proposito absque Apost. auctoritatis adsensu reformationibus decernebatur, ut et de vicariorum generalium, queis tantum parerent nostrates Regulares, constitutione.

Annis 1809 ad 1814, ut et 1820 ad 1825, lata pro Regular. apud nos reformatione, pro partiali ipsorum suppressione ac aliis similibus, decreta et leges, quæ mox effectu destituta remansere.

Sed an. 1835, Societatis Jesu domuum, necnon et aliarum Ordinum virorum, quæ decem ex iis professos non haberent, suppressio à Regali Gubernio pronuntiata est. Ac decreto 8 Martii 1836, lege item 29 Julii 1837, idem generatim stabilitum de monasteriis, conventibus ac congregationibus, tam virorum, quam feminarum, etiam clericorum Regularium, et Ordin. Militarum; exceptis tantum collegiis pro Missionibus in Asiam expediendis, ac Scholarum Piarum, et S. Joann. de Deo *Fratribus Charitatis* erga infirmos, quorum certis conditionibus existentia submittebatur. Suppressa ipsa lege feminarum cœnobîa, præter S. Vincent. Paul sorores, vulgo *de la Caridad*; ibi tamen easdem permanere concessum est. Omnium verò utriusque sexus monasteriorum, conventuum ac sodalitorum bona, census, et redditus, Statui necessitatibus applicata; relicta professis tum monialibus, tum viris in sacris constitutis, perpetua pensione.

Res ita se habebat, cum lege 5 Martii 1845, in pristinum restitutæ statum Scholarum Piarum domus. Ac novis. Concordato, quæ sequuntur, sancita habes:

Art. 29. • Eum in finem (nempe, Cleri institutionem), ut in universa Peninsula adsint sufficienti numero Ministri, atque Operarii evangelici, quibus uti valeant Episcopi ad sacras Missiones pro variis suarum Diœcesium locis, ad parochorum subsidium, ad ægotantium opem, atque ad alia charitatis, et publicæ utilitatis opera; Regium Gubernium, cui mens meliori conditioni Collegiorum, quæ ad Missiones pro ultramarina ditione instituta sunt, opportune prospicere; nulla interposita mora, reque prius cum Prælatibus Diœcesanis collata, efficiet, ut ubi necesse sit, constituentur domus, et Congregationes religiosæ Sancti Vincentii à Paulo, Sancti Philippi Nerii, atque alterius Regularis Ordinis ex adprobatis per Apostolicam Sedem, quæ simul ecclesiasticis viris ad se recolligendum; iis, aliisque ad spiritualia exercitia præagenda, cæterisque id genus piis usibus inserviant.

Art. 30. • Ut præsto etiam sint religiosæ domus, ubi mulieres, id, Deo inspirante, cupientes, vacare queant vitæ contemplativæ, et activæ, adsistendi nimirum ægotis, puellas instituendi, aliisque operibus æque piis ac populo proficuis, attendendi; institutum filiarum, quæ à *Charitate* nuncupantur, sub directione clericorum Sancti Vincentii à Paulo conservabitur, Regio Gubernio ad ejus incrementum cooperaturo.

• Conservabuntur item religiosæ mulierum domus, quæ contemplationi

puellarum educationem et institutionem, aliaque charitatis opera conjungent.

• Quod ad reliqua Sanctimonialium instituta, Ordinarii Præsules, ad omnes suarum diœcesium circumstantias respicientes, illas religiosas mulierum domus proponent, in quibus novitiarum admissionem ac professionem expedire censeant, pariterque instructionis, et charitatis exercitia, quæ iisdem convenire dijudicent.

• Nemini ad religiosam professionem aditus patebit, nisi prius ejus sustentationi debita forma provissum sit.


Ut de religiosis virorum congregationibus prius agamus, animadvertendum est, Regis decretis 25 Julii, et 3 Decemb. 1852, ex quibus postremum adsentiente Apost. Nuntio prodit, de congregationum S. Vincentii de Paul ac S. Philippi Nerii instauratione statutum fuisse, quæ ad exitum perducta ut in eis providebatur.

Attendendæ quoque binæ Reg. schedulæ, altera 19 Octob., altera 29 Nov. 1852, lata, queis pro Missionibus trans mare ferendis, collegiorum Regular. instaurationi, ut in ipsis exprimitur, decreta est; quarum vi nuper in Reg. Sanct. Paschalis domo oppid. vulgo *de Aranjuez*, instituta communitas Fratrum Discalceatorum S. Francisci, ad Missiones in Philippinis insulis habendas; et dispositum, ut in municipio quod vocatur *de Priego*, Conchensis Provincia, alia similiter congregetur Minorum Observant., ejusd. S. Patriarchæ, ut Sac. Locorum servitio, et religiosæ incolarum Cubanæ Insulæ educationi addicta sit. Aliæ pariter virorum congregationes in celeberrimis domibus religiosis, specialibus Gubernii dispositionibus, erigi videntur; inter quas numeratur quæ vulgo de Loyola, S. Ignatii, Soc. Jesu Fundatoris, nativitate clarissima: ubi, ex cit. Reg. sanctione 19 Octob., collegium pro restitutione ejusd. Societatis in Philippinis insulis, ordiandum est.

Quod ad eos tamen, queis ante allata Reg. decretum 1836 et legem 1837, Hispaniæ monasteria, et conventus habitacula erant, novis. Concordatum alte silet.—Citatum jam decretum 25 Julii 1851 ipsorum, relative ad præbendam ac beneficiorum collationem, meminit. Ex ipsis aliqui indulta (*habilitaciones*) impetraverant; quæ cum non omnibus Prælatibus aut Capitulis sufficientia viderentur, quum Regulares Cathedralium et Collegiarum statuta aperte et absolute excluderent, ut quælibet in proposito dubitatio removeatur, Reg. ordinat. 1 Jul. hujus an. 1853 ita se habet: • Para sacar á esta clase de situacion tan angustiosa, pareció al Gobierno de S. M. el medio mas espedito, invitar al M. R. Nuncio de Su Santidad en estos Reinos, á que fijase definitiva y generalmente el efecto que deban producir las habilitaciones espeditas á favor de los esclaustrados. En su virtud dicho M. R. Nuncio declaró en comunicacion de 19 de enero último, que los espresados esclaustrados, habilitados por Su Santidad ó por la Nunciatura, para obtener *beneficios simples ó residenciales, y aun curados*, pueden ser admitidos, en los términos y forma marcados en la habilitacion, á la provision de prebendas de gracia ó de oficio, excepto las dignidades, á no ser que en los breves de habilitacion se comprendan espresamente.—Reg. dispositio 15 Nov. 1851 vitalitiam Regularium extra claustra degentium pensionem, titulum pro ordinibus recipiendis esse statuit; ac ipsius præstationem in illorum favorem, qui ex leg. 29 Julii 1837 non habent, quodammodo præparavit.

Quod ad feminarum domos spectat, Reg. ordin. 15 Decemb. 1851, de ipsarum communitatibus instaurandis, ut et de Monialium admissione ac professione agebat, rem, ex Concordati littera, Prælatorum arbitrio relinquens.—Decretum 19 Martii 1852 de pensione quibusdam Monachibus præstanda

conceptum est.—Aliud decretum 26 eorund. mensis et anni, ac Reg. ordin. 14 Februarii 1853, duas in quolibet cœnobio feminas absque dote profiteri concedunt, ut cantrix et psalteria, vel duæ cantrices, in unoquoque non deficient.—Reg. ordin. 24 Dec. 1851 Monialibus non licere è claustris exire, nisi servatis canonicis ea de re sanctionibus, declaravit.—Decretum 27 Februarii 1852, Prælati adjudicavit inspectionem scholarum primariæ institutionis, quæ intra Monacharum claustra existant; similis alia dispositio 23 Martii proxime sequentis ipsos, et Archipresbyteros ad illarum visitationem invitavit.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

RECENSIO

CAPITUM, TITULORUM,

SECTIONUM

TOMI PRIMI.

PROLEGOMENA.

CAPUT I.—De Ecclesia, ejusque natura, et characteribus.	1
CAP. II.—De Ecclesiæ regimine, et potestate.	41
CAP. III.—De Canone Ecclesiæ, et primum de Jure scripto.	46
CAP. IV.—De jure non scripto.	35
CAP. V.—De antiquis Juris Canonici collectionibus.	38
AD CAP. V APPENDIX—De Hispanicis collectionibus.	57
CAP. VI.—De recentioribus Juris Canonici collectionibus.	67
CAP. VII.—De jure novissimo.	78

LIBER I.

TITULUS I.


De jure personarum, deque Laicis, et Clericis generalim.	86
--	----

TITULUS II.

De Hierarchia Ordini.	104
-------------------------------	-----

SECT. I.—De Episcopis.	107
SECT. II.—De Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, et reliquis Ordinibus.	117
AD TIT. II APP.—De Celibatu Clericorum.	131

conceptum est.—Aliud decretum 26 eorund. mensis et anni, ac Reg. ordin. 14 Februarii 1853, duas in quolibet cœnobio feminas absque dote profiteri concedunt, ut cantrix et psalteria, vel duæ cantrices, in unoquoque non deficient.—Reg. ordin. 24 Dec. 1851 Monialibus non licere è claustris exire, nisi servatis canonicis ea de re sanctionibus, declaravit.—Decretum 27 Februarii 1852, Prælati adjudicavit inspectionem scholarum primariæ institutionis, quæ intra Monachorum claustra existant; similis alia dispositio 23 Martii proxime sequentis ipsos, et Archipresbyteros ad illarum visitationem invitavit.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN
DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

RECENSIO

CAPITUM, TITULORUM,

SECTIONUM

TOMI PRIMI.

PROLEGOMENA.

CAPUT I.—De Ecclesia, ejusque natura, et characteribus.	1
CAP. II.—De Ecclesiæ regimine, et potestate.	41
CAP. III.—De Canone Ecclesiæ, et primum de Jure scripto.	46
CAP. IV.—De jure non scripto.	35
CAP. V.—De antiquis Juris Canonici collectionibus.	38
AD CAP. V APPENDIX—De Hispanicis collectionibus.	57
CAP. VI.—De recentioribus Juris Canonici collectionibus.	67
CAP. VII.—De jure novissimo.	78

LIBER I.

TITULUS I.

De jure personarum, deque Laicis, et Clericis generalim.	86
--	----

TITULUS II.

De Hierarchia Ordini.	104
-------------------------------	-----

SECT. I.—De Episcopis.	107
SECT. II.—De Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, et reliquis Ordinibus.	117
AD TIT. II APP.—De Celibatu Clericorum.	131

TITULUS III.

De Hierarchia Jurisdictionis. 135

SECT. I.—*De Summo Pontifice.* 140

SECT. II.—*De Cardinalibus, et Legatis.* 158

SECT. III.—*De Patriarchis, Primatibus, Metropolit.* 168

SECT. IV.—*De Coadjutoribus.* 186

SECT. V.—*De Chorepiscopis.* 189

SECT. VI.—*De Prælatibus inferioribus.* 192

SECT. VII.—*De Capitulis Canonicorum.* 196

SECT. VIII.—*De Dignitatibus, Personatibus, Officiis.* 204

SECT. IX.—*De Vicariis.* 217

SECT. X.—*De Parochis, et reliquo Clero.* 225

TITULUS IV.

Quibus modis potestas Ordinis acquiratur. 231

SECT. I.—*De consecratione Episcoporum.* 232

SECT. II.—*De Presbyterorum, et aliorum Clericorum ordinatione.* 236

TITULUS V.

Quibus modis potestas jurisdictionis, et omnia Ecclesiastica Beneficia acquirantur. 254

SECT. I.—*De Electione.* 255

SECT. II.—*De Postulatione.* 271

SECT. III.—*De Collatione.* 272

SECT. IV.—*De Institutione, et Jurepatronatus.* 285

TITULUS VI.

*Quibus Ecclesiastici Magistratus, et Beneficia recte tri-
buantur.* 297

TITULUS VII.

Qui promoveri non possint. 303

TITULUS VIII.

*Quibus modis potestas jurisdictionis, et Ecclesiastica Bene-
ficia amittantur.* 314

SECT. I.—*De Renunciatione.* 315

SECT. II.—*De Translatione.* 319

SECT. III.—*De Permutatione.* 322

SECT. IV.—*De Depositione, et Degradatione.* 323

TITULUS IX.

De Monachis, et Regularibus. 331

FINIS LIBRI PRIMI.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS

ERRATA NOTANDA.

PAG.	LIN.	LEGITUR.	CORRIGE.
47	50	non	nos
50	47	discriminat	discriminant
55	41	olficit	olfecit
68	20, 27, 35	continent—quæstiones —ditatur	continent—quæstionis—ci- tatur.
88	54	1	suprime
92	14	suo	duo
95	25, 24	retunderes—baculu	retundere—baculus
Ibid.	42	in consanguinearum	in visitatione consangui- nearum
415	4	delegari	delegare
420	51	sanguinis	sanguis
438	56	jurisdictiones	jurisdictionis
459	16	jurisdictioni	jurisdictione
449	3	potest	posse
450	2	probeant	probenit
455	5, 4	ordinis—easdemque	ordines—eosdemque
461	41	dignitati	dignitate
477	24	Episcopus	Episcopos
479	40	Legioni	Legionis
485	45	servitutam	servitatem
490	42	ubique	ibique
495	49	Transcripto	transcripto
Ib. et 220	56, 59	ordinario	ordinarie
496	5	mirum est	mirum non est
498	47	constituerent	constituerunt
202	6, 20	Barcinens.—contingerit	Barcinonens.—contigerit
206	24	qui	quin
209	51	VI	IV
246	45, 44	approbata—decreta	redacta—decreta
218	25	ipsa	ipse
221	50	instituantur	instituantur
224	27, 23, 56	quarum—ipsarum—fa- ciliter	quorum—ipsorum—facile
251	47, 29	pertinet—habet	pertinent—habent
259	32	fuerant	fuerat
262	4	alius	aliud
264	40	præditæ	prædictæ
265	14	initia	inita
263	26	repelenda	repetenda

288	19	cuique	qui
298	13	esset	essent
502	5, 42	(a)—nostratibus	supprime—in' nostratibus
505	5, 19	gravissimus—10	gravissimis—19
321	8	in	id
328	8	et	ut

Pag. 112 lin. 41 et seq leg. : eis altero anno diutius quam tres menses... anni superioris. Quod ita legendum; eis altero anno diutius quam tres menses a sua diœcesi abesse non possit; atque ut tres postremi menses anni superioris. . .

Nota N. S. pag. 247, ad pag. 246 post §. 10, et nota ** ad finem pag. 321, ad finem pag. 322, transferendæ.



UNIVERSIDAD AUTÓNOMA DE NUEVO LEÓN

DIRECCIÓN GENERAL DE BIBLIOTECAS



Handwritten mark or signature



UEVO
OTEC